Litteratur


6
7 E

Ex Libris fris Joseph Ant. Cauaz.e Ord:
Praedicator. filii S. Mariae Sanitatis

THEO-RHETORICÆ
I D E A



P. PHILAMUNDI
Ordinis Prædicatorum.





Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniàm omnis ista compositio non ex libidine, sed ex Virtute pendebat: et ideò Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. Iudith Cap. x.

Pendulas aureas diuitias suspendit: fluentes sinus purpureæ uestis gemmato collegit pectore: casto uultu prius dimicatura, quàm ferro: monilium tela pudori semper aduersa, Hostem ferire didicerunt. S. Aug. Ser. 229. de Temp.

Berardinus Fera delin. F.° de Grado sculp. Aqua Forti Neap.

THEO-RHETORICÆ
I D E A
EX DIVINIS SCRIPTURIS
Et Politioris Literaturæ Myſtagogis

D E D U C T A



Duobus Tomis comprehenſa

CHRISTIANIS ORATORIBVS

Ad imitandum propoſita

Á P. FR. RAPHAELE MARIA
PHILAMUNDO
NEAPOLITANO

Sacræ Theologiæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum
Congregationis Sanitatis .

TOMUS PRIMUS.





N E A P O L I
Ex Novorum Characterum Fuſoria Officina Michaëlis Aloyſii Mutii
Ineunte Anno Jubilæo M.DCC.

SUPERIORUM PERMISSU.



EXCELLENTISS. DOMINO

D. JOANNI MILANO

FRANCO, DE VIGINTIMILLIIS, DE ARAGONIA, DE TOLFA, DE TUFO, PIGNATELLO, DE ALANEO, ET BORGIA.



Domino Domûs Milanæ, & Domûs De Franco, VI. Marchioni S. Georgii, II. Marchioni Polistinæ, II. Baroni Melicuccæ, Domino Oppidorum Syderonis, Ardoris, S. Nicolai, & Bombilis, Pagorumque, ac Feudorum Casiniani, S. Donati, S. Marinæ, Paliaforii, & Pratariæ, &c.

Fr. Raphael Maria Philamundus Felicitatem.





Acræ Oratoriæ Facultatis Præcepta, gemino complexus Volumine, cum impetrato Scholasticis laboribus otio, ad Solem proferre meditarer, non alterius Umbram, quàm Tui, Mecænatum Præclarissime, primis dudùm votis deliberavi. Fuerit sane honesta Operis hujus ambitio, qua tanto Tutelari, veniali jactantia superbiens, sibi

credit à maledicorum lingua, ab Oblivionis dente parcendum: nè in tàm sublime Nomen, illius fronti præfixum, temerè videantur audere. Nil ex Authoris paupere penu typis prodire potuit tuo commendandum obtutu: sed ex Divinis Literis, ex Patrum Lucubrationibus excerptas Institutiones existimavi Christiano, eruditoque Principe dignas, cui gratiores sint, flexanimis Sæcularium Pieridum Lyris, Polyorceticæ Evangelii Tubæ. Ad qualecumque munusculum Excellentiæ Tuæ dicandum plura illexerant devinctum alioquì multis titulis arbitrium: Oris Majestas innata, non adscititia, nèc coacta: Munificentia manûs non largitate exhausta: Nil enìm tàm egregium in Principe, quàm proprias fortunas stipendia facere vèl Sapientiæ, vèl inopiæ alienæ. Prælustris Regiæ Consanguinitatis honos, & demissiore veneratione dignior Regia Virtus Genio cognata Familiæ: Quæ ex Narbonensis Galliæ solo in Hispanicam Plagam translata, indè in Ausoniæ beatiorem nostram Regionem invecta, Solaris instàr jubaris, non interrupto gestorum illustrium cursu, imparem ingentibus Gloriæ micatibus unã Orbis partem ostentat. Sed Originis ferè nescia, ipsâ non vestigatæ antiquitatis obscuritate fulgentior, omni AEtate Viros ad summa, ad ardua feliciter ortos enixa est. Nequè verò dubitarem Herculeas transgredi metas, & ultrà Macedonis vota conari: quamvìs certus sim, nec plenis Eloquentiæ velis, in celsis Tuorum factis pro merito commendandis, posse interminata Littora salutare. Stant in Domus tuæ atriis compacta ex Hostium armis, manubiisque trophæa: Pendent intèr geminas Vaticanæ Eminentiæ Purpuras Infulæ Pontificales proptèr Callixtum III. Avunculum Auxiæ, & Aloysii DE MILA', Catharinâ Borgiâ Germana illius Supremi Hierarchæ progenitorum, à quibus Milania Gens cum Primo Alphonso Aragonio Neapolim advecta, extùnc intèr Aulæ Magnates conspicua: ob egregiam in fi-

niti-

nitimis, externisque bellis navatam operam, Oppidis, Urbibusque donata, Castris Cæsares edidit, Senatorio Areopago Catones. Occurrunt Raymundus, Hugo, Petrus, Honuphrius: Prior, & alter Jacobo I. Aragonum Regi in Urbe Valentia expugnanda, in Mauritana Tyrannide prosternenda, partis ubiquè victoriis, desudarunt. Tertium, & postremum in Tunetana obsidione Carolus V. Imperatorum tèr Maximus, & admirabundus suspexit, & Primoribus Ducibus affirmavit æquandos: sivè erumpentes è Guletæ faucibus Numidarum Cuneos, vi repercussa, repellerent: sivè è propugnaculorum pinnis, Humanæ Redemptionis vexilla exponerent Europæis Falangibus adoranda: sivè in Juliæ Cæsareæ (Algerium vocant) Expeditione, Cæsareas Aquilas comitarentur: adverso quidèm Marte, Austris tùm primùm, Classe disjecta, Austriaci Augusti de Impietate debellanda generoso conamini obnitentibus; nil tamèn Gloriâ imminutâ, etsì non integrè addito Belgicis, Gallicis, Germanicis, Italicis, Africano triumpho. Quid prosequar MILANIORUM præliares Animas, quarum nauseavit siccam vaginam gladius, tùnc micantior, ac integrior, quandò hostili cæde infectior, atquè dentatior. Cæteri Hæredem Stemmatum suorum instituunt, non fortitudinis: Tu verò Bellacis Prosapiæ Heroas omnes animo complecteris, & excedis Virtute. Variare cum soleat Sæcularium Sortium Urna, & florentissimæ quæquæ Genealogiæ vicissitudines clymactericas patiantur; Vetustæ Stirpis perpetuò ejusdem, in Te constitit Amplitudo, agnatis etiàm Ostris rubricata, Materno Beatricis De Vigintimillibus, & Aragonia, Normannorum Regum traduce, Fraterno sanguine Caroli IV. De Tocco, De Tarento, Paleologo, Comneno, & Cantacuzino, Achajæ, & Montismilitum Principis, eâdem progeniti Heroinâ, Toccos Atavos numerantis Neapolitanos Proceres, Epyri Despotas, jàm olìm Leucadem, Itacham,

Za-

Zacynthum, Cephalenem, Insulas Maris AEgæi dominantes, & quidquid sivè Ambracio, Achaicoque Sinibus ambiunt Oræ Maritimæ: sivè Ulysses, aùt Pyrrhus obtinuere: Hæreditariis Toparchiis à Mahomete II. altero Flagello Dei Christianis infensissimo, Quarto suprà Millesimum Sæculo spoliatos. Verùm Te, quem multo muryce tincta excepere cunabula; Leonum medullis enutritum Parthenopeum Achillem Equestria Gymnica exercuere; Literariâ Oleâ in Scientiarum Palæstris Pallas Civica redimivit; ductâ Aloysiâ Iveniâ Aragonia, Conjuge Venustissima, purpuratam Geniture Lineam trahente ex Uuillelmo Infante Friderici III. Trinacriæ Regis Filio, & Beatrice Aragonii Stipitis Germine, Regalibus Fastis novo nexu Himenæus conjunxit Prudentissimum Dynastam in primævis annis Paterna Jura sortita sunt, non minùs se Virgâ directionis regere satagentem, quàm subiectos Populos æqua lance Justitiæ, ut celebrare Te possit Cassiodorus: *Hoc profectò difficillimum dominandi genus est, exercere Juvenem in suis sensibus principatum. Rarum omninò est, Dominum triumphare de moribus: & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix credit cana Modestia pervenire.* Innumera Virtutum insignia gestiret calamus recensere, si non, donanda AEternitate præconia cultiori Ingenio, & stylo laureato servarentur. Sistat proindè Nuncupatoria isthæc Epistola, invidiæ notam potiùs incursura, quàm adulationis: nisi hôc uno desineret erubescere, quod ad Moderationem tuam, non ad Magnitudinem sit composita: quæ jàm fastigium tenens, capere vìx potest augumentum.

Lib. 3. Variar.

Neap. è Conventu S. Mariæ Sanitatis. Tertio Nonas Januarii 1700.

EMI-

EMINENTISS. SIGNORE.

Michele Luigi Mutii publico Stampatore in questa Fedelissima Città supplicando espone, come desidera stampare un Opera intitolata *Theo-Rhetorica Idea ex Divinis Scripturis, & Ecclesiæ Mystagogis deducta, &c.* composta *dal P. Fr. Rafaele Maria Filamondo dell'Ordine de' Predicatori*, per tanto la supplica commetterla alla solita revisione, che l'haverà à gratia, ut Deus.

Reverendus Pater Thomas Strozzi Soc. Jesu videat, & in scriptis referat. Die 17. Julii 1697.

JO: ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Januarius de Auria Canonicus Deputatus.

EMINENTISS. DOMINE.

Legi ex mandato Em. Vestræ Librum duobus Tomis comprehensum, cui titulus: *Theo Rhetorica Idea, ex Divinis Scripturis, & Ecclesiæ Mystagogis deducta, à P. F. Raphaele Maria Philamundo conscriptum*; atq; in eo visus sum mihi, non sinè sacræ voluptatis sensu, deprehendere Mulierem illam fortem, quam olim exquirebat Salomon, cujus procùl & de ultimis finibus pretium: Eloquentiam scilicèt è sacris Ecclesiæ penetralibus egressam, specie ad majestatem composita, vultu, oculis, habitu divinum robur splendoremque spirante, bysso indutam, ac purpura, è Sacrarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum cimelio eductis, atquè Auctoris solerti ingenio, exacto judicio, improboque labore affabrè intextis. Habet illa quidèm hausta è prophanarum Auctorum penu ad informandos Oratores præcepta; sed ut olìm ethnicæ mulieres, ex hostium spoliis delectæ, non antè ab Hæbreis domum deducebantur, quàm unguibus, crinibusque ex Divino jussu detonsæ, exuerentur. Ità quicquid inane, emortuum, atquè exundans in Vulgari Eloquentia Auctor reperit, acri districtum stylo succidit, & quod firmum, robustumque præferebat, exhibuit, sacroque cultu exornatam dedit, non Christianam modò, sed Divinam, &, quod in Titulo spopondit, Theo-Rhetoricam. Gratulari in hoc Opere sibi ipsi Religio, atquè Ecclesia jure merito poterit, cum in eo pateat, Mystagogos suos ingenio, sapientia, eruditione, atquè ipso Orationis ornatu, ac viribus, profanos Eloquentiæ Magistros, summosque Oratores transgredi. Quìn & Sacri Concionatores gestire, quod ex hoc uno, cæteris è manu excussis, brevi compendio, ac tutiore ductu efformare sibi ad sacras conciones nobiliorem Ideam, atquè exemplar valeant. Eo siquidèm sibi proposito, altiores ad inveniendum fodinas scrutari, firmiora ad mentes pervincendas argumenta seligere, acriores ad affectus concitandos, voluntatemque pelliciendam stimulos

acue-

acuere, augustiorem Sacræ Eloquutionis ornatum, Divinisque mysteriis explicandis aptum instruere facilè discent. Uno verbo: Qui nocturna, diurnaque, quod ajunt, manu egregium hoc Opus versabit, divinamque, quæ in eo prostat, Eloquentiam velut sponsam sibi adjungere satagет, haùd secùs ac Vir Mulieris à Salomone exquisitæ, profanis Rhetorum spoliis non indigebit. Hinc enim Orator suis numeris absolutus, facundus Evangelii Præco, electum Spiritus Sancti Organum prodibit, atquè è suggestu animos aureis catenis, Gallico potior Hercule, devinciet, perditos ad bonam frugem, probos ad pietatis apicem, omnes ad Deum, Celestemque Patriam adducet. Ut ipse intèr Ecclesiæ Magistros, ac Senatores nobilis sedeat, ac in die novissimo, cùm Divini Verbi corruptores sub Christo Judice contremiscent, securus videat, Sacræ Eloquentiæ laureâ, palmâque insignis. Publica igitùr luce hoc ad Sanctuarii lucernam vigilatum Opus dignissimum censeo, si Em. Vestræ ità videbitur, cum cæteroquì nec apicem habeat qui vel bonis moribus, vel Fidei doctrinæ adversetur. Neapoli è Dom Professa Soc. Jesu 20. Augusti 1698.

Em. Vestræ

Humillimus, & Addictissimus Servus
Thomas Strozza.

Attenta Relatione Reverendi Patris Revisoris quod potest imprimi. Imprimatur die 4. Septembris 1699.

JO: ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Januarius de Auria Canonicus Deputatus.

E C-

ECCELLENTISS. SIGNORE.

Michele Luigi Mutii publico Stampatore in questa Fedelissima Città, supplicando espone à V. Ecc. come desidera stampare un Opera intitolata *Theo-Rhetoricæ Idea ex Divinis Scripturis, & Ecclesiæ Mystagocis deducta, &c.* composta dal *P.Fr. Rafaele Maria Filamondo dell'Ordine de' Predicatori*, la supplica per tanto commetterla alla solita revisione, che l'haverà à gratia, ut Deus.

Reverendus D.Silvester de Fusco videat, & in scriptis referat.

ANDREAS REG. ANDREASSI REG.

Provisum per S.Exc.Neap.19.Julii 1697.

Mastellonus.

Cæteri Illustres, & Spectabiles Regentes non interfuerunt

EXCELLENTISS. PRINCEPS.

Inclytum Opus in Partes duas distributum, titulo prænotatum *Theo-Rhetoricæ Idea, ab R. A. P. M. Fr. Raphaele Maria Philamundo elucubratum*; ut Excellentiæ Tuæ jussa facerem, hilari oculo perlegi, toto animo hausi; & si fas est dicere, tàm inexplebili fame, instàr Prophæticum illud Ezechielis Volumen voravi, *ut factum sit in ore meo, tanquàm mel dulce*. Tantum abest quìn Regali Jurisdictioni minimum quid adversum habeat, ut Authoris calamus ad Catholicæ Majestatis obsequium factus videatur: imò Literariæ Reipublicæ summoperè profuturum indubitantèr asseram. Rhetoricam Facultatem jamdiù prophanis Gentilium amictam ornatibus, velutì *scænicam Meretriculam*, ità novis, ac divinis è Sacrario Scripturarum, Sanctorumque Patrum, delectis superinduit, ut deincèps utì *Regina illa in vestitu deaurato circundata varietate* in Ecclesia videbitur. Quæ societas lucis ad tenebras? Quid igitùr inposterùm Prophana cum Divina Rhetorica, quam prodit Author tot refertam luminibus, tot exornatam gemmis, tot comptam floribus? talia enìm sunt Sacrorum Scriptorum Authoritates, regulæ, exempla, testimonia: tàmque feracitèr adducta, tàm concinnè disposita, ut uno obtutu possit quis, & normam dicendi, & materiam insimùl assequi. Edatur ergò quantocyùs Opus hoc egregium, omnique studio elaboratum, non minùs ut publica luce fruatur, quàm ut Candelabrum aureum luceat in Templo, Verbi Dei Præconibus; cum Liber ex illis sit, quos Magnus commendat Cassiodorus: *Quatenùs in Ecclesia Domini, quasì quibusdam lampadibus competentèr accensis, totum nitidum*, *Lib. de Divin. lect. c. 15.*

to-

totum splendidum (præsertim in concionandi negotio) *Domino præstante colluceat*. Neap.Kal.Octobris 1698.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus, ac Devinctissimus Servus
D. Silvester de Fusco.

Visa supradicta relatione Imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON REG. ANDREASSI REG. GUERRERO REG. MERCADO REG.

Provisum per S.E. Neap. die 23. Novembris 1699.


Mastellonus.

Spectabilis Regens Andreas impeditus.

Indices Capitulorum, & Sectionum, quamvìs veniali lapsu exciderint è memoria, non tamèn admodùm desiderari censeantur, obviis unoquoque Libro Materiis dilucidatis.

LE-

LECTORI OPTIMO AUTHOR.



Lib. 1. Off. cap. 1.

1 

Quoniam verissimè D. Ambrosius: [*Nemo est, qui doceri non egeat dum vivit*] *me hoc in Opere Præceptorem agere nè suspiceris Lector. Satis mihi, superque, si ex animo dicere contingat cum* Augustino *octo illas Quæstiones à Dulcitio sibi propositas his verbis claudente.* [*Sicùt potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de istis rebus invenisti melius, sivè invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse.* Ego enim, *quod & suprà de me commemoravi,* magis amo discere, quàm docere.]

Doceri quemlibet oportet, dùm vivit.

Tom. 4. lib. de octo Qu. Dulcit.

Augustinus discendi cupidior, quàm docendi.

2 *Sanè si tot inter præclarissimorum Anthorum Scripta, qualescumque de dicendi Arte ingenioli lucubratiunculas, ut publicæ rei exponerem ipse, aliqua vellicatio pungebat: retrahebat extemplò oborta difficultas è limine perpendentem latè fusum opus, & multiplex, & propè quotidiè novum, & de quo numquàm dicta erunt omnia. Ad scribendum hoc tamen ipsum adegit, quòd scirem, de involutissima Facultate quantumlibet actum sit, nullum non laborem, nullam non ætatem, quæ utiliter agat, impendi. Liceat* Prudentium Aurelium *occinentem audire.*

Arduum, post plures Authores, scribendi opus.

Rhetoricæ nullus inutiliter labor impenditur.

Carm. Cont. Symm. Sect. 3.

Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum
Quod latuit: tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, & longo proficit usu.
Sic Ævi mortalis habet se mobilis ordo:
Sic variat Natura vices: Infantia repit:
Infirmus titubat pueri gressusque, animusque:
Sanguine præcalido fervet nervosa Juventa:
Mox stabilita venit maturi roboris ætas:
Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata, senectus.

Ætatū sibi succedentium varietas.

3 *Nec me, fateor, moverat ad hanc suscipiendam præduram de Theo-Rhetorica scribenda provinciam, humanæ vanegloriolæ prurigo: ut inter tot laborantes non otiosus viderer,*

rer, & ex longa studiorum consuetudine Minervam hanc promerem, proprio capite partam. Quippè noveram, nonnisi imperfectissimam prolem eniti; verumque cum eodem Prudentio *dicam.*

Non vereor, nè me nimiùm confidere quisquam
Arguat, Ingeniique putet luctamen inire. Epigr. 22.
Sum memor ipse mei, & satis mea frivola novi:
Non ausim conferre pedem, nec spicula tantæ
Indocilis fandi conjecta lacessere linguæ.

Optimum plura à pluribus discere.

4 *Palmas omnes promeriti qui præcessere Rhetores, nullam nobis reliquisse videntur novis sudoribus irrigandam. Planè ita sit: non tamen post tot, ac tantos Authores terrebor afferre quod aut ab illis didici, aut illis indicantibus adinveni. Liceat enimverò advenæ Ruth, post vestigia Messorum, spicas quæ illorum manus fugerint, adunare: sufficiet instituti rationem exposcere ab* Augustino. [*Videat ergo cui hoc in sermone meo displicet, utrùm alios in talibus rebus, quæstionibusque versatos intelligat..... Et si ita est, ponat Librum meum, vel etiam, si hoc videatur, abjiciat, & eis potiùs, quos intelligit, operam, & tempus impendat. Non tamen propterea putet, me tacere debuisse, quia non tàm expeditè, ac dilucidè, quàm illi quos intelligit, eloqui potui. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant Libros, & in istos saltem incidant. Ideoque utile est, plures à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide etiàm de quæstionibus eisdem: ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*] Lib. 1. de Trin. cap. 3.

Cum præsertim non omnia in cunctorum manus veniant.

5 *Affluunt Doctis scripta doctiora, & eruditissima Eruditis. Nos primis Artis Oratoriæ elementis Tyronem suscipimus inbuendum, testantes cum* Augustino: [*Non enim etiam si possent hæc à tardioribus tandem aliquando perdisci: nos ea tanti pendimus, ut eis discendis jam maturas, vel etiam graves hominum ætates velimus impendi. Satis est, ut Adolescentulorum ista sit cura: nec ipsorum omnium, quos utilitati Ecclesiæ cupimus erudiri: Sed eorum, quos nondùm magis urgens, & huic rei sine dubio postponenda, necessitas occupavit.*] Lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 3.

Labor assumptus Tyronibus instituendis.

Præcipuè Dominicanis Novitiis.

6 *Equidèm Dominicanis Novitiis, quibus hæc scribere fateor, Nostratum etiàm Opera, eaque Exterorum famigera-*

tis

tis Commentariis haud fortassis posthabenda, non desunt; præsertim Fr. Ludovici Granatensis *in Ascetica toto Orbe conspicui*, & Fr. Joannis Segobiensis: *qui post Sanctos Patres, de concionandi Munere primi scripsere. Alter enim Venetiis apud Zilettum* anno 1578. *sed multò anteà in Lusitania: alter Brixiæ apud Marchettum* 1586. *sed priùs in Hispania* anno 1573. *excusi: ille de Ecclesiastica Rhetorica, sex Libris: hic quatuor Libris de Prædicatione Evangelica, materiam complexi, eodem, ut reor, tempore floruere.*

Granatensis, & Segobiensi.

7 *Non tamen mihi arbitror succensendum, si novam ferè molitus eisdem offero* Theo-Rhetoricam, *idest Divinam, quia totalitèr sacram, de qua non dubito affirmare cum* Augustino. [*Magnum Opus, & arduum, & si ad sustinendum difficile, vereor nè ad suscipiendum temerarium. Ita sanè si de nobis ipsis præsumeremus. Nùnc verò cum in illo sit spes peragendi hujus Operis, à quo nobis in cogitatione, multa de hac re jam tradita tenemus: non est metuendum nè dare desinat cetera, cum ea, quæ data sunt cœperimus impendere.*]

Lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 1.

8 *Ad declarandam suscepti instituti rationem ista congessi. An Rhetorico stylo Rhetoricam tractem? id tibi spondere non ausim: qui non quemadmodùm, sed quæ scriberem aggressus: nec Orationis compositioni, sed conficiendæ Regulis intentus, solicitiorem litteraturæ operam navare Tyronum captui incommodam, non duxi. Nec nisi magni æstimanda quæ* Magnus *profitetur* Gregorius. [*Quæso autem, ut hujus Operis dicta percurrens, in his* verborum folia *non requiras: quia per Sacra Eloquia ab eorum Tractatoribus infructuosæ loquacitatis levitas studiosè compescitur, dum in Templo Dei*, nemus *plantari prohibetur. Et cuncti proculdubiò scimus: quia quotiès in foliis malè lætæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Undè & ipsam* loquendi Artem, *quam magisteria Disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam, sicùt hujus quoquè epistolæ tenor enunciat, non* metacismi *collisionem fugio, non* barbarismi *confusionem devito: situs, modosque, & propositionum casus servare contemno: quia indignum vehementèr existimo, ut verba Cælestis Oraculi restringam* sub regulis Donati.

Epistol. ad Leand. præfixa Lib. Mor.

Gregorius fatetur se Regulis non subiectum, etsi elegantissimè scripserit.

Nemus plantari in Templo Dei prohibitum.

9 *Sit verò mihi hac non electio ex arbitrio, sed necessitas ex inopia, quodcumque Opus hoc Novitii Rhetores æqui, bonique faciant: quibus dicam cum* Augustino [*Fortè enim eo modo satis sit vobis si aliquid agimus: si labor sudorque noster non est infructuosus.*] *Qui se ad hac carpenda accingunt, monentem vellem ut audiant* Gregorium: [*Rectiùs agunt, si*

Enarr. in ps. 103.

Proæm. in lib. Reg.

opus nostri laboris ea charitate, quâ ad utilitatem parvulorum Sanctæ Ecclesiæ impenditur, amplectantur: & pro reprehensionum molestia nobis in tanta Scripturæ profunditate, velùt altissimo pelago laborantibus, præsidia orationum ferant.] Quæ Dominus immerito largiri dignatus est, à Domino accipiant: in quo nos peccavimus, ut nostrum vel corripiant, vel ignoscant. Etenim nedùm, & præcipuè, S. Matris Romanæ Ecclesiæ infallibili judicio, sed cujusvis censorio calculo, meum istboc Opus, volens, libensque subjicio: nil tamen pendens Momi dentem, bona, & mala aliorum (ut noster Nazianzenus) *promiscuè arrodentem.*

Linguæ pravus usus.

. . . . At Momus petulans arrodit utramque
Dente pari. Quid enim linguâ præstantius esset,
Pectora si tantùm morsu vitiosa protervo
Impeteret? Verùm nullo discrimine, in omnes
Evomit hac rabiem. *Carm. 3.*



PRÆ-

PRÆLUDIUM OPERIS

SECTIO I.

Sæcularis Rhetoricæ facies.

1 I communem Eloquentiæ Iconographiam delineare in animo esset, nihil Sacram, Prophanamque discerneret, cum utriusque eadem sit definitio: *Ars benè dicendi*; finis idem: *Vis persuadendi*; Materia concors: *Omnia*, *& qui super omnia Deus*, mundum tradens disputationi hominum; Partes unius rationis: *Inventio, Dispositio, Eloquutio, Memoria, Pronunciatio*; Etymon ex Græco ῥέω *rheo, dico, loquor*; undè ῥήτωρ *Rhetor*, Orator, Causidicus.

Plura Rhetoricæ Ecclesiasticę, & Sæculari communia.

2 Verùm eam, quæ juri dicendo destinata ad fori strepitus togata ingenia vocat: vel civilibus formandis moribus, aut virtutis non ultrà humanum, laudibus insistit, Sæcularis Rhetoricæ faciem nuncupamus, *Tertulliani* designatione nemini non conspicuam, ceù quæ [ad gloriam propriæ Artis inflavit *præstudio* (non mirum si istud ita dixerim) *Eloquii* quidvis struere, atque destruere eruditi: magisque *dicendo persuadentis*, quàm docendo. Formas rebus imponit: eas nùnc peræquat, nùnc privat: de certis incerta præjudicat, provocat ad exempla, quasi comparanda: omnia præscribit, proprietatibus etiam inter similia diversis: nihil divinæ licentiæ servat, leges Naturæ opiniones suas facit...... Latè queruntur incerta, latiùs disputantur præsūpta: quanta difficultas probandi, tanta *operositas suadendi*.]

Quæ Sæcularis Rhetoricæ facies?

Lib. de Anima cap. 2.

Ejus defectus.

3 Noveris quo eam *Augustinus* appellet nomine loquens de Simpliciano sibi vitam Victorini Rhetoris narrante. [Postquàm verò, & illud addidit, quod Imperatoris Juliani temporibus, lege lata prohibiti sunt Christiani docere Litteraturam, & *Oratoriam*, quam legem ille amplexus *loquacem Scholam* deserere maluit, quàm verbum tuum, quo linguas infantium facis disertas, &c.] Et *S. Paulinus* inter vanas Gentilium scientias reponat.

Lib. 8. Confess. cap. 5. ini.

Schola loquax dicta ab Augustino.

Quam

Quamvìs Sophorum callida, Arſque Rhetorum, & *In Carm. 1. ad Auſo.*
Figmenta Vatum nubilent,
Qui corda falſis, atque vanis imbuunt,
Tantùmque linguas inſtruunt:
Nihil ferentes ut ſalutem conferant,
Quod veritatem detegat.
Quid enim tenere, vel bonum, aut verum queant
Qui non tenent ſummum Caput
Veri, bonique fomitem, & fontem, Deum,
Quem nemo, niſi in Chriſto, videt?

4 Commendamus tamen, & ſuſpicere non deſinimus Sapientes, Fidei quidem luce deſtitutos, ſed multo Naturæ lumine colluſtratos, Rhetoricæ præcepta tradentes,& noſtro etiam uſui miniſtrantes. Quibus proindè nonnullam operam ſe navare teſtabatur *Hieronymus*.[Operis mei eſt,& ſtudii, multos legere,ut ex pluribus diverſos flores carpam:non tàm probaturus omnia, quàm quæ bona ſunt, electurus.Aſſumo multos in manus meas,ut à multis multa cognoſcam.]

Veteres de Rhetorica, & eruditionibus benemeriti.

Lib. advers. Vigil.

Cautè legendi.

5 Et meritò quidem; ut enim monebat *Caſſiodorus*: [Origo ſæviſſimi erroris eſt, in ſuſpectis Authoribus amare totum: & ſinè judicio defendere velle quod invenis. Scriptum eſt enìm: omnia probate, quod bonum eſt tenete.] Suſpecti quippè ſunt cum quibus Religione non convenimus. Hinc fatetur *Hieronymus*: [Pluſquàm quindecim anni ſunt, ex quo in manus meas nuſquàm Gentilium litterarum quilibet Author aſcendit. Et ſi quid fortè, dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulam ſomnii recordamur.]

Lib. de Div. Lect. cap. 4.

Lib. 3. in epiſtol. ad Gal.

6 Non ab omni cenſura liberam puto quorumdam Chriſtianæ Oratoriæ Scriptorum (parcatur audaci verbo) libidinem, qua in Rhetorica tradenda, Gentilium ſapientiæ plùs juſto famulantes, in ejus Regulis, àc præceptis ad praxim reducendis, ex Infidelium Authorum bibliotheca exẽpla eruunt: vixque unam, aut alteram ex Divinis Scripturis, & Sanctis Patribus authoritatem interſerere dignantur. Quaſi de Oratoria Facultate nil poſſet cognoſci, niſi Tullius (iſque frequentiſſimè) Demoſthenes, Virgilius, Ovidius, Perſius, Plautus, Euripides, conſimiliſque notæ homines, dum viverent utplurimùm reprobæ conſuetudinis, ſaltèm damnatæ memoriæ, revocarentur ab Orcho.

Rhetoricę Scriptores Chriſtiani immodicè Gentilium Authorũ ſtudioſi.

7 Interìm Eruditiſſimis Eccleſiæ Doctoribus (quibus ſæculi Moroſophos comparare injuria foret) in partem ſeque-

questratis, Fidei hostes in admiratione habentur. Illudque adminùs sequitur malum, quod vocata ad dicendi peritiæ disciplinam Adolescentia, prophanis imbuta verbis, conspurcatur in moribus. Ideo *Lactantius*: [Et in hoc Philosophi, & Oratores, & Poëtæ perniciosi sunt, quòd incautos animos facilè irretire possunt *suavitate sermonis*, & carminum dulci modulatione currentium: *mella sunt hæc venenum tegentia.*]

Lib. 5. Instit. cap. 1.

Exempla ex Gētilibus utplurimùm deprompta pro Regulis.

8 Equidèm ad summum trahitur salutis discrimen ætas mollior, & imprimendis turpium imaginibus apta, dum in hujuscemodi libris legit quod fingitur, imitandum sibi credit quod agatur: artem callet malè vivendi, dùm benè dicendi percipit artificia: exemplar pravi operis in exemplo recti sermonis addiscit:& adepta vim alios persuadendi, ad sui ruinam ipsa sibi suadela est. Quod advertit idem *Lactantius*: [Et Comicæ fabulæ de stupris Virginum loquuntur, aut amoribus meretricum: & quomagìs sunt *eloquentes* qui flagitia illa finxerunt, eomagìs *sententiarum elegantiâ persuadent*: & faciliùs inhærent Audientium memoriæ versus numerosi, & ornati. Itèm Tragicæ Historiæ subjiciunt oculis parricidia, & incesta Regum malorum, & *cothurnata scelera demonstrant.*]

Sæpè exitiosa Juvenibus Discipulis.

Lib. 6. cap. 20.

9 Hujusmodi ferè sunt quæ ad Regulas explanandas adhùc ab Orthodoxis Rhetoricæ Præceptoribus afferuntur, quos *Augustinus* culpare non omittit. [Periculosiùs autem errant quidam infirmi Fratres, qui cum istos Impios (*Gentiles Authores intelligit*) de cœlestium corporum numeris, vel de quibuslibet elementorum mundi hujus quæstionibus subtiliter, & copiosè disserere audiunt, *evanescunt*, & eos sibi cum suspirio præponentes, & *Magnos* putantes: saluberrimæ pietatis libros *cum fastidio* repetunt: & quos dulciter *haurire* deberent, vix patientèr *attingunt*, à segetis asperitate abhorrentes, & *spinarum floribus* inhiantes. Non enim vacant videre quàm suavis est Dominus, nec * in Sabbatho esuriunt: atqueadeò pigri sunt, potestate à Domino Sabbathi accepta, vellere spicas, & tamdiù versare manibus, contritasque purgare, donèc ad escam perveniant.]

To. 3. lib. 5. de Genes. ad litt. cap. 20.

Culpantur Oratores Christiani in illorum exēplis copiosè afferendis.

* *Stylus Allegoricus.*

10 Meritò redarguuntur qui ad Sæcularis Eloquentiæ lapidem stylum probant, & gladium Spiritûs, quod est verbum Dei, ad Alienigenarum cotem exacuunt. Namquè super ea verba: Descendebat ergo omnis Israël ad Philistiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Retusæ igitur erant acies vome-

1. Reg. cap. 13.

me-

merum, & ligonum, & tridentum, & securium, usquè ad stimulum corrigendum;perpendit subtiliter *Beda*: [Descendunt, & hodiè nonnulli, relicta altitudine verbi Dei ..... Et legendo Dialecticos, Rhetores, Poëtasque Gentilium, *ad exercendum ingenium terrestre*,quasi ad fabros Philistiim pro exacuendis sylvestris culturæ ferramentis; inermes, hoc est spirituali scientiâ privati, conveniunt.] Timendum cum *Tertulliano*: [Nè illæ litteræ nugatrices *vicariæ oris nostri* in die Judicii adversùs nos proferantur.]

Velùt arma ad alienorum cotē exacuentes.

Non finè discrimine in die retributionis.

Lib. de Idol. cap. 23.

11 His ego perterritus, & gravissima permotus admonitione *Gregorii* ad illud: Recedant vetera de ore vestro, dicentis: [Vetera verò loquitur qui postpositis Sacræ Scripturæ Eloquiis, sæcularibus verbis occupatur ..... Vetera quippè sunt verba sæculi: quia dùm in eis loquentis animus per intentionem figitur, devotionis suæ decore spoliatur.] A' Sacræ Rhetoricæ facie delineanda, quorumcumque Gentilium Authorum, (Quintiliano admisso, à quo Artis præcepta sumere non tàm fuit electionis, quàm necessitatis) omnem manum excludo, nèc verbo quidèm usus, quo Artis Regulas explicarem.

Vetera loqui quid significet?

Lib. 2. in 1. Reg.

Quintiliā. Rhetoricę pręcipuus Institutor.

12 Quid verò de Seneca? Ancipitem certè me tenuit Viri sapientia, qua non modò Moralis Philosophi agnomen, unanimi omnium plausu meruit: sed & Christianis Institutis tàm propinqua monita scripsit, ut vix à vero deviam censeamus quorumdam opinionem, Paulo tandem dedisse manus, & superstitioni vale dixisse: quod optare quidèm, sed affirmare non possumus. Quamvìs epistolæ quædam circumferantur Pauli ad Senecam, & hujus ad illum, quarum meminit *Augustinus*. [Meritò ait Seneca, (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum Apostolum leguntur epistolæ) omnes odit, qui malos odit.]

Epistolæ Senecæ ad Paulum, & hujus ad illum.

Senecę adagium.

To. 2. epist. 54. med.

13 Hìnc factum arbitror, ut speciosum titulum *Nostri* ei Nostrates concesserint. Ideòque *Tertullianus*. [Sicùt & *Seneca* sæpè *Noster*: Insita sunt nobis omnium Artium, & ætatum semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia.] Ejusdemque mentionem faciens superstitiones Romanorum redarguentis. [O impiæ voces! o sacrilega convicia! infrendite, inspumate: Jidem estis, qui Senecam aliquem pluribus,& majoribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis.] Scripsit enim librum contra superstitiones, ut refert Augustinus. At verò *Hieronymus*. [Scripserunt Aristoteles, & Plutarchus, & *Noster Seneca* de Matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista, quæ

Nostri titulo à Christianis Scriptoribus decoratur.

Lib. de Anima cap. 20.

Gentilium superstitionē improbavit.

Apolog. cap. 12.

Lib. 6. de Civ. cap. 5.

To. 1. lib. 1. adv. Jov. ad fi.

quæ subjicimus: Amor formæ, Rationis oblivio est, & insaniæ proximus.] Et hos quidem libros de superstitionibus, & de Matrimonio deperditos affirmat Ludovicus Vives ad nuper citata Augustini verba. Ejus quidam libri deperditi.

14 Mirandum tamen magis, quod *Hieronymus* in Cathalogo Scriptorum Ecclesiasticorum Senecam apponit, inquiens. [Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Photinis Stoici discipulus, & Patruus Lucani Poëtæ, continentissimæ vitæ fuit. Quem non ponerem in Cathalogo Sanctorum, nisi me illæ *Epistolæ* provocarent, quæ leguntur à pluribus Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus, cum esset Neronis Magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium, quàm Petrus, & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est.]

To. 1. epist. ad Dext. Ecclesiasticis Scriptoribus à Hieronymo admeratus.

15 Harum epistolarum transumpta collegit *Fr. N. Laudensis* (nomen enim conticuit) Ordinis Prædicatorum in quodam Collectaneo variarum rerum scitu dignarum impresso Venetiis apud Joannem Baptistam Sessa anno 1501. Et post ipsum Noster etiam *Xistus Senensis*, octo quidem Senecæ, Pauli verò sex, de quibus ait. [Attestantur his epistolis nonnulli ex vetustissimis Patribus. In primis verò Linus, secundus post Petrum Pontifex, qui in principio libri de Passione Pauli, loquens de amicitia Pauli, & Senecæ, sic ait: Concursus de domo Cæsaris fiebat ad eum. Sed, & Institutor Imperatoris adeò fuit illi amicitiâ copulatus, videns in eo divinam scientiam, ut se à colloquio illius temperare vix posset: quominùs si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis, & acceptis epistolis, ipsius dulcedine, & amicabili colloquio, atque consilio frueretur. Et D. Hieronymus, &c.]

Ejus epistolæ ad Paulum à quo collectæ.

Lib. 2. Bibliotb. Sancta Litt. P.

A' nonnullis ex Ecclesiæ Patribus citatæ.

16 Quod si epistolæ illæ stylum Senecæ non oleant, hoc de industria actum idem *Xistus* testatur. [Videtur autem Seneca stylum suum aliquantulùm obumbrasse de industria, & dissimulasse, ut si fortè in alienas manus epistolæ venissent, etsì inscriptæ nomine Senecæ, potuissent nihilominùs in periculo non videri Senecæ. Periculum enim erat, & contrà Imperatoris tùnc Edictum, Christiani, aut Judæi familiaritate uti.] Illis aliquid existimationis Catholici detulerunt: & ut addit idem *Xistus*, [Scripsit in has epistolas breves Commentariolos Jacobus Faber Viennensis Episcopus.]

Ibid. In ejus cur stylus inelegans?

Ibid.

17 Verùm non hoc probat Senecam Christianum, quia

Christianis benè affectus.

ut laudatus *Xistus* fatetur: [Huic Paulus rescripsit sermone, ut creditur, latino epistolas sex parvas, ac familiares, scribens ad eum, non ut ad Regeneratum, & ut planè Fidelem, sed ut amicum, & qui Christianos non odio, sed benevolentiâ prosequeretur, & qui disciplinam probaret eorum.] Quid autem conscientiâ probare Christianam disciplinam, & actis Idololatriæ impugnare: publicè (ut Gentilibus morem gereret) damnare quod privatìm sentiret? *Ibid.*

18 Illum ideo redarguit *Augustinus*. [Sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt, tamen quia Illustris Populi Romani Senator erat: colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat (*Idola*) adorabat. Quia videlicèt magnum aliquid Philosophia docuerat, nè superstitiosus esset in mundo. Sed *propter Leges Civium, moresque hominum*, non quidem ageret fingentem Scænicum in theatro, sed imitaretur in templo: eò damnabiliùs, quò illa, quæ *mendacitèr agebat*, sic ageret, ut eum Populus veraciter agere existimaret.] Et nos igitur Senecam cum Gentilibus damnatum inter Gentiles relinquimus. *Lib. 6. de Civ. cap. 10.*

Christianæ tamē Fidei nomen non dedit.

SECTIO II.

Theo-Rhetoricæ Effigies.

1 Potueram, nec temerè, ad Theo-Rhetoricę Ideam delineandam etiam Gentilium uti pennicillo, quod præcipui Nominis Scriptores præstitere, eâ laudabili sententiâ, ut Paulo Seneca, Tullius Christo, Cœlesti Sophiæ humana eruditio famuletur. Quidni enim si in pluribus errarunt? In multis profuerunt. Certè dixerat *Tertullianus*: [* Hæreticorum *Patriarchæ* Philosophi] Et tamen ad Gentiles convincendos, quod dogmata Orthodoxæ Fidei non adversentur rectæ Rationi, quantum naturalis Philosophia subserviit? Quantum in captiosis Hæreticorum tricis enodandis, in falsitatum chimæris transfigendis, tractatus catholica manu valuit Peripateticus mucro? Quotiès contra Novatores Antagonistas ductus in palæstram Aristoteles disputavit? Non ergo nefas, si Christianis Oratoribus instituendis, Tullius, Seneca, Maro aliquid adjicerent famulatûs. *Lib. adv. Hermog. c. 8.*

Philosophi appellati Hæreticorum Patriarchæ.
* Epithetum.

2 Nec ipse quidem inficior. Sed pudebat, Christianam Eloquentiam tàm angustæ rei videri: ut nisi Ægyptiacis divi-

vitiis vestita, Sidonio calamistro compta, procedere nequiret in publicum. Hinc, ut cognosceretur his dextrariolis non egens, affluenter ornata monilibus suis, ac Sacræ Scripturę, Sanctorumque Patrum thesauris, velùt Regina in vestitu deaurato circumdata varietate, sacra me quædam ambitio extimulavit. Quæ enim grandia tanti fieri merentur in Exteris, ut in Nostris non observentur majora? Exemplum sit in hoc duplici Tropo, scilicet Metonimia, & Energia: [Aquæ quoque separantur, & ipsa Naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt. Hi * *nives*, illi *glaciem* potant, * *pœnasque montium* in voluptatem gulæ vertunt.]

Plin. lib. 19. cap. 4.

* *Metonimia. Causa pro effectu.*
* *Energia.*

3 Sed quantò elegantiùs, de ignivomis Æthnis loquens, *Tertullianus*? [Dissiliunt superbissimi montes ignibus intrinsecùs fœti. Et, quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum *devorentur*, numquàm tamen finiuntur. Quis hæc * *supplicia* interìm *montium* non judicii minantis exemplaria deputabit?] Et alibi copiosiùs. [Specta portentosissimam Archimedis munificentiam, Organum Hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compages, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tybiarum, & una moles erunt omnia. Sic, & Spiritus, qui illic * *de tormento aquæ anhelat*, nō ideo separabitur in partes, quia per partes administratur, substantiâ quidem solidus, operâ verò divisus.] Quo exemplo aliis innumeris hoc in Opere observandis prælusisse sufficiat.

Lib. de Pœnit. cap. 12.

Lib. de Anima cap. 14.

Ignivomi Vulcani indices ignis æterni.

* *Energia.*

Organum Hydraulicum.

* *Energia.*

4 Si autem nedùm fructifera Eloquentia exquiritur, sed florulenta, illis videlicèt amœnitatibus, & argutiis ornata, in queis excogitandis humanum ingenium sibi plusnimiò solet indulgere: nè jactantiæ Lector adscribas, si spondeam elegantiores, & sublimiores in his Theo-Rhetoricę libris deprehendendas, judicio penès te relicto in eis discernendis ab evanidis Sæcularium Authorum flosculis: flores enim Divinæ Sapientiæ fructus sunt honoris, & honestatis. Hinc sermones de Deo institutos, *Gregorius Nyssenus* vocat * *Sermonum lilia*. Hortum planè invenies deliciarum, teste *Ambrosio*, [in quo non spinarum offendat asperitas, sed gratia circumfusa clarescat.]

Theo-Rhetorica honestis floribus abundans.

Eccli. 24.

* *Metaphora. De Genere ad Genus.*

Lib. 7. in Luc.

5 Quia verò singularem in hoc Opere concinnando laborem assumpsimus, nedùm universas Artis Regulas sacris tantummodò exemplis explicando, sed quamplurimas addendo noviter inspectas in Sanctis Patribus, & Sæcularibus Authoribus ignotas, observationes Ecclesiasticæ Rhetoricæ

proprias, quas speciali notâ asterisci signare, (ut quidam monebat) superfluum, & ostentatitium duximus: non abs re erit novis, & instituto propinquioribus verbis Theo-Rhetoricam definire, ac veluti colorare. Potest proinde sic describi. *Sacra Facultas proponendi Verbum Divinum ornatè, & efficaciter: habens ex Scripturis, & Patribus, veritatem ad erudiendum in justitia, venustatem ad delectandum de honestis, robur ad convincendum de æternis.*

Singularitèr describitur.

6 Sic prodit, duce *Tertulliano* [Sapientia de Schola Cœli:]Divinis videlicèt coloribus de Sacrorum Voluminum apothecis depicta, ex quibus desumpsit omne quod est, & valet. Quam aptè porrò ex his sibi eruditiones,& efficaciam providerit, rectè æstimaveris, si de Canonicis Libris loquêtem audias *Augustinum*. [*Modus* autem ipse *dicendi*,quo Sacra Scriptura contexitur,quę omnibus accessibilis,quamvìs paucissimis penetrabilis: ea, quæ apertè continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum: ea verò, quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quos non solùm manifestâ pascat, sed etiam secretâ exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens.]

Lib. de An. cap. 1.

Sacra Scriptura omnibus accessibilis, paucis penetrabilis.

To. 2. epist. ad Volus.

7 Illa etiam Theo-Rhetoricæ accedit prærogativa,quod ejus venustissima species animum rapiat Oratoris,mentemque abstractam à fluxis, perpetuis rebus addicat, participatâ à Divinis Scripturis efficaciâ, quam laudat *Augustinus*. [Geminum confert donum lectio Sanctarum Scripturarum: sivè quia intellectum mentis erudit: seù quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multùm ad emendationem animi proficit: sicùt enim ex carnalibus escis alitur caro; ita ex Divinis Eloquiis interior homo nutritur, & pascitur. Sicùt Psalmista ait. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel ori meo!]

To. 10. ser. 112. de Tēp.

Ad Dei amorē ducit.

8 At ex ejus simplicitatis superficie quis profundum abyssi dimetiatur, & eloquentiæ altitudinem assequatur? ut autem de ceteris Canonicis Scripturis taceam: quis Paulum laudare poterit, nisi Paulus, teste *Gregorio*, [illud * *ingens labium Sanctæ Ecclesiæ*?] Quis dignis encomiis prosequatur, ut eum *Chrysostomus* appellat, [* *Christi Rhetorem, mundi Piscatorem*, qui quatuordecim per epistolas, velùt spiritualia retia,ad salutem captat?]Quàm verè scripsit *Augu-*

Lib. 1. in lib. Reg. cap. 1.

Pauli Apostoli encomia varia. * *Epitheta.*

Hom. 6. de Panis.

Lib. de Spir. & Litt. c. 13. to. 3. gustinus. [Non enim spiritum hujus mundi accepimus, ait idem ipse * constantissimus Gratiæ Prædicator, &c.] de Paulo loquitur, de quo, & infrà agens subdit: [Nè merces non imputetur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: *Ibid. cap. 24.* atque ita Gratia jam non sit Gratia, *cujus * vehemens defensor est, atque assertor* Minimus Apostolorum.] Et *Ambrosius*, si ejus sunt duo libri *de vocatione Gentium*. [Sed hanc *Lib. 1. de Voc. Gent. cap. 9. ad fi.* insanissimam superbiam in eadem epistola * *Excellentissimus Gratiæ Prædicator* elidit, dicens, &c.] * *Epitheta.*

Actor. 14. 9 Sanè Lycaonici cœlestem ejus eloquentiam audientes, vocabant Paulum Mercurium, quoniam ipse erat Dux verbi. Sed fallebantur: non enim Poëticâ, sed Divinâ Sapientiâ pollebat. Unde *Chrysostomus*. [Cum igitur Paulum *Lib. 4. de Sacerd. circa fi. to. 5.* constat, tùm ante miraculorum editionem, tùm in mediis ipsis miraculis *magnam* adhibuisse *eloquentiam*: qua fronte jam substinebunt, Idiotam illum vocare, cujus magna fuit apud omnes, quà disputantis, quà concionantis admiratio? Quamobrem enim Lycaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt? Nam quod Paulum, & Barnabam deos esse crederent, id à signis editis fiebat. Quod autem Paulum Mercurium esse vellent, id non jàm à signis, sed *ab eloquentia* nascebatur.] A Lycaonibus Mercurius creditus, ob miram ejus eloquentiã.

Ibid. 10 Elucet autem in ejus epistolis Divina hæc eloquendi efficacia, quam idem *Crysostomus* testatur. [Cujus certè Scripta instar muri ex adamante constructi, omnes Orbis universi Ecclesias quovis in loco positas circumvallant. Idemque ille fortissimi, ac generosissimi bellatoris exemplo, medius etiam nùnc stat, captivam ducens omnem cogitationem ad obediendum Christo: itemque, & consilia, celsitudinemque omnem adversùs Dei cognitionem se se extollentem demoliens. Quæ omnia ille perfecit per illas ipsas, quas nobis reliquit epistolas admirabiles, easdemque Divinâ Sapientiâ refertas. &c.] Quæ in ejus epistolis nitet. Infidelitatis triũphum agens.

Ser. de Natin. 11 Et de gratissima Psalmographi eloquentia illustre *Petrus Damianus* reddens testimonium, ait. [Olim mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur Carmina Poëtarum, Philosophi verbis aureis insplendebant, & Sirenes usque ad exitium dulces meum incantaverant intellectum. Lex, Prophætæ, Evangelium, epistolæ, & omnis gloria sententiarum Domini mei, & Servorum ejus, aut parva videbantur, aut nulla. Nescio modò *quid dulcius* immurmurat Filius Jesse, qui vario sermonum, & sententiarum concentu, *omnes illos*, quos diligere consueveram, *ineloquentes reddidit, & mutos.*] Arcana in Psalmis Davidicis eloquentia.

12 De

12 De Sacrorum verò Voluminum eloquentia specialem tractationem instituturi, hìc addere satis est gravissimam *Augustini* ponderationem. [Possem quidem, si vacaret, *omnes virtutes, & ornamenta eloquentiæ*, de quibus inflantur isti, qui linguam suam, Nostrorum Authorum linguæ, non magnitudine, sed tumore præponunt, ostendere in istorum Libris Sacris, quos nobis erudiendis, & ab hoc sæculo pravo in beatum sæculum transferendis Providentia Divina providit. Sed non ipsa me plùsquam dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his Viris cum Oratoribus Gentilium, Poëtisque communia. *Illud magis admiror, & stupeo*, quod istâ nostrâ eloquentiâ ita usi sunt per *alteram quamdam* eloquentiam suam, ut nec eis deesset, nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat: quorum alterum fieret, si vitaretur: alterum putari posset si facilè agnosceretur. &c.]

Tom. 3. lib. 4. de doctr. Chr. cap. 6.

Eloquentia alia, & propria solius Sacræ Scripturę.

13 Quanta insuper sit Sanctorum Patrum in dicendo facundia, quis profari pro dignitate sufficiat? Eos sæpissimè miraberis in hoc Opere: Tertullianum, ob styli vivacitatem, frequenter: Origenem rarò. Licèt enim de eo scripserit *S. Vincentius Lyrinensis* [Eloquentiam verò quid commemorem, cujus fuit tàm amœna, tàm lactea, tàm dulcis Oratio, ut mihi ex ore ipsius non tàm verba, quàm mella quædam fluxisse videantur.] Sæpiùs tamen illum *Hieronymus* corripit, quòd [Liberis Allegoriæ spatiis evagatur: & interpretatis nominibus singulorum, * *ingenium suum facit Ecclesiæ Sacramenta.*] Et translatos ex Græco libros *Peri-archon* περὶ ἀρχῶν, seù *de Principatu* mittens Avito, scribit: [Accipe igitur quod petisti, sed ita ut scias, detestanda tibi in eis esse quamplurima, & juxtà sermonem Domini, inter scorpiones, & colubros incedendum.]

Common. 1. cap. 23.

Prol. Com. lib. 5. in Isa.

Epistol. ad Avit.

Origenes cautè legendus.

* *Metonimia. Potëtia pro actu.*

14 Rore itaque lucis, quem præcinuit Isaias, ex Divinis Litteris colligentes, in præstantissimos temperato colores, Ecclesiæ Mystagogi, Theo-Rhetoricæ Artis Ideam absolutissimè depinxerunt, dulcissimam, floridam, gratiosam. Nam ut ait *S. Paulinus*: [Rore Cœli, & *divinarum* * *floribus gratiarum*, mella sapientiæ condiderunt.] In illius decenti graphia, dicam cum *Nazianzeno*, eruditionum lumina, velut [*sermonis* * *radios*] adhibuere: ac sibi à spiritu ardoris mutuatam, adjiciam cum Ennodio, [*lucem loquuti sunt.*] In eorum authoritatibus adducendis modum, fatebor quidem, excessi: sed facilè veniâ dignus, ceù qui gravissimis illorum verbis meas, pro Regularum exemplis, interserere

Epist. 4.

Orat. de Pace.

Lib. 1. epist. 19.

* *Metaphora De Genere ad Genus.*

* *Metaphora. De Genere ad Genus.*

rere nugas, crimen duxerim: & frequentioribus Patrum dictis nonnumquàm fusis, ad præceptorum praxim comprehendendam, super elaborata aliorum studia, censuerim juvatos iri Tyrones, quibus etiam copia suppeteret, labor levaretur concionibus formandis.

15 Jamdudùm animus fuit Sacram Lectoribus Eloquentiam offerre haud Poëticis compedibus captivatam: studiis enim sublimioribus insistenti Pierides non licet colere. Unde *S. Paulinus*.

Carm. 1. ad Anson.

Quid abdicatas in meam curam Pater
 Redire Musas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
 Dicata Christo pectora.
Fuit ista quondàm, non ope, sed studio pari
 Tecùm mihi concordia:
Ciere surdum Delphicâ Phœbum specu,
 Vocare Musas Numina.

S. Paulinus Poësim abdicat.

Epist. 7. ad Sev.

Qui alibi excusat se quod Maronis quadam phrasi sit usus: [Denique meministi in Virgilio, *Furiam iis laudari, quæ solent objici*. Vide autem, ne mihi calumnieris, quod aliquid de Poëta, *non nostri jam studii*, tamquàm propositi violator, assumpserim. Exempli tui authoritate hoc me fecisse contestor. Teneo enim epistolam tuam, cui clausula est: *Vivite felices quibus est fortuna peracta.* Sed & illam, in qua pro domestica sede, *Larem familiarem*, Plautini memor Prologi, nominasti.]

Excusat se quod Poëtæ verba usurpasset.

Lib. 5. Instit. cap. 1.

16 Sed & hoc dare decrevi Sæcularium genio, non oblitus animadversionis *Lactantii*. [Adeò nihil verum putant, nisi quod *auditu suave est*: nihil credibile, nisi quod potest incutere *voluptatem.*] Sciens etiam à Paulino non inhibitam Jovio Poësim, sed ad excelsiora transferendam.

Creditur quod voluptatem ingerit.

In Carm. ad Jov.

Non modò judicium Paridis, nec bella Gigantum
Falsa canis: fuerit puerili ludus in ævo
Iste tuus quondàm: decuerunt ludicra parvum.
Nunc animus gravior, quantum provectior annis,
Aspernare *leves* maturo corde *Camænas*.

17 Prætereà certissimum est, plures Sacræ Scripturæ libros diverso Carminum genere exaratos, ut de libro Job testatur *Hieronymus*. [A principio itaque Voluminis usque

Præf. in lib. Job.

ad

Sacræ Scripturæ plures libri rhythmis conscripti.

ad verba Job, apud Hebræos prosa oratio est. Porrò à verbis Job, in quibus ait: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo, usque ad eum locum, ubi ante finem Voluminis scriptum est: Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere: Hexametri versus sunt, dactylo, spondæoque currentes: & propter Linguæ idioma crebrò recipientes & alios pedes non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdùm quoque rhythmus ipse dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum solutis, quod Metrici magìs, quàm simplex lector, intelligunt. A supradicto autem versu ad finem libri, parvum comma, quod remanet, prosâ oratione contexitur. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicèt esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphûs, vel Psalterium, vel Lamentationes Hieremiæ, vel omnia fermè Scripturarum Cantica comprehendi, legat Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio, me verum dicere comprobabit.]

Sancti Patres à Poësi nô abhorrentes.

18 Hinc Ecclesiæ Patres, inter prophanos olìm calamos errantes Musas, Sacri Jordanis indigenas reddidere. Quare *Sedulius* Præsbyter in Opere illo Mirifico de Christi Jesu miraculis eleganti carmine ducto, ait.

Lib. 1. Operis Pasch.

Cum sua Gentiles studeant figmenta Poëtæ
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu;
Ridiculove Getæ, seù qualibet arte canendi,
Sæva nefandarum renovent contagia rerum,
Et scelerum monimenta canant, rituque magistro,
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego Davidicis assuetus cantibus Odas
Chordarum resonare decem, sanctoque verentèr
Stare Choro, & placidis Cœlestia psallere verbis,
Clara salutiferi taceam miracula Christi?

Seculi genio grata.

19 Neque hoc ergo quodcumque voluptatis genus Theo-Rhetoricæ deesse volui, selectâ ex Christianis Poëtis exemplorum tàm excedente abundantiâ: ut contrà eam quælibet prophanorum copia à ceteris Oratoriç Artis Scriptoribus allata, nè quoad numerum quidem, multominùs quoad elegantiam, stare possit: sperans, non modò gratiùs & accipi laborem, & percipi Regulas, sed moribus formandis delectabiliùs cooperari. Nam, ut monet *Lactantius*: [Circum-

Lib. 5. Instit. cap. 1.

cumliniatur modò poculum cœlesti melle sapientiæ, ut possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari: dùm *illiciens prima dulcedo*, acerbitatem saporis asperi, sub prætextu suavitatis, occultat.] Et *Cyprianus* epistolam poësi ligatam mittit ad quemdam Senatorem ex Christiano Idololatram factum, ut resumptæ impietatis vinculo solveret. Illiciens ad bonum dum obleɛtat.

Epist. ad Senator.

.... Quia carmina semper amasti,
Carmine respondens, properavi scribere versus,
Ut te corriperem tenebras postponere luci.

Ibid. Tandem citatus *Sedulius*, lectorem conveniat.

At si magnarum caperis dulcedine rerum
Divitiasque magis deliciosus amas:
Nobilium nitidis *Doctorum* vescere cœnis,
Quorum *multiplices*, nec numerantur *opes*.

SECTIO III.

Sacri Oratoris dignitas, arduitas, officium, studia.

1 DEcuit Sacri Oratoris excellentiam pluribus divini Eloquii figuris designari. Innumeras expendit passim *Gregorius*, quas non vacat hìc attexere. Celebris illa: Cum abieris à me hodie, invenies duos Viros juxtà Sepulchrum Rachel. Ad quæ verba Magnus Pontifex. [Quid ergo duò Viri isti nobis, nisi perfectos quosque Sanctæ Ecclesiæ Prædicatores designant? Duo quidem sunt, quia perfecti in utroque præcepto charitatis: Viri, quia in sancta conversatione robusti. Qui juxtà Sepulchrum Rachel inveniri perhibentur: quia per contemplativæ vitæ studium divisi sunt ab intentione sæculi: & dum animarum lucra quærunt, non sunt sepulti. &c.]

1. Reg. cap. 5. *Lib. 4. in lib. Reg.* Sacri Oratores pluribus figuris designati.

2 Maximè verò Prædicatoris dignitatem evehere videtur, dùm usque ad Angelicam conditionem extollit. [Sed quia sæpè Scriptura Sacra Prædicatores Ecclesiæ, pro eo quod gloriam Patriæ Cœlestis annunciant, Angelorum solet nomine designare: possumus hoc loco Angelos Sanctos Prædicatores accipere. Hìnc est enim, quod Joannes. &c.] Ipsi ductiles Cherubim, qui super Propitiatorium, concrediti Divinitùs ministerii alas expandunt, & super eos Domi-

Lib. 34 mor. cap. 7. Angelorum nomine notatir

C nus

nus ascendit, & volat, volat super pennas ventorum, exponente Allegoriam *Gregorio*. [Super Cherubim quippè Dominus ascendit, quia in sublimibus Prædicatorum suorum mentibus ascendit, & scientiæ suæ altitudinem ponit. Et super pennas ventorum volat: quia coràm spiritualibus eorum oculis in altitudinem miræ intelligentiæ se Sancti Spiritûs flatibus elevat.] *Psal.17.* *Lib. 1. in Reg. cap.1.*

Cherubim collati.

3 Quin, & eos usque ad Christi similitudinem evadere, idem notat *Gregorius* ad ea verba: Similitudo Hominis in eis, [Sed quis hoc loco Homo describitur, nisi ille, de quo scriptum est: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? . . . . . Hujus se Hominis similitudinem habere egregius Prædicator ostendit, dicens: Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi . . . . Dicatur ergo de Sanctis Animalibus, quod similitudo hominis in eis: quia quod sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est. &c.] *Hom. 2. in Ezech.*

Christi similitudinem sortiti.

4 Eapropter Nomen quoque Dei participant, testante *Gregorio*: [Samuel interpretatur *Nomen ejus Deus*. Quem ergo nobis Samuel convenientiùs insinuat, quàm Prædicatorum Ordinem? Quia enim fortis conversatione est, potestate sublimis: & dum in eo speciale signum Gratiæ Divinæ conspicitur, ad venerationem prædicationis ejus, devotæ Auditorum turbæ deducuntur. Hinc est, quod ad Moysen à Domino dicitur: Posui te in Deum Pharaonis] Meritò & Lingua Christi appellantur ab *Augustino* exponente ea verba: Et lingua mea adhæsit faucibus meis. [Quomodo membrum illud in nobis non valet, nisi ad loquendum: sic Prædicatores suos, Linguam suam dixit, adhæsisse faucibus suis, ut de interioribus ejus caperent sapientiam.] *Lib. 1. in Reg. cap.1.* *Psal.21.* *Expofit. 2. in Psal. 21.*

Dei nomine insigniti.

Lingua Christi reputantur.

5 Quò verò altior dignitas, eò Oratoris institutio difficilior, quam arduitatem hîc explanare supervacaneum est, & manifestè percipitur ex eo, quod multiplicatis Præceptoribus, ac præceptis, desudantibus prælis in impressione tot Voluminum de Rhetorica Arte tractantium, adhùc perfecti Oratores, ut quidam lusit, digitis numerari possunt. Nàm teste *Petro Chrysologo* [Cautè æmulis, securè filiis, credentibus confidenter, constanter incredulis *eloqui non valemus*.] In hoc enim, & efficaciæ, & difficultatis summam *Cassiodorus* statuit, [Posse, dicendo, tenere hominum mentes, & impellere quò volet.] *Ser.112.* *Lib.3.epist. 5.*

Quæ præcipua laus Oratoris?

6 Ast

6 Ast quantum onus culmen dignitatis importat? Illud *Gregorius* exprimit, eosque dumtaxat ad ferendum aptos declarat, quos Deus tanquam Populi Duces eligit, ut invisibilibus hostibus opponat, confirmans virtute ex alto. [Grandis labor Prædicatori præcipitur per hoc, quod inimici in circuitu esse referuntur. Satis enim grave prælium esset si in una parte malignorum Spirituum sævitiam tolerarent .... In circuitu ergo hostes habemus, qui in omni, quod cogitamus, loquimur, & operamur, malignorum Spirituum bella patimur. Sed quia non à bello, sed de manibus inimicorum liberare populum dicitur, magna virtutum insignia Prædicatoribus adscribuntur: quia non solùm liberos, nè capiantur, debent protegere; sed etiam captos de eorum servitute liberare. Quod profectò agere illi solummodò Prædicatores possunt, qui ad culmen regiminis Divina ordinatione perveniunt. Nam quos Omnipotens Deus ordinat, ad toleranda prælia antiqui Hostis mittit: sed eos inter ipsa bella non deserit, quia milites suos protegit, & victores facit.]

Lib. 1. in Reg. cap. 5.

Grande Oratoris onus.

Pro quo Deus vires tribuere non sinit.

7 Ad hoc autem, & ipse se accingat Orator, ac præparet, proscripto otio, & jugi studio navato etiam sæcularibus disciplinis, quantùm satis est ad primam ætatem erudiendam. Monita deindè sequatur *S. Paulini* scribentis ad Jovium fratrem, quem Poëtarum, Rhetorum, ac Philosophorum libris assuetum, ad Scripturarum studia hortatur. [Tibi satis sit ab illis linguæ copiam, & oris ornatum, quasi quædam de hostilibus armis spolia, cœpisse: ut eorum nudus erroribus, vestitus eloquiis, fucum illum facundiæ *plenis rebus* accommodes, non vacuum figmentorum, sed medullatum Veritatis corpus exornans, non solis placitura auribus, sed & mentibus hominum profutura mediteris.]

Studiis incumbere satagat.

Epist. ad Jov.

Non ultrà modum Sæcularium Authorũ libris.

8 Magni enim penditur sapientia sæculi, usquedùm ad Crucis stateram appensa, nedùm invenitur minus habens, sed universâ vanitate conflari. Hinc rectè *Augustinus* ponderans ea verba: Absorpti sunt juncti petræ Judices eorum, ait. [Quid est: absorpti sunt juxtà petram? *Petra* autem erat Christus. Absorpti sunt juxtà petram. Juxtà, idest *comparati*, Judices, Magni, Potentes, Docti. Ipsi dicuntur Judices eorum, tanquàm judicantes de moribus, & sententiam proferentes ...... Adjunge illos petræ, compara authoritatem illorum authoritati *Evangelicæ*, compara Inflatos Crucifixo ...... *Tamdiù videntur aliquid dicere, donèc comparentur Petræ.*]

Qui Evangelio comparati, ferè nihil sunt.

To. 8. Enar. in ps. 140.

9 Translata igitur ad Sacræ Scripturæ meditationem, non eo tantùm tempore Concionatoris mens illi debet studio conjungi, quo concionis occasio emerserit: sed prævio, magnoque affectu inhærere, semper aliquid de Divinis Eloquiis perpendendo, adnotando, enucleando, ut posteà opportunè uti possit inventis. Quod aptissima similitudine inculcat *Gregorius*. [Hinc Moysi Dominus de portanda Arca præcepit dicens: Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor Arcæ angulos, faciesque vectes de lignis sethim, & operies auro, induces que per circulos, qui sunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquàm extrahentur ab eis........Quia nimirùm necesse est, ut qui ad officium Prædicationis excubant, à Sacræ Lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper, jubentur, ut cum portari Arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur. Quia videlicèt cum spirituale aliquid à subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valdè est, *si tùnc quærat discere, cum quæstionem debet enodare.*]

Affiduè versetur in lectione Sacræ Scripturæ.

Lib. 2. Pastor. cap. ul.

10 Studium præterea Sacræ Scripturæ, quod perpetuò exercendum totiès hoc in Opere replicabimus, excogitandarum rationum ad rem probandam laborem levat: quidquid enim sudatur in argumentorum inventione, non tanti valet, quanti vel unum Scripturæ verbum. Hoc convincit, hoc ineluctabiliter de audientis inconstantia triumphat. Unde *Crysostomus*. [Nam si quid dicitur absque Scriptura, Auditorum cogitatio claudicat: nùnc annuens, nùnc hæsitans, & interdùm sermonem, ut frivolum aversans, interdùm ut probabilem recipiens. Verùm ubi è Scriptura, Divinæ Vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & Audientis animum confirmat.]

Cujus authoritates præ omnibus rationibus efficaciam habent.

To. 1. in ps. 95. ad fi.

11 Exponens quoque *Augustinus* ea verba: Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ, ad idem propositum ait. [Magnum itaque aliquod bonum est, dormire inter medios Cleros, quos nonnulli duo Testamenta esse voluerunt: ut dormire sit inter medios Cleros, in eorum Testamentorum authoritate requiescere, idest utriusque Testamenti testimoniis acquiescere, ut quando aliquid ex his profertur, & probatur, omnis contentio pacificâ quiete finiatur. Quod si ita est. quid aliud admonere videtur Evangelizantes virtute multa, nisi quia tunc eis Dominus dabit verbum, ut evangelizare possint, si dormiant inter me-

Enarr. in ps. 67.

Ad convincendum, & movendum.

medios Cleros? Tùnc enim eis verbum veritatis datur, si authoritas ab eis duorum Testamentorum non relinquatur? &c.]

12 Quam efficaciam Sacrorum Voluminum ad peccatorum pervicaciam edomandam, ad conterendas petras lapidei cordis, aperit *Augustinus*, narrans, ex Sacræ Scripturæ lectione (quod ipsi quoque evenit) conversum Victorinum Rhetorem celeberrimum, & humili Divinæ loquutionis stylo mentem subjecisse multo vanæ sapientiç fumo superbam. [O Domine Domine, qui inclinasti Cœlos, & descendisti, tetigisti montes, & fumigaverunt, quibus modis te insinuasti illi pectori? *Legebat*, sicut ait Simplicianus, *Sanctam Scripturam*, omnesque Christianas Scripturas investigabat studiosissimè, & perscrutabatur, & dicebat Simpliciano non palàm, sed secretiùs, & familiariùs: noveris me jam esse Christianum ...... Sed posteaquàm legendo, & inhiando hausit firmitatem, &c.]

Etiam prædurissima corda.

Victorinus Rhetor lectione Sacræ Scripturæ cóversus ad Fidem.

Lib. 8. Confess. cap. 2.

13 Et aliam efficaciorem vim non esse ad impietatem evertendam, quàm in Sacris Litteris absconditam ostendens, subdit. [Neque enim novimus alios libros ita destruentes superbiam, ita destruentes inimicum, & defensorem, resistentem reconciliationi tuæ defendendo peccata sua. Non novi Domine, non novi tàm casta eloquia, quæ sic mihi persuaderent confessionem, & lenirent cervicem meam jugo suo, & invitarent colere te gratis.]

Lib. 13. Confess. cap. 15.

Nihil verbis Scripturç fortiùs ad pœnitentiam suadendam.

SECTIO IV.


Sacro Oratori necessaria Charitas, terrenorum despectrix, Humilitas.

1 Quæ attulimus, ad extimam, ut sic dixerim, spectant Oratoris conditionem: ad interiora ejus probè instruenda pertinent quæ subjicimus. Equidem sicùt Augustinus, per Portas Sion novit Apostolos designari: de omnibus Apostolicis viris, per quorum prædicationem, cœlestis Patriæ contemplandæ patet aditus, Portarum Sion figuram verificari notat *Gregorius*. [Scriptura Sacra Sanctos Viros Portas Sion vocare consuevit: Sion quippè speculatio interpretatur: & non immeritò Prædicatores Sanctos Portas Sion dicimus, quia per eorum vitam, atque doctrinam, abscondita supernæ con-

Enarr. in ps. 86.

Lib 33. Moral. cap. 23.

Apostoli, eorúque imitatores Portis comparati.



contemplationis intramus.] Sed meminerint, quod Portas Cœlestis Hierusalem margaritis nitentes Joannes testatur vidisse, quò Prædicatorum verbi Dei Virtutum claritas demonstretur. *Apoc. cap. 21.*

2 Primùm sanè, per rectæ intentionis firmitatem debent in alto defigi, *Gregorio* dicente. [Ut ergo servetur veritas prædicandi, teneatur necesse est altitudo vivendi.] Non enim fas est terrena sapere quos ad spiritualia ministeria Spiritus elevat. Hìnc idem *Gregorius* ad ea verba: Et assumpsit me Spiritus. [Prædicatorem Spiritus assumit, cum ejus mentem in amorem Dei Omnipotentis elevat, & elevatam, à terrenis jam desideriis alienam reddit: ut nihil ei agere libeat, nisi ea, quibus lucra spiritualia congreget, & ad Regna Cœlestia quotidiani sui operis fructum portet.]

Sacri Oratores terrenis non inhient. *Hom. 11. in Ezech. post ini.* *Hom. 10. in Ezech.*

3 Qui etiam Capreæ, Hinnuloque cervorum salienti in montibus, collesque transilienti comparantur, ut horum animalium quamlevissimè currentium typo, vix terræ imprimant necessariæ conversationis vestigia. Hìnc de Prædicatoribus idem loquens *Gregorius*, ait. [Qui profectò Viri in meridie magnas foveas saliunt, quia per fervorem perfectæ charitatis, in qua assumpti sunt, cuncta, quæ videntur sæculi alta despiciunt. Quidquid enim in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea, quæ omnes, quos in sua ambitione recipit, ad inferna deponit. Alta ergò sæculi Viris spiritualibus vitanda, non appetenda sunt: quia ex occulto se aperiunt, & quos absorbendo recipiunt, ad inferna perducunt.]

Capreæ, Hinnuloque Cervorũ assimilati. *Lib. 4. in Reg. cap. 10.*

Sæculi foveas saliunt.

4 Turbam ergo perosus, à familiari etiam aliorum, præsertìm exterorum, consuetudine subductus, noverit: quantò parciùs (animarum necessitate non cogente) cum Sæcularibus egerit, tantò potentiùs eorum se animos, si ità loqui liceat, dominaturum, Præcursoris exemplo, qui è deserto quot populos promiscuæ conditionis ad pœnitentiæ baptismum pertrahebat? De quo illud observandum, quod Christi Præco muto nascitur Genitore: Oratio enim nonnisi jugi silentio concepta, vim parandi viam Domino, & Tribus Jacob restituendi accipiet.

Solitudinem frequentent.

5 Opportunè *Gregorius* exponens illud: Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, ait. [Missus autem *(Prophæta)* ad prædicandum fuerat, & tamen septem diebus sedens tacebat. Quid est hoc, quòd nobis Prophæta Sanctus in hoc suo silentio innuit: nisi quia ille loqui veraciter novit, qui priùs benè tacere didicerit? *Hom. 11. in Ezech.*

Quasi

Quasi enim *quoddam nutrimentum verbi est censura silentii.*] A qua si Orator se liberum velit, vereor ne ingenuè fateri cogatur, quod de se Gregorii humilitas testabatur: [Qui otiosis verbis sæpè implicor, & ab exhortatione, atque ædificatione proximorum, torpens, & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum *mutus, & verbosus*: mutus in necessariis, verbosus in otiosis.]

Silentio magistro discant.

Ibid.

6 Septenario autem dierum numero omnis ætas mensuratur ab eodem Gregorio: [Quia septem diebus universum tempus evolvitur.] Ut discamus toto vitæ decursu, (nisi cùm Obedientiæ placitum exire nos cogit) ab aliis remotos, apud nosipsos solitarios hærere. Forsitan cujus tantam negligimus in angusta cella copiam, Religiosi secessûs non semel aliquid suspirabimus. Hoc sibi contigisse ad Regiminis culmen evecto *Gregorius* quæritur. [Et quidem in Monasterio positus, valebam, & ab otiosis linguam restringere, & in intentionem Orationis penè continuè mentem tenere. At postquàm cordis humerum Sarcinæ Pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assiduè non potest animus, quia ad multa partitur.]

Hom. 16. in Ezech. ad init.

Sibi vaceat.

Hom 15. in Ezech.

Quod sæpè frustrà desiderabunt.

7 Pudet, temporalis lucri non quærendi debitum Oratori suggerere. Indecens omninò, & irrationabile est, rem summi momenti, prædicandi munus, tàm vili pretio venum exponere. Talenta à Patrefamilias concredita tàm malè terrenis augere divitiis, quàm fodere in terram. Prohibeat hujusmodi lucrosæ artis Proxenetas Apostolica interminatio. [Pellicientes animas instabiles, *cor exercitatum in avaritia* habentes, *maledictionis filii*: derelinquentes rectam viam, erraverunt sequuti viam Balaam ex Besor, qui mercedem iniquitatis amavit.] Super quæ verba *D. Thomas*: Plus est cor in avaritiam exercitatum, quàm cor avarum. In corde avaro notatur corruptio affectûs, in exercitatione verò, *labor*, *vel sollicitudo*. Alia litera habet *excæcatum*. Exod. 23. Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes. Hinc est quod Tobias, qui tamen Sanctus erat, stercoribus calidis hirundinum excæcatus est . . . . . Stercora hirundinum calida, sunt temporalia, quæ Sancti tanquàm stercora relinquunt. Unde dicebat Apostolus ad Philip. 2. Omnia arbitratus sum ut stercora. His stercoribus multi, qui debent esse Sancti, excæcantur.]

A' terreno lucro abhorreant.

2. Pet. cap. 2.

Ibid.

Hirundinis stercora pro temporalibus bonis.

8 Sed Prædicationis verbum à Domino in ore ponitur istorum sequentium viam Baal, cor autem eorum spiritu cupiditatis impletur: & de vertice dignitatis ad imum va-

cuæ

cuæ mercedis sua sponte dejiciuntur. Unde de Balaam dicitur: Dominus autem posuit verbum in ore ejus. Ad quem locum *Origenes*: [Quoniam in corde ejus desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, verbum Dei *non in corde, sed in ore* ejus ponitur.]

Numer. c. 23.

Hom. 14.

Balaam mercede ad malum inductus.

9 Ad hæc, ubi jacitur hamus capiendis piscibus ore proferentibus staterem: Et Sacerdotis munus à Filiis Heli usurpatur, qui non victimas Domino, sed sibi adipem procurant: semen verbi mutatur in petram scandali, & nullus fructus in populo succedit, Apostolum non negotiatorem expectante. Notanda ad hoc observatio *Ruperti Abbatis*. [Unde & apud Evangelistam Matthæum pulchro mysterio dictum tenemus: quia cum Dominus noster, facto de funibus flagello, vendentes, & ementes de Templo ejecisset, tùnc demùm accesserunt cæci, & claudi ad eum in Templo, & curavit eos. Non priùs cæcos, & claudos curavit, quàm illos latrocinantes de spelunca ejecit. Quia videlicèt *non vitia curari*, nec virtutes possunt illustrari, nisi priùs *Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipsi Sacerdotes cum illo Deo suo de Templo fuerint ejecti.*]

Christus lucra à Templo ejicit.

Lib. 1. in Jos. cap. 21.

Prædicatores fructum animarum reportant, si cupiditati non mancipentur.

10 Verùm hæc sordida facilè cavens, in vanitatem impingit: & dum à terreno lucro abhorret Concionator, Domini gloriam suffuratur. Tremimus ad verba *Hieronymi*: [Difficilè dignus Præco virtutum Christi inveniri potest, qui in annunciandis illis non suam, sed ejus quærat gloriam, quem prædicat.] Eruditiorum præsertìm mentes quandoque inficit hoc venenum, ideoque dicit *Augustinus*. [Tutiùs veritas auditur, quàm prædicatur: quoniàm cùm auditur, humilitas custoditur: cum autem prædicatur, vix non subrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia.] Difficile profectò, plaudente populo, Oratorem ad Deum converti: Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Quin potiùs vocaverunt nomina sua in terris suis, exponente *Augustino*. [Non providentes, nisi quemadmodùm *nomen eorum*, quod reprobatur in Cœlo, invocetur in terra.]

Epist. 156. ad Hebid.

Tract. 59. in Joa.

Gloria vana à Prædicatorū cordibus exulet.

Qui Nominis celebritate affectata.

Enarr. in Psal. 48.

11 Expavescenda *Hieronymi* sententia. [Dæmonum cibus est Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla refectio justitiæ reperitur. Nihil aliud nisi inanem sonum tribuunt.] Sed quid illis retribuitur, nisi ut evanidâ famæ aurâ pascantur? Nisi ut cum Nubuchodonosor fœnum comedant, gloriam videlicèt carnis? Nulla tamen delicatior Ars, quæ præsentiorem Dei efflagitet opem:

Dæmones suis laboribus alunt.

Epist. 146. ad Damas.

opem: Deus autem humilibus dat gratiam: quæque magis egeat intra limites contineri, adaptata Prudentii observatione.

Carm. cont. Sym. Sect. 2.

.... Ne se *popularibus auris*
Ostentet, pulchroque *inflata tumescat honore*.

Ipsi verò inaniter inflantur.

12 Proinde custoditâ humilitatis virtute, sciens omne donum perfectum de sursùm esse, æquanimiter ferat, si nullos reportet animarum ex Verbi Divini satione manipulos. Si namque vel secùs viam, vel suprà petras, vel inter spinas semen verbi ceciderit, & terra non reddat fructum sivè centesimum, sivè sexagesimum: ipse Concionator suis id meritis adscribens, fructum afferat in patientia: invocet in suo vellere Cœli rorem, si in tota terra viderit siccitatem. Agat ipse quæ agenda Auditores contemnunt. Sic Gratia Dei in eo vacua non erit, dum manente in imis populo, ipse excelsum contemplationis conscendit, de sui, proximique salute Dominum consulturus. Quod insinuat *Gregorius* ad ea verba: Cessavit autem prophætare, & venit ad excelsum, addens. [Qui certè sublimes verbo, & opere sunt, cogitatione *elationis* non sunt. Magna quidem semper agunt, sed *Magni videri nunquàm appetunt*.]

Lib. 4. in Reg.

Humilitatis custodia Prædicatori necessaria.

SECTIO V.

Jugis Meditatio, ardens zelus, vitæ probitas Sacro Oratori non desint.

1 Nihil certè Christiano Oratori convenientius Oratione Mentali, qua Sponsæ dotes participat, ut Amicæ, Columbæ, Formosæ titulis honestetur, addigitante *Bernardo*. [Habes tria hæc: Prædicationem, Orationem, Contemplationem, in tribus designata vocabulis. Etenim meritò Amica dicitur, quæ Sponsi lucra studiosè, ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit. Meritò Columba, quæ nihilominùs pro suis delictis in oratione gemens, & supplicans, Divinam sibi non cessat conciliare Misericordiam. Meritò quoque Formosa, quæ cœlesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decore se induit. Qui hujusmodi est, placens Deo, cautus sibi, utilis suis erit.]

Serm. 57. in Cant.

Amicæ, Columbæ, Formosæ, attributa Sacro Oratori appropriata.

2 Vix conscientiæ tutum affirmaverim Religiosum unâ

Religiosi unâ saltem horâ Orationi mentali nō vacantes, non sine salutis discrimine sunt.

unâ saltem horâ quotidiè non Meditationi vacantem: quantò magìs Concionatorem, qui nedùm ipse tendere semper ad perfectionis apicem professione obligatur, sed & proximos per semitam mandatorum Dei perducere: & Speculator positus in Domo Domini, dùm annunciat imminentia, vel supplicia, vel præmia, hæc qualiter adipiscenda, qualiter illa declinanda monstrare?

Judith exemplo Orator se Deo impensè commendet.

3 Sicut autem prudentissima Judith in Assyriorum statione dum versaretur, quoniam arduum opus fuerat aggressa, non satis existimavit singulis egredi ad vallem noctibus oratura, seque in fonte baptizare: nisi in Holofernis tentorio accingens se ad facinus suprà fœmineas vires audendum, breviores præmisisset preces, addens, & brevissimam in ipso actionis articulo: Confirma me Domine Deus in hac hora. Recogitet Concionator, se terribiliora in Auditoribus vitiorum monstra obtruncaturum: ferventes ad Dominum preces, & ante quidem, & dùm properat ad suggestum, & in præliminaribus ejus emittere, hortante *Augustino*. [Ipsâ horâ jàm ut dicat accedens, priusquàm exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem: ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat.]

Judith. cap. 13.

Lib. 4. *de Doctr. Chr. cap.* 18.

4 Utrumque autem, & proximis Divina tradere, & Deo nos commendare, ex charitate procedit, dicente Apostolo: Sivè enim mente excedimus Deo, sivè sobrii sumus vobis, charitas enim Christi urget nos. Super quæ verba *Augustinus*. [Hoc est, si ea tantùm agere vellemus, & ea tantùm contemplari, quæ mentis excessu intuemur, vobiscùm non essemus, sed essemus in supernis, tanquàm contemptis vobis, &c.]

2. *Cor. cap.* 5.

Conc. 1. *in psal.* 30. *ini.*

Apostoli, & Prædicatores medii inter Deum, & Populum.

5 Disertè etiam *D. Thomas* exponens eadem verba. [Unde sciendum quod Apostoli sunt medii inter Deum, & populum. Oportebat ergo, quod haurirent à Deo, quod effunderent populo. Et ideo necessarium erat, quod quandoque elevarent se per contemplationem in Deum ad percipiendum Cœlestia, quandoque conformarent se populo ad tradendum, quæ à Deo perceperant: & hoc totum in eorum utilitatem cedebat. Et ideo dicit: sivè enim excedimus mente, id est elevamur, ad hoc, quod percipiamus dona gratiarum, & hoc, ut Deo scilicèt uniamur, quod fit per excessum rerum temporalium. Sivè sobrii sumus, id est commensuramus nos vobis, tradendo Divina præcepta: hoc est vobis, id est ad utilitatem vestram. Sobrietas enim idem est, quod commensuratio: *Bria* enim in Græco idem quod mensura.]

Ibid. Lect. 3.

6 Si

6 Si itaque in meditatione exardeſcit ignis, amoris ſcintillas in corda audientium ſine dubio immittet. Ideoque
Lib. 1. in Reg. cap. 1. *Gregorius* [Tunc ergo Anna aſcendit, cum Sancta Eccleſia ſe in celſitudinem Divinæ Prædicationis tàm ſublimiter extulit. Tùnc etiàm immolavit ſolemnem hoſtiam: quia de cognitione Divinitatis, in Auditorum ſuorum cordibus flammam miræ devotionis accendit.] Hac exæſtuans flammâ, utique zelo zelabitur pro Domino Deo Iſraël. Qui Sancti Patris Dominici ſectatur Inſtitutum, canis ſymbolum facem ore præferentis in ſe exprimere ſatagat, ſentiens, & monentem *Ambroſium*. [Sunt enim *Canes*, qui noverint latrare pro Dominis, noverint ſua tecta defendere. Unde, & tu diſce vocem tuam exerere pro Chriſto, quando Ovile Eccleſiæ incurrant lupi graves. Diſce in ore tuo verbum tenere: nè quaſi mutus canis, commiſſam tibi Fidei cuſtodiam quodam prævaricationis ſilentio deſeruiſſe videaris.]

Oratione inflammati, corda auditorum accendunt.

Recto zelo ducantur.

Lib. 6. Hexam. cap. 4.

Canibus fidelibus comparati.

Cant. 2. 7 Audiat clamantem Sponſum: Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, & *Gregorium* exponentem.
Ibid. [Prædicatores quippè Sancti aliquando *Canes* per ſimilitudinem dicuntur: quia prædicationibus aſſiduis, quaſi latratibus importunis, adverſarios quoſque à grege ovium arcere nituntur. Iſti Canes vulpes Chriſto capiunt: quia Ducem ſuum dùm fidelitèr diligunt, pro ejus amore laborantes, tergiverſantes hæreticos ab involutionibus quæſtionum, quaſi à tenebroſis cavernis ad lucem veritatis adducunt.] Hoc amoris jaculo non ſegniter emiſſo, felici vulnere cor peccantium tranſverberatur; ut enim ait *Ambroſius*
Ser. 84. [Habet & Amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cùm amariùs inferuntur.]

Adverſarios impetant.

Amoris plagæ.

8 Hoc ſtimulo, & Concionator ad aliorum ſalutem procurandam urgetur, & ad propriam non negligendam Auditor impellitur. Ideoque dicebat Apoſtolus: Charitas
2. Cor. 5. enim Chriſti urget nos. Quod ponderans *D. Thomas* ait: [Et
Lect. 3. dicit *urget*, quia urgere idem eſt, quod ſtimulare. Quaſi dicat: Charitas Chriſti, quaſi ſtimulus, ſtimulat nos ad faciendum ea, quæ Charitas imperat, ut ſcilicèt procuremus ſalutem proximorum. Hic eſt effectus Charitatis. Rom. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, ideſt agitantur &c.] Quapropter Bernardus à Concionatoribus exigit, ut [Regibus * Joannem exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phineen, Heliam Idololatris, Heliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiatoribus Chriſtum.]
Lib. 4. de conſid.

Charitatis zelo Sacri Oratores urgentur.

* Stylus Scripturalis per uſum Perſonarum.

Vehementèr in vitiis reprimendis.

9 Nihil autem Zeli ardorem proficere, ſine probitatis ju-

jubare, compertum Orator habeat. Incafsùm vox Prædicationis fonat, ni per opera profeffioni conformia luceat lux noftra coràm hominibus. Unde *Bernardus* exponens illud: Et fubitò circumfulfit eum lux de Cœlo, & cadens in terram, audivit vocem. [Lucis, & Vocis teftimonia credibilia facta funt nimis: nec dubitare eft de Veritate, quæ fefe ingerit per utrafque, oculorum fcilicèt, auriumque feneftras. Sìc nimirum, sìc in monte, quando transfiguratus eft coràm Difcipulis Dominus: & claritas vifa eft, & vox nihilominùs Patris audita eft.]

Probitate populis præluceant.

Actor. 9.

Lucis, & vocis fimul, efficacia.

Serm. 1. de conv. Pauli.

10 Eadem loci majeftas Concionatorem cogit, & dicere magna, & operari. Munus, quo fungitur, Minifterium, quod exequitur, Apoftolicam exigit & vocem, & vitam, *Gregorio* atteftante. [Qui enim loci fui neceffitate cogitur fumma dicere, hac eadem neceffitate compellitur fumma monftrare. Illa namque vox libentiùs Auditorum cor penetrat, quam Dicentis vita commendat: quia, quod loquendo imperat, oftendendo adjuvat, ut fiat.]

Lib. 2. Paftor. cap. 3. ini.

Exẽplo ad Virtutem moveant.

11 Cui dicitur: Clama ne cefses; fruftrà clamabit, nifi veniat de deferto, de feceffu cordis, de fæculi renunciatione, de contemplationis filentio, indutus mortificationis melote, & virtutum exercitatione provectus. Ad quod opportuna, fuper ea verba: Quis dedit Gallo intelligentiam? animadverfio *Gregorii*. [Eft adhùc aliud in Gallo folertèr intuendum, quia cùm jam edere cantus parat, priùs alas excutit, & femetipfum feriens vigilantiorem reddit. Quod patentèr cernimus, fi Sanctorum Prædicatorum vitam vigilantèr videmus. Ipfi quippè cùm verba Prædicationis movent, priùs fe in fanctis actionibus exercent: nè in femetipfis torpentes opere, alios excitent voce. Sed antè fe perfublimia facta excutiunt, & tùnc ad benè agendum alios follicitos reddunt....... Priùs ergo alis infonant, quàm cantus emittant: quia antequàm verba exhortationis proferant, omne, quod loquuturi funt, operibus clamant.]

Et mortificatione in fe fæviant.

Job. 38.

Gallus antequã cãtum edat, alis fe percutit.

Lib. 30. Moral. cap. 4.

12 Et quidem tàm efficaci clamore, ut etsì non granditer loquatur, maximas per eum mutationes operabitur dextera Excelfi. Ideoque *Auguftinus* agens de Genere granditer dicendi, tùnc magni roboris futurum afferit, cum exemplum Oratoris accedit. [Unde, & in ifto Genere, ubi ad obedientiam cor durum, dictionis granditate flectendum eft: nifi & intelligentèr, & libentèr qui dicit audiatur, non poteft obedientèr audiri. Habet autem, ut *obedientèr* audiatur, quantacumque granditate dictionis *majus pondus vita Dicentis*.]

Efficacia Oratoris in fe rigidi.

Lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 26. fi.

13 Hùc

Psal.67. 13 Hùc attinet quod conteſtatur Pſalmodus: Ecce dabit Voci ſuæ vocem virtutis: Virtutes ſcilicèt opere complere dùm voce commendat Concionator, qui Vox Domini eſt, ut explicat ea verba *Bernardus*: [Hoc eſt dare Voci ſuæ vocem virtutis, cum quod ſuades, priùs tibi cognoveris perſuaſiſſe.] Ejus enim non vox tenuis, cujus in proprii defectûs correptione manus remiſſa non eſt. Subinde *Gregorius* exponens ea verba: Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? ait. [Sed quid eſt, quod huic equo Dominus ſe priùs dare fortitudinem, & poſtmodùm collo ejus hinnitum circumdare aſſerit? Hinnitu enim vox Prædicationis exprimitur. Verus autem quiſque Prædicator antè fortitudinem, & poſtmodùm hinnitum accipit: quia cum in ſe priùs vitia extinxerit, tùnc pro erudiendis aliis ad vocem Prædicationis venit.]

Serm. 59. in Cant.

Job.39.

Lib.31. Moral. cap.11.

Priùs corpus in ſervitutem redigat, poſtmodùm vocem prædicationis fiducialiter emittat.

14 Imitator denique factus Chriſti, à quo tantum illi Munus concreditum eſt, evadet & ipſe potens in Opere, & Sermone, & rerum mirabilium patrator, non montes transferendo, non curſum Solis ſiſtendo, ſed peccatorum tenebras propulſando, animorum dura frangendo. Hæc enim probi Concionatoris tàm frequentia prodigia, ut prodigium ſit non ſequi: nèc ad populos convertendos aliis opus eſt miraculis, ſi mirari eos contingat virtutes illuſtres Prædicantis. Quò vertere liceat *Gregorii* ſenſum ſuper ea verba: Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos. [Fulgura quippè ex nubibus exeunt, cùm mira opera ex Sanctis Prædicatoribus oſtenduntur. Qui, ut ſæpè diximus, idcircò nubes vocari ſolent, quia & coruſcant miraculis, & verbis pluunt. Et quia humana corda, poſtquàm per prædicationem mota non fuerint, iſtis miraculorum fulgoribus conturbantur, Prophæta atteſtante didicimus, qui ait: fulgura multiplicabis, & conturbabis eos, &c.]

Certus reportandi ex Evangelico Munere fructûs.

Lib.30. Moral. cap.2.

Fulguri comparatus.

15 Parcat Lector diffuſiùs de re nunquàm ſatis commendata ſcribenti. Monebat namque *Tertullianus*. [Oportet, demonſtrationem, & commendationem alicujus rei adorſos, ipſos priùs in adminiſtratione ejus rei deprehendi: & conſtantiam commonendi, propriæ converſationis authoritate dirigere: nè dicta, factis deficientibus, erubeſcant.] Terrebat inſuper me, meique ſimiles Dei Miniſtros, & tamen ſæculi vanitatibus mancipatos, graviſſima ejuſdem Authoris increpatio: [Suſpectam habe convenientiam Prædicationis in tanta diſconvenientia converſationis........

Lib. de Patien. cap.1.

Deum

Improbus Concionator increpitus.

Deum prædicabas, & non requirebas: Dæmonia abominabaris, & adorabas: Judicium Dei appellabas, nèc esse credebas: Inferna supplicia præsumebas, & non præcavebas.] Nùnc ad Theo-Rhetoricæ præcepta, his præmissis, accedo.



LIBER




LIBER PRIMUS DE INVENTIONE

CAPUT PRIMUM

De Propositione.

SECTIO PRIMA

Quædam circa Propositionem adinveniendam prænotantur.

1 NTER Partes Orationis primas obtinet Inventio, quæ est: *Excogitatio rerum verarum, aut verosimilium, quibus probabile redditur id, quod intenditur suaderi*. Non tantùm verò in argumentis, & rationibus ad causam persuadendam occupatur, pro quibus Loci Oratorii sequenti Cap. assignantur; sed potissimùm desudat in excogitando Assumpto, sivè Argumento, materiam omnem claudente in Oratione tractandam, quod *Propositio* dicitur, & possumus appellare cum *Cassiodoro* [*Operis Indicem, Causarum Præconem, totius Orationis brevissimam Faciem.] Ex Orationis enim materia Propositio fit, brevibus rem universam complectens, qualis esset hujusmodi: *Proximum odisse, odienti exitiosum est magìs, quàm odium patienti*. Cujus emolliendæ difficultati non perfunctoria requiritur diligentia, mox deducenda ad praxim.

Invëtionis Oratoriæ definitio.

Assumptum Concionis.

Proœm. Variar.

* Epitheta.

2 In-

In eo adinveniendo maximè laborandum, & audendum.

2 Interim Tyrones moneo, in Concionis Argumento adinveniendo novum aliquid moliri, & peregrinum afferre: audeant supra vires, accedant aliquandò ad præceps: etiam si decidant, ad magna conantur, fortè ad ardua tendentes, non semel heroicum quid assequentur. Nunquàm bonæ rei gerendæ aptabuntur: [Qui, *ait Quintil.* fugiunt, atque formidant omnem in dicendo voluptatem, nihil probantes, nisi planum, & humile, & sine conatu: ita, dum timent, ne aliquando cadant, semper jacent.] Noverint, audaciores à rebus grandibus non destitutos fuisse: Nec, quia difficiles, non auderi, sed non audentibus difficiles esse. Laudabilis in hoc temeritas, & præcipitium ipsum ex altis non est inglorium: aberit tamen periculum, animadvertente *Quintiliano*: [Evenit nonnunquàm, ut aliquid grande inveniat, qui semper quærit, quod nimium est.] Et alibi: [Nam est certè aliquid consummata Eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet. Quod si non contingat, altiùs tamen ibunt, qui ad *summa* nituntur, quàm qui, præsumpta desperatione quò velint evadendi, protinùs circà *ima* substiterint.]

Lib. 8. cap. 5.

Humilibus, & planis Propositionibus, seù Argumentis contenti.

Nunquàm ad summa enituntur.

Lib. 2. cap. 12.

Audacia sæpè pervenit quò sæpiùs conatur.

Proœm. lib. 1.

3 Ast, quoniam est sua etiam studiis infantia, & vel in non perfectos germinum fœtus, vel non maturos fructuum partus prorumpunt novellæ plantationes in juventute sua, plures in audacioribus inventis defectus involventur. Pro ausu tamen laudandi Juvenes, ne territi animis despondeant, & quid boni perficere posse desperent: vincibiles esse defectus illos, sensimque corrigendos doceantur. Si enim ad gravia, & perfectiora assuescere in ipso limine compellantur, facilè fastidiunt opus vividæ ætati perrarò congruum, & laborem in perfectissimo Oratore enitendo, insuperabilem suspicabuntur. Indulgendi nonnulli defectus (eamque permissionem adhùc ad eloquutionem extende) eis tunc, utpotè genio conformes, admodùm plausibiles, ut studiorum ætate provectiori habeant, in quod corrigendum tendant, & sibi displiceat irrepsisse. Unde *Quintil.* [Materiam esse primùm volo vel abundantiorem, atque ultrà quàm oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum Ratio limabit, aliquid velùt usu ipso deteretur: sit modò unde excidi possit, & quod exculpi. Erit autem, si non ab initio tenuem nimiùm laminam duxerimus, & quam cælatura altior rumpat.]

Juvenibus aliqui defectus indulgendi.

Quos maturiore ætate corrigent.

Lib. 2. cap. 4.

4 His equidem dictis, non omnia Juvenes sibi licere præsumant. Multa enim donanda ingeniis, sed non commen-

mendanda portenta, in quæ sæpiùs effrænis prorumpit vivacitas. Cohibenda præsertim ſtyli vanitas, quæ vix Poëtam deceat. In quo perpendenda verba *Quintiliani* de Eloquutione monentis: [Falluntur enim plurimùm qui vitiosum, & corruptum dicendi Genus, quod aut verborum licentiâ resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus jocis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit, magis existimant populare, atque plausibile. Quod quidem placere multis nec inficior, nec miror.] Sed hoc Genere dicendi vel sibi, vel aliis placere formidet Orator, memor *Bernardi* monentis: [Timeamus omninò floribus intempestivis. Sic sunt aliqui, quorum fructus, quia * nimis properè, minùs prosperè oriuntur.]

Lib. 12. c. 10.

Serm. de S. Bened.

Sed non ultrà modi fines laxanda libertas.

Præsertim ne ſtyli vanitate à recto aberret.

* *Annominatio Figura.*

5 Ut autem Scyllas istas æstuantis ingenii declinet, ab Eruditiorum lectione non abhorreat: terat manibus Sanctorum Patrum doctissimas elucubrationes, introspiciat sensus, methodum admiretur, Magistros revereatur, in aliquibus gravitatem, in quibusdam vivacitatem, in aliis ſtyli artificium imitetur, ut in memoriæ promptuario solerter recondita, velùt Scriba doctus in Regno Cœlorum, ideſt in Ecclesia, de thesauro suo nova, & vetera proferre noverit. Sibi etiam sciat à *Quintiliano* inculcatum: [Firmis autem judiciis, jamque extrà periculum positis suaserim, & Antiquos legere, ex quibus si assumatur solida, ac virilis ingenii vis, deterso rudis sæculi *squalore*, tùm noster hic *cultus* clariùs enitescet; & Novos, quibus & ipsis multa virtus adeſt. Nec enim nos tarditatis Natura damnavit, sed *Dicendi mutavimus Genus*.]

Studeant libris SS. Patrum.

Lib. 2. cap. 5.

Cultius modernum Dicẽdi Genus.

6 Cujus verò addici debeat ſtylo, non eſt meum decernere. Aliis enim Authores alii gratiores, acceptioresque. Indoles non cogenda, sed dirigenda quò proprio genio ducitur, *Ambrosio* suggerente: [Unusquisque igitur suum ingenium noverit, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Itaque quid sequatur priùs consideret. Non solùm noverit bona sua, sed etiam vitia cognoscat, æqualemque se judicem sui præbeat, ut bonis intendat, vitia declinet.] His tàm circà Propositionis inventionem, quàm ſtyli electionem, cum Tyrones convenerim, transitum facio ad normam inveniendæ Propositionis.

Lib. 1. Off. cap. 44.

Indoles Juvenũ in Dicendi Genere dirigenda, non cogenda.

SECTIO II.

De modo adinveniendæ Propositionis.

1 EJus nomine non accipio Enunciationes graves, quandoque etiam Paradoxicas, per Narrationes, Amplificationes, Epilogos, aliasque Eloquutionis partes spargi solitas, (velùt sales, imò, & igniculos) non semel per se solas vim inferentes quales illæ *Tertulliani* de capillorum affectata tinctura loquentis: [*Froh temeritatem! *Erubescit ætas* exoptata votis, furtum confitetur: *Adolescentia*, in qua delinquimus, suspiratur: *Occasio* pravitatis interpolatur. *Senectus* cum plùs occultari studuerit, plùs detegetur. *Hæc est* * *æternitas* nostra de capitis * *juventute*.] Et alibi: [Omnis publicatio Virginis bonæ stupri passio est, & tamen vim carnis pati minus est, quia de officio Naturæ venit....... Quid pejus aliquis persequutor fecisset, si hoc à Virgine electum cognovisset? Denudasti puellam à capite, & * *tota jam virgo* sibi non est, alia est facta.] His ergò, quæ potiùs sententiæ dicendæ sunt, & infra operosiùs tractandæ, dimissis, Propositionis nomine sumitur Orationis Assumptum, seù Causæ Argumentum propositum ad probandum, in quo Oratio ipsa, veluti tota in epitome restringatur.

Capillorum tinctura.

* *Exclamatio Figura. Sententia.*

* *Synecdoche. Multum pro modico.*

* *Metalepsis.*

* *Laconismus.* Virgo capite veletur.

Propositio, sivè Argumentum Orationis.

Lib. de cul. Fem. cap. 6.

Lib. de Virg. Vel. cap. 3.

2 Pro ejus inventione etsì ingenii sagacitas, ac solertia sibi regula videatur, Artis tamen industriâ juvari potest. Et quia undecùmque sumatur, semper ad rem, de qua agendum, indispensabiliter respectum habet, gemino modo excogitari posse videtur. Primò quidem, & convenientiùs, cum ipsa rebus aptatur. Sicut perpensis Sancti alicujus singularibus gestis, in quibus præ cæteris resplenduerit, mentique illarum Virtutum obviantibus symbolis, seligitur, quod magìs proprium, plausibile, & ferè cuncta in concione exaggeranda complecti aptum sit, tanquam Orationis Argumentum. Verba enim facturo de Beatissimo Patre Augustino, occurret prior ejus in infidelitate conversatio, gemina nocte aggravata, erroris videlicèt, & iniquitatis; ideoque non umbræ, non caligini, sed tenebris comparanda: posterior verò ex Baptismo Sanctitas, scriptis, ac factis Ecclesiam illustrans, proinde luci æquanda; opportunè ex verbis Apostoli pro Themate: *Dixit de tenebris lucem splendescere*,

Dupliciter ad eã inveniendã Ars conducit.

Assumptum pro laudibus S. P. Augustini.

2. *Cor. cap.* 4.

Pro-

Propositio esse potest: Lux post tenebras splendidior, nil fere relinquens ex Augustini vita, quod non claudat. Vel de Finali Judicio disserens, districti Judicis considerans æquitatem, qua Electis mansuetudinem, Reprobis iram ostendet, totam concionem claudere poteris illa Propositione *Gregorii*: [Unde in extremo Judicio, in semetipso incommutabilis manens, nulla vicissitudine, ac mutabilitate variatur: Sed tamen Electis, ac Reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur: Quia *& tranquillus Justis, & iratus apparebit Injustis.*]

Pro Concione de Extremo Judicio.

Lib. 32. mor. cap. 40.

3 Secundo, & inverso modo, rem Propositioni aptando, cum priùs excogitatur Propositio, præsupposità quidem, sed non plenâ, rei notitiâ. Quem modum sequuntur periculum incongruitatis, & labor conformitatis. Sæpè enim adinventam Propositionem à proposito alienam esse contingit; sæpè potiora ejus rei tractanda ad Propositionem, aut hæc ad illa per violentiam pertrahuntur; adeoque superior regula, ut facilior, certiorque servanda est. Quæcumque autem illa, aperta esse debet, atque dilucida. Nam nil turpius, id esse obscurum, quod in eum adhibetur usum, ne sint cætera obscura. Tum brevis, nec ullo supervacaneo onerata verbo. Non enim tunc dicimus, sed de quo dicturi sumus, ostendimus. Æqualis autem culpa foret, & diminutam esse, & redundare. Tùm denique varia, & materiis conformata. Hìnc in concionibus Virtutem suadentibus, gravis: in vitia invehentibus, vehementior, & veluti classicum præcinens; festiva tempora indicantibus, amœnior: in Panegyricis restrictior: amplior, tenerior, faciliorque in iis Orationibus, quæ de Annunciatione, Nativitate Christi, Cœna Domini, vel Passione habentur: in Funereis tandem tristior, lugubris, quæque mæstitiam Oratoris ipso aspectu præseferat.

Propositio assumpta sit clara.

Brevis.

Rei agendæ conformis.

4 Cum verò Propositio trita est, & vulgaris, parùm proinde habitura plausûs, & attentionis, Oratoris industriâ convestienda est, ut novè dicat non nova, eaque sit tempore senior, virtute junior. Quod præstat non sola verborum, sed formæ mutatio, præsertìm ex Allegoria, Metaphora, Paradoxo; Hæc enim Propositio: Christus nocte nascitur, ut peccatorum tenebras dissolvat; noviter proponetur verbis allegoricis Isaiæ: Surge illuminare *Jerusalem*, quia venit *Lumen tuum*. Hæc insuper alia: Extremi dies Judicii Electis lætitiam, Reprobis pariet confusionem; nova erit sub verbis Exodi: Columna nubis per diem, & Columna

Si trita, & vulgaris, vel vetus, novitate vestienda.

Isa. cap. 60.

Propositionis innovatæ exempla.

Exod. cap. 13.

 ignis

ignis per noctem, juxta sensum *Gregorii*: [In die ergo per nubem Columna monstrata est, & in nocte per ignem: quia Omnipotens Deus, & blandus Justis, & terribilis apparebit Injustis. Illos, in Judicio veniens, per lenitatis mansuetudinem demulcet: istos verò per justitiæ districtionem terret.] *Hom. 21. in Evang.*

5 Sed, & hæc: Nunquam homini dominatur, homine non volente, peccatum, nova videbitur sub eo Paradoxo, quo Chrysostomus quamdam prænotavit Homiliam: *Nemo læditur, nisi à seipso.* *To. 5. Hom. 9.* Itidem ad Propositionis novitatem conducit Problema, præsertìm per opposita procedens. Unde *Tertullianus*: [Necesse est, omnis demutatio veniens ex innovatione, diversitatem ineat cum his, quorum fit, & contrarietatem ex diversitate: Sicut enim nihil demutatum quod non diversum: ita nihil diversum quod non contrarium. Ejusdem ergo deputabitur contrarietas ex diversitate, cujus fuerit demutatio ex innovatione.] *Lib. 4. adv. Marc. cap. 1.*

Propositio Paradoxica nè sit nimiùm audax.

6 Ubi autem Propositio fertur per Paradoxum, cautela adhibenda est, ne incredibilis, aut periculosa, si nimiùm audax, sit. Quod dupliciter evenit: Vel ex tarditate audientium, cui proinde consulere debemus, præmittendo alias, veluti disponentes Auditorem ad percipiendam veritatem Propositionis; Sicut *Bernardus* ut illam propositionem depromeret: *Sine humilitate, audeo dicere, nec Mariæ Virginitas placuisset*: Sìc animos præparavit: *Hom. 1. sup. Missus est.*

Humilitas Virginitati præponitur.

[Laudabilis virtus Virginitas, sed magìs necessaria Humilitas: Illa consulitur, ista præcipitur: Ad illam invitaris, ad istam cogeris: illa remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine Virginitate salvari, sine Humilitate non potes. Potest enim placere Humilitas, quæ Virginitatem deplorat amissam; *Sine Humilitate* autem, audeo dicere, nec Mariæ Virginitas placuisset.] Vel provenit ex verborum obscuritate, sivè implicatione, adeoque ad probum sensum reducenda Propositio per alterius verbi additionem. Hoc enim Assumptum pro Fer. 4. Ciner. *Nihil de nobis post mortem reliquum erit nisi cinis*; nè aurem Fidei lædat, imò & Naturæ, testantium animæ rationalis incorruptibilitatem, explicetur ex Ambrosio:

Mortis meditatio.

[Respice in sepulchra hominum, & vide quid ex te, nisi cinis, & ossa remanebunt, *hoc est ex corpore tuo.*] *Lib. 6. Hexam. cap. 8.*



SE-

SECTIO III.

De Quæstione, Themate, & Phantasiis.

1 HUc spectat, quæ à Rhetoricis vocatur *Quæstio*, eademque judicari poterit, ac Propositio: Alia quidem dicitur *Infinita*, seù *Generalis*, sivè *Thesis*, quæ disceptandum aliquid proponit abstrahens à circumstantiis individualibus. Ut: A cibis, quadragesimali observantia, temperandum. Alia verò *Finita*, *specialis, seù Prothasis*, complectens rerum, Personarum, temporumvè conditiones, qualis hæc: Sacerdotibus Domini, qui pro peccatis populi affligere debent animam suam, quadragesimale jejunium est apprimè necessarium. Quæstionis Finitæ, & Infinitæ diversitas.

2 Studeat immodicè adhuc Orator in inveniendo *Themate*, quod cum omnibus, ipsi etiam Assumpto, præponatur, clarissimè, & velutì comprehensivè continere fas est intentum Orationis, ejusque indicare mox sequendam *divisionem*: ut sæpè contingat, auditis verbis in Themate, quod in decursu probandum est primo captu jam percipi, ac velut præjudicari in quot membra distinguenda sit concio. Elucet in eo maximè Oratoris discretio, & mirum quàm subitò in benevolam attentionem Auditores rapiantur; dùm nonnisi magna, & optima sibi jure promittunt. Sic Civibus Nazianzenis, ob Præfecti iram, gravi timore perculsis, *Gregorius Theologus* concione consulturus, aptissimo Themate usus est: [Ventrem meum, ventrem meum doleo, & cordis mei sensoria incitantur, ait quodam sermonum suorum loco Hieremias, Prophætarum omnium ad commiserationem propensissimus, contumacem Israëlem, atque à Dei benignitate se avertentem deplorans.] In Themate inveniendo discretio.

Orat. 17.

Cap. 4.

3 Si Inventioni attexas excogitationes illas, quibus *Phantasiæ* vocabulum imponere ingenioso placuit Erudito, sumptâ potentiâ pro actu, vel obiecto, sive potiùs acceptâ unâ potentiâ pro actu alterius, (nam illæ ad intellectum pertinent) adverte: hujusmodi excogitationes si consistant in quodam singulari modo texendi partem aliquam Orationis, exempli gratiâ, ut ingeniosis propositionibus à communi remotis, sed studioso artificio ad intentum inferendum, vel transitum parandum, aptatis, tunc potiùs ad Dispositionem spectabunt. Si iterum sint formæ quædam dicendi Phătasiæ seù excogitationes ingeniosæ.

cendi cum acumine, & harmonia, remittuntur ad Eloquutionis Figuras, aut Vivacitates, sivè Argutias, de quibus propria sede.

Quæ propriè tales dicendæ.

4 Cæterùm eæ mihi videntur Phantasiæ ad Inventionem pertinere, quæ rerum excogitationes sunt, itaut quod dici poterat uno modo; taliter tamen profertur, ut in eo appareat, vel intelligatur alterius rei additio. Hinc *Nazianzenus* multiformiter exaggerare potens plagam grandinis Civibus suis inflictam, eam exponere aggressus est ex eo, quod illi parem non haberet eloquentiam, additâ Phantasiâ, seù novâ rei excogitatione, non decere videlicèt eum loqui ea de re, quam ejus Parens Gregorius Episcopus explicare meliùs posset. Hac excogitatione per Allegoriam ducta, Orationem quintamdecimam exorditur: [Quid laudabilem ordinem solvitis? Quid linguæ legi servienti vim affertis? Quid sermonem spiritui cedentem provocatis? Quid relicto * Capite, ad Pedes recurritis? Quid * Aaronem prætereuntes, Eleazarum in medium producitis? Non patior Fontem obstrui, & torrentem currere: Solem occultari, & Stellam lucere.]

Orat. in plagâ Grādin.

* *Metaphora de Naturali ad mysticum.*
* *Stylus Scripturalis per usum Personarum.*

5 Insuper *Salvianus* in avaros invectus, sordidæ tenacitatis vitio novum quid addit, avarum nempè sine merito se affligere, quodque sibi iniquè subtrahit, aliis dissipandum relinquere, & excogitationem Ironiâ prosequitur: [Cum ergo ad Judicium Dei veneris, jure imputare ei jejunium tuum poteris, dicens: * Jejunavi Domine, & abstinui, ac diù me ab omni deliciarum fruge suspendi. Et res hoc probet: ecce enim nùnc hæredes mei de meo affluunt, & immensarum divitiarum copiis exabundant. Et ut aliquid etiam de Evangelio præsumas, hoc quod Salvator dixit de perditissimo illo Divite, potes, & tu forsican de hæredibus tuis dicere: induuntur purpurâ, & bysso, & epulantur quotidie splendidè, incubant defossis à me talentis, premunt argenti, & auri congestas strues, &c.]

Lib. 4. ad Eccles.

* *Prosopopeja.*

Avari miseria spontanea.

6 Ludit etiam *Tertullianus* super mulierum Vanitate, pompæ materiam de Draconibus quoque, ac piscibus trahente. Vivacitatis autem phantasia consistit in eo, quod modus loquendi supponit, nempè undique ornatum exquiri: [Ajunt, & de frontibus Draconum gemmas erui, sicut & in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerit Christianæ, ut de Serpente cultior fiat. * Sìc calcabit Diaboli caput, dum de capite ejus, cervicibus suis, aut ipsi capiti ornamenta struit.] Capillorum quoque tincturam improbat idem Tertull. in fœminis, excogitatione ad Germa-

Gemma de Serpentis fronte eruta.

* *Ironia.*

Lib. de Hab. mul. cap. 7.


manos, Gallosque flava Cæsarie nitentes excurrente, & ad flammeum colorem, gehennalis ignis præsagium. [Video quasdam, & capillum croco vertere. Pudet eas etiam Nationis suæ, quod non Germanæ, aut Gallæ sint procreatæ: ita * Patriam capillo transferunt. Malè, ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite.] Verùm hanc Artis novitatem sufficiat leviter observasse.

Lib. de cul. Fam. cap. 6.

Capillorum tinctura.

* *Sinecdoche Locus pro moribus Loci.*

CAPUT II.



De Locis Oratoriis.


E immensâ materiæ mole Oratorum ingenia opprimerentur, quemadmodùm Dialectici in decem Categorias, velut suprema Capita, distinxerunt Entia universa; ita Rhetores quasdam statuere sedes certas, quas Locos Rhetoricos appellarunt, unde argumenta omnia ad probandum Assumptum, aut adversariam positionem improbandam educerentur. De eis postquam fusè egisset *Quintilianus*, subdit: [Ergo ut breviter contraham summam, ducuntur argumenta à Personis, Causis, Locis, Tempore (cujus tres partes diximus, præcedens, conjunctum, insequens) Facultatibus, quibus Instrumentum subjecimus, Modo, ideſt ut quidque sit factum, Finitione, Genere, Specie, Differentibus, Propriis, Remotione, Divisione, Initio, Incrementis, Summâ, Similibus, Dissimilibus, Pugnantibus, Consequentibus, Efficientibus, Effectis, Eventis, Jugatis, Comparatione.] Nos tamen Modernis morem geremus, Locos, (qui definiuntur: *Sedes unde ad propositam Quæstionem conveniens trahitur argumentum*) ad contractiorem numerum redigentibus.

Lib. 5. cap. 10.

Locorũ enumeratio ex Quintiliano.

Eorum definitio.

SECTIO I.

De Definitione.

1 Efinitio non semper ejus rigoris Dialectici, ut genere constet, & differentiâ, usurpatur à Rhetore, sed latior, explicans naturam, vel qualitatem rei, de qua agitur, sivè per essentialia, sivè per aliqua rei propria, aut appropriata. Dupliciter fit: vel

vel per negationem, plura afferendo, quid non ſit res, explicantia: vel per affirmationem, ea ſcilicet adducendo, quæ rem, quid ſit, exponunt. Audiatur per propoſitiones affirmativas Deum Optimum Maximum definiens *Auguſtinus*: [In Magnitudine Infinitum, in Virtute Omnipotentem, in Bonitate Summum, in Sapientia Inæxtimabilem, in conſiliis Terribilem, in judiciis Juſtum, in cogitationibus Secretiſſimum, in verbis Veracem, in operibus Sanctum, in miſericordia Copioſum, ergà delinquentes patientiſſimum, erga pœnitentes piiſſimum, ſemper Idiſpum, Æternum, ac Sempiternum, Immortalem, atque incommutabilem.]

Dei Opt. Max. Attributa.

In Medit. cap. 12.

2 Proſequitur autem Sanctus Pater eamdem Definitionem propoſitionibus negativis: [Quem nec ſpatia dilatant, nec brevitas locorum anguſtat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec neceſſitudo corrumpit, nec mæſta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec oblivio tollit quidquam, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit.] Artificioſiùs hoc Loco, ſi utroque modo, utimur, negativis affirmativa, vel contrà, jungendo. Sic *Auguſtinus* pergit: [Sine deformitate Perfectum, ſine quantitate Magnum, ſine qualitate Bonum, ſine tempore Sempiternum, ſine morte Vitam, ſine infirmitate Fortem, ſine mendacio Verum, ſine ſitu ubique præſentem, ſine loco ubique totum, ſine extenſione omnia implentem, ſine contradictione ubique occurrentem, ſine motu omnia traſcendentem, ſine ſtatu intrà omnia manentem, ſine indigentia omnia creantem, ſine labore omnia regentem, &c.]

Cui omnis perfectio, nullus defectus convenit.

In Medit. cap. 12.

3 Ampliùs etiam Definitio ejuſmodi, propoſitionibus formatur nunc affirmativis, nunc negativis, nunc oppoſitis. *Tertullianus*: [Quod colimus nos, Deus Unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento Elementorum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, Ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum Majeſtatis ſuæ: unde, & Græci nomen Mundo Κόσμον accommodaverunt. Inviſibilis, etsì videatur: Incomprehenſibilis, etsì per gratiam repræſentetur: Inæxtimabilis, etsì humanis ſenſibus æxtimetur, adeò verus, & tantus eſt. Cæterùm, quod videri communiter, quod comprehendi, quod æxtimari poteſt, minus eſt, & oculis, quibus occupatur, & manibus, quibus invenitur. Quòd verò immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt: hoc quod eſt, Deum æxtimari facit, dum æxti-

Potentia, Incomprehenſibilitas, Immenſitas.

In Apol. c. 17.

Ornatum.

ti-

timari non cupit. Ita eum vis magnitudinis, & notum hominibus objecit,& ignotum.] *Basilius Seleuciensis*:[Regnum Cœleste amantem gloriæ sui cupitorem repellit, ambitiosa desideria rejicit: Humilitatis est merces,non Ambitionis diverforium.] Regnum Cœlorũ merces Humilitatis.

4 Hæ quidem Descriptiones potiùs,quàm Definitiones dicendæ, sed Orationi congruentiores. Et si quando definitio rigidior adhibetur, ut illa *Tertulliani*: [Quid enim, dices,sermo, nisi aër offensus?] Statim amplianda per descriptionem,ut argumenti uberior sit. Ideoque *Ambrosius*: [Plena enim est definitio Pœnitentiæ: Commemoratio delictorum: ut unusquisque peccata sua velùt quodam quotidiani sermonis castiget flagello, & commissa sibi flagitia condemnet.] Qua da re Definitio venustè ducitur per Epitheta à *Chrysologo*: [Joannes * Virtutum Schola, Magisterium vitæ, Sanctitatis forma, norma Justitiæ, Virginitatis speculum, Pudicitiæ titulus, Castitatis exemplum, Pœnitentiæ via, peccatorum venia,Fidei disciplina. Joannes major homine, par Angelis, Legis Summa, Evangelii Sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophætarum, Lucerna Mundi, Præco Judicis,Præcursor Christi,Dei Testis,totius medius Trinitatis,datur * incestui, traditur Adulteræ, addicitur Saltatrici.] *Et Ambrosius*: [Pietas amica Deo, Parentibus grata, Dominum conciliat, necessitudines fovet, Dei cultura est, merces parentum, Filiorum stipendium. Pietas, inquam, Justorum * tribunal, egenorum * portus, miserorum suffugium, Indulgentia peccatorum.]

Lib. adv. Praxeam cap.7. — Pœnitentiæ descriptio. — *In Psalm. 37.* — * *Epitheta.* — Joannis Baptistæ encomia. — *Ser. 127.* — * *Metonimia. Vitium pro Vitioso.* — *Ser. 18. in Psal.118.* — * *Metaphora de Genere ad genus.*

5 Per tropos etiam optimè ducitur Definitio. *Chrysostomus*: [Quid enim sunt res humanæ? Cinis, & pulvis, & tanquam pulvis ante faciem venti: * fumus, & umbra, & folium,quod circumfertur,& flos,& somnium, & narratio,& fabula: ventus, & aër mollis temerè diffluens, penna non consistens, fluentum prætercurrens.] Et *Basilius* Seleuciæ Episcopus Olympicos ludos tropis definiens: [Retulit tempus miseriarum matrem panegyrim, festivitatem se colentibus perniciabilem, mortis delectabile venenum, lætitiam exitii conciliatricem, voluptatem Gehennæ viam, piis animis machinam impietatis, Græcismum Christianisimi larvà coopertum; ut qui Christi sigillum gestant, Diabolo choræas agitent. Ecquid enim est aliud certamen Olympiacum, quàm Dæmonis festivitas in Crucis contumeliam?] Sìc igitur latè procedit Definitio videlicèt per tropos, Epitheta, & proprietates, aut quasi proprietates, quo modo

Hom. 9. in Epist. Ad Hebr. — *Metaphoræ ejusdem rationis,* — *Orat. 27.* — Olympiaci Ludi improbati.

Sedulius Christum secundùm Divinam Naturam descripsit.


Christi Dignitas.

Lib. 1. Oper. Pasch.

. . . . Cui jure perenni
Arcibus æthereis una est cum Patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Æquus honor, virtus eadem, sine tempore regnum,
Semper principium, Sceptrum juge, gloria consors.

SECTIO II.

De Notatione Nominis, & Enumeratione partium.



1 Præter usitatiores Nominum Notationes, (ut Consulis à Consulendo, Senatûs à Senibus, & hujusmodi) altiùs Notatio, sivè Ethimologia, vel Interpretatio Nominis exprimitur à Scripturis, & Patribus, uberiorem materiam argumentorum ostendens. 1. Reg. 25. [Ne ponat, oro, Dominus meus cor suum super virum istum iniquum *Nabal*, quoniam secundùm Nomen suum *stultus* est.] *Isaia* cap. 8. [Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, O *Emmanuel*. Loquimini verbum, & non fiet, quia *nobiscum Deus*.] Frequenter in Bibliis Sacris singulare quid exprimitur ex Nominis impositione, ibidem propter inclusum mysterium interpretati. Patres quoque sæpiùs in hoc Loco Rhetorico versantur, Nominis significationem perpendentes. Unde *Augustinus*: [Fides appellata est ab eo quod *fit* id, quod *dicitur*. Duæ syllabæ sonant, cum dicitur *Fides*, prima syllaba est à *facio*, secunda à *dico*: fac quod dicis, & Fides est.] *Chrysologus*: [Sociatur Herodi Herodias, ne essent vel *nomine* dissimiles, & jungerentur vocabulo, quos criminum junxerat turpitudo.] *Tertullianus*: [Nunc igitur si Nominis odium est, quis Nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum, nisi aut barbarum sonet aliqua vox Nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum? *Christianus* verò, quantùm interpretatio est, ab *unctione* deducitur. Sed, & cum perperàm *Chrestianus* pronunciatur à vobis, (Nam nec Nominis certa est notitia apud vos) de *suavitate*, vel *benignitate* compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam Nomen innocuum.]

Nominum impositio.

Ser. 237. de Temp.

Ser. 174.

In Apol. cap. 3.

Christiani, & Chrestiani. Nomen, utrumque à Virtute dictum.

2 Vivida Nominis notatio est apud *Drogonem Hostiensem*:

Lib. de Sacram. Dom. Pass. *sem* : [Sed ubi crucifixerunt eum ? in *Calvariæ* loco. Bona *Calvities*, quæ tali fronde vestitur. Ad hanc calvitiem Helisæus ascendebat:ascende Calve,ascende Calve. Vide si non *Calvus* est noster Helisæus : Filius hominis, inquit, non habet ubi caput reclinet. Calvus est noster Helisæus;quia Discipuli ejus,eo relicto,omnes fugerunt : quid enim Discipuli, nisi Capilli Capitis, qui omnes numerati sunt?] Insupèr *Ambrosius* ad fœneratores conversus: [Benè *fœnus* appellatur quod datis, ita vile, ac *fœnum*, est. * *Sortem* dicitis, quod debetur : etenim velùt urnâ ferali, misera *sors* volvitur, &c.] In quo etiam ludit Æquivoco. Et rursùm: [Est,& *Phison*, qui latinâ interpretatione, *oris* dicitur *commutatio*, circumiens terram Evilath, ubi est aurum, & aurum terræ illius bonum, & lapis carbunculus, & lapis prasius. Meritò Os illìc commutatur, ut non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, ubi est aurum bonum.]

Apostoli sunt Capitis Christi Capilli.

Lib. de Tobia cap. 4.

* *Æquivocum*.

In Psal. 1.

Fœneratores notantur.

Aurum comitatur dolus.

3 Idemque Sanctus *Ambrosius*, notans vocem *Exodi* transitum significare, ex eo advertit : [Qui *transit* de hoc sæculo, magnum visum videt. Moyses in Exodo legitur : multa videt miracula in *Exodo* : non tanta alius videt, qui non est in *Exodo*.] Et alibì Allegoricam Nominis interpretationem adducit in gemellis Judæ Filiis ex Thamar Nuru sua : [Itaquè posteaquàm manum reduxit, (*Zaram*) quasi incisione facta sepis, exivit Frater ejus,quem quasi medium parietem sepis, vel maceriæ, Apostolus nominavit, atquè ipse de incisione Nomen accepit:*Phares* enim *divisio* est;undè & Pharisæi nuncupati, eoquod à multorum se conjunctionibus *separarent*.] Et *S. Paulinus* Nolanus Antistes, loquens de Victore ferente sibi epistolas à Sulpicio Severo : [Victor, epistolarum nostrarum veredarius pedes, aut veredus bipes. Victor longissimarum viarum, benè idem dicendus, & * *Victor*, & *victus*, quia *vincitur* charitate, qua *vincit* vias duras, &c.] *Tertullianus* Achillis nomen notat ex eo quod labiis nutrimentum non attigerit, non enim lac suxisse, sed leonum medullis nutritum fuisse ferunt: [Naturam itaquè concussit Larissæus Heros in virginem mutando, ille ferarum medullis æducatus, unde & *Nominis* consilium: quandoquidèm *labiis vacauerat* ab uberum gustu:ille apùd Rupicem,& Sylvicolam,& monstrorum Eruditorem, & scrupeâ scholâ eruditus.]

In Psal. 36.

Lib. 3. in Luc.

Pharisæi Nomen undè ortum.

Epist. 9. Ad Sever.

* *Argutiæ*.

Achilles Leonū medullis enutritus.

Lib. de Pall. cap. 4

4 Meritò Hebraicum Populum à Domino Salvatore notatum fuisse minimæ Fidei, quam in Centurione idem Dominus exaltavit dicens : Non inveni tantam Fidem in

Iſraël; obſervat *Baſilius Seleucienſis* ex ipſo vocabulo Iſraëlis, quod *Videns Deum* ſignificat: [Nomen, quo tu appellaris, *Dei cogniti* argumentum eſt, ut ampliùs incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitùr appellationi, cujus virtute cares, contumeliam irrogas? Quid geſtas cognomen, quod Perſonæ probro ſit? Factis appellationem impugnas, & calumniâ Nomen tuum afficis.] *Sedulius Prasbyter* ex Nomine Heliæ infert, convenienter igneo curru, (non quem Soli Poëſis fabulando compegit) terris ereptum fuiſſe.

Iſraëlis incredulitas notata. — Orat. 15.

Quambenè fulminei prælucens ſemita Cœli
Convenit Heliæ, meritoque, & *Nomine* fulgens
Æthere dignus erat: Nam ſi ſermonis Achivi
Una per accentum mutetur litera, *Sol* eſt.

Helias interpretatur Sol. Ἥλιος — Lib. 1. Oper. Paſchal.

Enumeratio partium.

5 Enumeratio partium non obſtruſus eſt Locus, & amplitudinem præbet nedùm ad arguendum, verumetiàm ad amplificandum per partes, ſivè eſſentiales, ſivè accidentales, ſivè integrantes, ſivè pòtentiales, & ſubjectivas, ſivè virtuales, ſeù virtutes, & facultates, ut in homine, Anima, Corpus, Color, Figura, Membra, Senſus externi, interiores potentiæ, & habitus Virtutum, ac Vitiorum. Hic autèm Locus in uſum venit, dum aut partibus omnibus affirmatis, ſivè negatis, totius affirmatio, ſivè negatio conſurgit, & cuique haùd difficilis. Vel enumeratio fit earum partium, quæ inducunt ad affirmandum, vel negandum totum Orbem, aut Regnum. Sic Pſalmodus: [Quò ibo à Spiritu tuo? Et quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in Cœlum, tu illìc es: Si deſcendero in infernum, ades: Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenìm illùc manus tua deducet me, &c.] Ex quo deducitur, nullìbì in univerſo Orbe locum ſibi patere, quò Dei potentiam ſubterſugiat. — *Pſal. 138.*

6 Mundi concinnitatem *Auguſtinus* ex partium pulchritudine probat. [Videmus Cœlum, & terram, ſivè corporalem partem ſuperiorem, atquè inferiorem, ſpiritualem, ſivè corporalem creaturam; atquè in ornatu harum partium, quibus conſtat vel univerſa Mundi moles, vel univerſa omninò creatura. Videmus lucem factam, diviſamque à tenebris. Videmus Firmamentum Cœli, ſivè inter ſpirituales aquas ſuperiores, & corporales inferiores primarium Corpus mundi: ſivè hoc ſpatium aëris, (quia & hoc vocatur Cœlum) per quod vagantur volatilia Cœli, &c.] — *Lib. 13. Conf. cap. 32.*

Orbis deſcriptio per aliquas ejus partes.

Aure-

Aurelius Clemens Prudentius Cæsaraugustanus Vir Consularis, contra Symmachum Urbis Romæ Præfectum, (quem *S. Ambrosius epist.* 31. eruditissimè confutarat, pro Idololatria restituenda totis viribus certantem) Carmine Heroico Christianam Fidem defendens, asserit ideo Deum totius Orbis (quem per potiores partes describit) Imperium tradidisse Romanis, ut sub Unius regimine, Orbe in pace composito, plenitudo temporis adveniret, & Verbum Caro nasceretur.

In Carm. cōt. Symm. Sect. 5.

Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armaratque feras in vulnera mutua * Dextras.
Hanc frænaturus rabiem Deus, undique Gentes
Inclinare caput docuit sub legibus isdem,
Romanosque omnes fieri, Quos Rhenus, & Ister,
Quos Tagus aurifluus, Quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum, Quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidique lavant septem Ostia Nili.

* *Sinecdoche.*

Romani amplitudo Imperii.

Conformiter *S. Paulinus*, ut totum Neapolitanum Regnum exprimat Nolanam ad Urbem convenire, dum Sancti Felicis Martyris anniversaria Stata agerentur, principaliores ejus Regni partes enumerat, ex quibus hominum concursus eò fiebat.

Carm. 3. *In Nat. S. Felicis.*

Stipatam multis unam juvat * Urbibus Urbem
Cernere, totque uno compulsa examina voto.
Lucani coëunt Populi, coit Appula Pubes,
Et Calabri, & cuncti, quos alluit Æstus uterque;
Qua lævâ, & dextrâ Latium circumsonat undâ,
Et qua bis ternas Campania læta per Urbes
Ceù propriis gaudet festis, quos mœnibus amplis
Dives habet Capua, & quos Pulchra Neapolis, aut quos
Gaurus * alit, læta exercent qui Marsica, quique
Usentem, Sarnumque bibunt, &c.

Sinecdoche.
* *Continens pro contento.*

Regni Neapolitani accolæ.

* *Metonimia. Effectus pro causa.*

7 Partes quoque dici possunt ea plura, in quæ dividitur unum veluti Totum, consistentia in diversitate conditionis, & qualitatis personarum, quæ proindè videntur componere aliquod Totum in eo genere. *Hieronymus* diversi status personas numerans Bethlehemiticam Provinciam in Salvatoris obsequium Canticis frequentantes, ait: [In Christi Villula tota rusticitas, & extra psalmos silentium est. Quocùmque te verteris, Arator stivam tenens, Alleluia decan-

Epist. 17. *Ad Marcellam.*

Devoti cantus in Bethlehem.

cantat: Sudans Messor, psalmis se avocat: & curvâ attondens vitem falce Vinator, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac Provincia carmina, &c.]

SECTIO III.

De Genere, & Forma, seù Specie.

1 GEnus non illud dumtaxat hìc accipi putamus, quod est Totum univocum potentiale, in plures Species verè tales divisibile, ut Animal respectu Hominis, Leonis, Formicæ, Ursi, &c. Quo modo probatur, omnia animalia sensu vigere, ex eo quod Animal sensitiva natura est. Sed prout importat quamcumque Communitatem analogam, æquivocam, similitudinariam, & hujusmodi. Insuper hic Locus complectitur Avorum Genealogias, ex quibus qui laudari debet ortum ducit, Patriæ quoque decora ipsum in lucem edentis. Ideoque hinc etiam Basilii Magni Cappadocis laudem deduxit *Nazianzenus* ejusdem Encomiastes: [Enimverò si Majorum imaginibus eum, Generisque splendore, aut ullis omninò levibus rebus, quibus humi defixi homines efferri solent, gloriari viderem, alius utique Heroum cathalogus appareret: tot, tantaque à Majoribus illius ad eum ornandum accipere possemus. Ac ne Historiis quidem quicquam in hac parte cederemus, hoc certè nomine superiores futuri, quod non commentitiis, fabulosisque narrationibus, sed rebus ipsis, quarum multi testes sunt, gloriamur. Nam cum permulta nobis laudum argumenta ex Paterno latere Pontus suppeditet, & quidem priscis suis miraculis, quibus, & Historicorum, & Poëtarum volumina plena sunt, neutiquam inferiora: tùm etiam permulta subministrat veneranda hæc mea Patria Cappadocia, non minùs bona Juvenum nutrix, quàm equorum. Ita fit ut Paterno Generi, Materni Generis splendorem opponamus, &c.] *S. Paulinus* encomium Sancti Felicis prosequitur ex Majorum indicata Nobilitate, & Palæstinæ, (ubi is ortus erat) dignitate, per Salvatoris in carne conversationem. Ideo Christum alloquens.

Majorum gloria vanè affectata.

Orat. in Laud. Basil.

Cappadocia Equorum ferax.

Quare ades, ut Te duce, Te repetens ab origine, pergam
Felicem narrare tuum, cui nobile ductum

Palæstinæ Provinciæ laus.

Carm. 4. in Nat. S. Felic.

Ex

Ex Oriente Genus: nec enim magis, altera tellus
Felicis Patriam decuit, quàm quæ Patriarchas,
Quæque pios tulerat, Christi * Sacra Vasa, Prophætas, * *Epithetum*.
Unde, & Apostolicis fundens sua fulmina linguis,
Totum Evangelii sonus emanavit in Orbem. Prophætæ Vasa Christi.

2 Forma, seù Species pressiùs sumpta, ut dividitur contra verum Genus, Locus est arguendi, dux ex illa una vel pluribus, desumitur ratio ad probandam naturam, vel qualitatem Generis. Sìc procedit discursus Patriarchæ Loth apud *S. Cyprianum*, sivè *Tertullianum* (utrique enim Carmen de Sodoma tribuitur) exaggerantis flagitii nefas petentibus ad obscænum abusum Juvenes ad se ingressos, ex eo, quod nullum animal ad hanc nefandam libidinem inclinat. *A' Forma.*

Quò luxûs genitura vocat? quo semina frustra?
Quo nullæ nuptant animæ, non lustra colentes,
Non stabulis reduces, non undis subter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis propè nubila pendent,
Nec quæ per terram, protracto corpore, repetant:
Omne genus luxu genus est, sed fœmina conjux
Omnibus, & nunquàm cuiquam, nisi fœmina mater.

Nulli pecudi contrà Naturam libido inest.

3 Aliquandò tamèn hic Locus usurpatur in illis rebus, quæ verè non sunt species respectu alicujus, sed minùs propriè, inquantum ex probatione earum, probatio consurgit rei communioris, quacumque communitate, etiam per modum connexionis cum quadam nihilominùs subiectione: sicut probari posset perfectio Mathematicæ ex pluribus scientiis illi subalternatis. Unde *Tertullianus* notat, plura Hæresum dogmata ex antiquæ Philosophiæ erroribus derivata: [Ea est enim materia Sapientiæ Sæcularis temeraria interpres Divinæ Naturæ, & dispositionis. Ipsæ denique Hæreses à Philosophia subornantur. Inde Æones, & Formæ nescio quæ, & Trinitas hominis apud Valentinum; *Platonicus* fuerat. Inde Marcionis Deus * melior de tranquillitate: à *Stoicis* venerat. Et ut anima interire dicatur: ab *Epicureis* observatur. Et ut Carnis restitutio negetur: de una omnium Philosophorum Schola sumitur. Et ubi Materia cum Deo æquatur: *Zenonis* disciplina est. Et ubi aliquid de Igneo Deo allegatur: * *Heraclitus* intervenit. Eædem materiæ apud Hæreticos, & Philosophos volvuntur, iidem retractatus implicantur.]

Lib. de Præscript. adv. Hæret. cap. 7.

Hæreses multæ ex Philosophis originem nactæ.

* *Ironia*.

* *Metonimia*. *Author pro ejus doctrina*.

4 Am-

4 Per diversas autem Virtutes, quæ sine Justitia vacuæ sunt, *Ambrosius* Justitiæ explicat dignitatem, proinde tanquàm communioris per minùs communes: [Prudentia enim sine Justitia nocet: Fortitudo quoque, nisi eam Justitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori, quam Rationi propior, dominationi, quàm libertati: Sobrietas, & Temperantia, privata bona sunt, nec ullius vis, nisi justâ erga Deum reverentiâ, & fideli mente pietatem colas. Justitia sola est, quæ Virtutes omnes complectitur.] Idem argumentum duci potest ad probandam excellentiam Virtutis Charitatis, sine qua nulla Virtus ad salutem pertingit.

Justitia omnes Virtutes cōplectitur.

Lib. 2. de Abrah. cap. 10.

5 Sed, & Formæ vocabulo accipitur etiam formositatis, sivè exterioris figuræ concinnitas, nedùm oris, sed totius personæ, quæ laudatur, vel fingitur, ex qua interior qualitas probatur. Hinc *Tertullianus* qualis sit Patientiæ decor ex externa delineatione desumpsit: [Agè jam, si & effigiem, habitumque ejus comprehendamus: Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nullâ mœroris, aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate dejectis: Os taciturnitatis honore signatum: color qualis securis, & innoxiis: motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus. Ceterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur, &c.]

Patientiæ descriptio per externam delineationem.

Lib. de Pat. cap. 15.

6 Dei etiam admirabilem Sapientiam in humano plasmate, ex Corporis descriptione, cujus pauca subjicimus, exaggerat *Ambrosius*: [Forma tamen Humani Corporis est venustior, status erectus, & excelsus, ut neque enormis proceritas sit, neque vilis, & abjecta pusillitas. Tùm ipsa habitudo corporis suavis, & grata, ut neque belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati. Ac primum omnium cognoscamus, Humani Corporis fabricam instar esse Mundi. Siquidem, ut Cœlum eminet aëri, terris maria, quæ velùt quædam membra sunt Mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, &c.] *Idem* ex exteriori figura, animi pulchritudinem indicat inferendam: Loquens de Fratribus septem Machabæis: [*Quo affectu vos prosequar Sanctæ Matris pia Pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ vestræ, & animarum similitudinem? Stetistis inter Exercitus Regios, quibus totus fuit Orbis terrarum subactus, &c.] *Nazianzenus* post plures matrimonii laudes à Muliere conjugata per Prosopopejam prolatas, inducens Virginitatem sua bona proferen-

Humani Corporis venusta compositio.

Lib. 6. Hexam. cap. 9.

**Interrogatio admirantis. Figura.*

Et Apostrophe. Figura.

Lib. 2. de Jacob cap. 12.

ferentem, paucis ante carminibus ejus exteriorem formam describit.

Carm. in Laud. Virg.

* Tum mæsto vultu, atque hirsutis horrida pannis,
Infirmis membris, macie confecta, pedesque
Nuda, solo fixis oculis, immobilis hærens
Virginitas paulùm diducens verba pudore,
Purpureoque suam perfundens sanguine frontem,
E capite extracto clàm se se obvelat amictu.

** Hypotiposis. Figura.*

Simplicitas, & modestia decent Virginitatem.

7 Ex Speciei exterioris, sivè etiam ornatûs descriptione sumit argumentum pro Pudicitiæ discrimine exaggerando, *Tertullianus*: [Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem * mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem * immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & * earum partium, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen impendimus, alteri prostitutionis. &c.] Et alibi: [Cum igitur, & vestra, & aliorum causa verseтur in studio periculosissimi decoris, jam non tantùm confictæ, & elaboratæ * libidinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione, & incuriâ, ut proindè oculorum incursibus molestum. Nam etsì accusandus decor non est, ut * felicitas corporis, ut divinæ Plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana, timendus tamen est vel propter injuriam, & violentiam spectatorum.] Et infrà: [Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis? Aliæ gestiunt in cincinnos coërcere: aliæ ut vagi, & volucres elabantur non bonâ simplicitate. Affigitis prætereà nescio quas enormitates sutilium, atque textilium capillamentorum, nùnc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retrò suggestum.]

Lib. de Hab. Mul. cap. 4.

Lib. de Cultu Femin. cap. 2.

Ibid. cap. 7.

** Annominatio. Figura.*

Cultus fœminarum taxatur.

** Circumlocutio Verbi.*

** Metonimia. Effectus pro Causa.*

** Epitheta.*

Varii crinium flexus.



4 Per diversas autem Virtutes, quæ sine Justitia vacuæ sunt, *Ambrosius* Justitiæ explicat dignitatem, proinde tanquàm communioris per minùs communes: [Prudentia enim sine Justitia nocet: Fortitudo quoque, nisi eam Justitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori, quam Rationi propior, dominationi, quàm libertati: Sobrietas, & Temperantia, privata bona sunt, nec ullius vis, nisi justâ erga Deum reverentiâ, & fideli mente pietatem colas. Justitia sola est, quæ Virtutes omnes complectitur.] Idem argumentum duci potest ad probandam excellentiam Virtutis Charitatis, sine qua nulla Virtus ad salutem pertingit.

Justitia omnes Virtutes cōplectitur.

Lib. 2. de Abrah. cap. 10.

5 Sed, & Formæ vocabulo accipitur etiam formositatis, sivè exterioris figuræ concinnitas, nedùm oris, sed totius personæ, quæ laudatur, vel fingitur, ex qua interior qualitas probatur. Hinc *Tertullianus* qualis sit Patientiæ decor ex externa delineatione desumpsit: [Agè jam, si & effigiem, habitumque ejus comprehendamus: Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nullâ mœroris, aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate dejectis: Os taciturnitatis honore signatum: color qualis securis, & innoxiis: motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus. Ceterùm amictus circùm pectora candidus, & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur, &c.]

Patientiæ descriptio per externam delineationem.

Lib. de Pat. cap. 15.

6 Dei etiam admirabilem Sapientiam in humano plasmate, ex Corporis descriptione, cujus pauca subjicimus, exaggerat *Ambrosius*: [Forma tamen Humani Corporis est venustior, status erectus, & excelsus, ut neque enormis proceritas sit, neque vilis, & abjecta pusillitas. Tùm ipsa habitudo corporis suavis, & grata, ut neque belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati. Ac primum omnium cognoscamus, Humani Corporis fabricam instar esse Mundi. Siquidem, ut Cœlum eminet aëri, terris maria, quæ velùt quædam membra sunt Mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, &c.] *Idem* ex exteriori figura, animi pulchritudinem indicat inferendam: Loquens de Fratribus septem Machabæis: [*Quo affectu vos prosequar Sanctæ Matris pia Pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ vestræ, & animarum similitudinem? Stetistis inter Exercitus Regios, quibus totus fuit Orbis terrarum subactus, &c.] *Nazianzenus* post plures matrimonii laudes à Muliere conjugata per Prosopopejam prolatas, inducens Virginitatem sua bona proferen-

Humani Corporis venusta compositio.

Lib. 6. Hexam. cap. 9.

**Interrogatio admirantis. Figura.*

Et Apostrophe. Figura.

Lib. 2. de Jacob cap. 12.

ferentem, paucis ante carminibus ejus exteriorem formam describit.

Carm. in Laud. Virg.

* Tum mæsto vultu, atque hirsutis horrida pannis,
Infirmis membris, macie confecta, pedesque
Nuda, solo fixis oculis, immobilis hærens
Virginitas paulùm diducens verba pudore,
Purpureoque suam perfundens sanguine frontem,
E capite extracto clàm se se obvelat amictu.

* *Hypotiposis. Figura.*

Simplicitas, & modestia decent Virginitatem.

7 Ex Speciei exterioris, sivè etiam ornatûs descriptione sumit argumentum pro Pudicitiæ discrimine exaggerando, *Tertullianus*: [Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem * mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem * immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & * earum partium, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen impendimus, alteri prostitutionis. &c.] Et alibi: [Cum igitur, & vestra, & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, jam non tantùm confictæ, & elaboratæ * libidinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione, & incuriâ, ut proindè oculorum incursibus molestum. Nam etsì accusandus decor non est, ut * felicitas corporis, ut divinæ Plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana, timendus tamen est vel propter injuriam, & violentiam spectatorum.] Et infrà: [Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis? Aliæ gestiunt in cincinnos coërcere: aliæ ut vagi, & volucres elabantur non bonâ simplicitate. Affigitis prætereà nescio quas enormitates sutilium, atque textilium capillamentorum, nùnc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retrò suggestum.]

Lib. de Hab. Mul. cap. 4.

Lib. de Cultu Femin. cap. 2.

Ibid. cap. 7.

* *Annominatio. Figura.*

Cultus fœminarum taxatur.

* *Circumlocutio Verbi.*

* *Metonimia. Effectus pro Causa.*

* *Epitheta.*

Varii crinium flexus.



SECTIO IV.

De Causa, & Effectu.

1  Uamvis hic Inventionis fons dividatur in quatuor capita juxtà Causæ quadripartitionem, derivatur nihilominùs in alias Causas, quæ saltèm aliquo modo ad effectum concurrunt, ut ex illis probetur, & reducuntur ad eas præcipuas, videlicèt Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem. Unde Locum hunc ad commodiorem usum ampliando, pro Causa Materiali sumi potest omne id, quod loco materiæ affertur, sivè quoad munus recipiendi, sivè in quo passio quælibet exercetur, sivè ex munere substentandi, sufficit enim ad Locum Rhetoricum conditiones materiæ imitari. Forma insupèr nedùm constituit rem, sed ornat, recipitur, substentatur, facit differre, ideoque per quodlibet horum munus, usurpari potest nomen Causæ Formalis, extensum etiam ad Motivum, seù Rationem formalem inclinandi, & operandi. Simili discurritur modo de Fine, cujus proprium est allicere, ut intendatur in opere, & omnia ad ipsum ordinentur. Efficiens tandem complectitur Causas principales, instrumentales, suasivas, impulsivas, impedientes, & ejusmodi. Hisque ferè omnibus formulis, rationem eruendi à Causis usos comperimus Patres.

Causarum pro Rhetorica diversæ acceptiones.

Causa Finalis.

2 Ex Causa propriè Finali rationem reddit *Ambrosius* Theodosio Imperatori: cur affirmaturus esset Episcopus à se Synagogam incensam, quam Cæsar jubebat restitui: [Hac proposita conditione, puto dicturum Episcopum, quod ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos concluserit: *Ne amittat occasionem martyrii.*] Et alibi, loquens de Jacob: [Famem pertulit, sepulturam defunctus amisit: transferri enim ossa sua, *nè vel mortuus requiesceret*, obsecravit.] *S. Paulinus* de Jesu Christi venditione agens: [Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate: ipse nobis hac vilitate pretiosior, quòd se vilem vult æxtimari, *ut ab omnibus ematur.*] *S. Zeno* explicans ad quem finem Deus ingentes fortunas utplurimùm malis elargiatur: [Adventitiis divitiis cumulat: *Si fortè nimietate ipsa satiatum*, ad sensum, & intelligentiam humanitatis *adduceret*: animamque eius per abundantiæ nimietatem *suaderet aliquid de indigentibus cogitare.*] 3 Effi-

Epist. 29.

Jacob transferri suū corpus mandavit.

Lib. de Fide Resur.

Christus sua vilitate prætiosus.

Epist. 4.

Divitias cur Deus largitur.

Serm. de Evang. Sec. Luc.

3 Efficiens causa nedùm venit in usum cùm prorumpit in effectum ex ipsa probandum, sed cum ponitur ut ratio, quare non sequutus fuerit effectus absolutè, vel non ex alia causa. Utriusque exemplum habes ex *Ambrosio*, quare 3.Reg.21. non dictum sit *Maledixit*, causam reddente: [Benedixit, inquit, Deum, & Regem: *Nè divitem maledicti nomen offendat*, & sermonis ipso *lædatur sono, benedictio pro maledicto* vocatur.] Iterùm loquens de præfata Synagogæ eversione. [Si objiciatur mihi cur hìc non incenderim? *Divino jam cremari cœpit judicio*, meum cessavit opus. Etsì verum quæritur: *Ideo segnior fui*: * *quia non putabam hoc vindicandum*. Quid facerem, quod, nullo ultore, sine præmio foret?] Efficientem Causam moralem in Rege Saul impulsivam scilicet ad cædem Davidi intentandam innuit *Basilius Seleuciensis*: [Paulùm enim à Dæmonis exitu levatus, & adversorum detersa caligine: in David, quem præsentem agnoverat, hastam ejaculatus, medicinæ pretium cædem obtulit: quasi *ad mentem sobriam ideo se recepisset, ut iterùm serviret Invidiæ*.] Ex Efficiente inclinativa *S. Zeno* alloquens Virginem ornatam: [Denique ipso cultûs rigore in Oratione non flecteris, non manus tendis, tumidum monilibus pectus prostrare dedignaris. Sanè cervicem curvas, non Religione, *sed pondere*.] *Sedulius* loquens de Muliere priùs à Spiritu nequitiæ incurvata, & à Christo erecta:]

Lib. de Naboth. cap. 15. — Divites etiam verbo læduntur. — Epist. 29. — * Laconismus. — Orat. 15. — Saul in Davidē ingratus. — Serm. de Avar. — Cultus fœmineus Devotionem impedit.

> Totum erecta videns: quia *quos malus opprimit hostis*
> *Ima petunt*: quos Christus alit, sine labe resurgunt.

Lib. 3. Operis Pasch.

4 Sicut autem Causæ Formalis est dare esse rei, ita privatio ejus ad Formam reducitur. Unde cum ex hac privatione ratio deducitur, Locus à Causa Formali exercetur. *S. Leo Papa*: [Pendente in patibulo Creatore, universa Creatura congemuit, & Crucis clavos omnia simùl Elementa * senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit: hoc in communionem sui, & terram traxit, & Cœlum: hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, & densarum horrore tenebrarum radios Solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo Mundus Authori, *ut in occasu Conditoris sui * vellent universa finiri*.] Ex adverso autem quando pro Causa rei affertur id, quod pertinet ad constitutionem, & ornamentum alicujus, arguitur ex Causa Formali. Sìc *Ambrosius* nuditatem loci ubi Abel occisus est, pro causa congruente attulit, cur illic patratum esset fratricidium. Et licèt

Causa Efficiens. — Causa Formalis. — Ser. 6. De Pass. — * Energia. — Christo moriente, creatura universa deficere visa est. — * Energia.

cèt germinare pertineat ad Causam effectivam; ariditas tamen constituens agri infelicitatem, fuit Causa Formalis extrinseca, conducens ad facinus: [Tanquàm præsagiens Natura tanti sceleris, in loco germina denegaverat: *Quia* non conveniebat, ut idem solum, & contagia parricidalis sanguinis reciperet, & *fructus secundùm naturam germinaret.*]

Scelus Cain in Fratrem.

Lib. 2. de Cain. & Abel. cap. 8.

5 Ipse etiam rubor faciei, & verecundia, sivè ex Virtute, sivè de punitione, aut vitio proveniat, ad Causam Formalem reducitur. *Tertullianus*: [Sed, & quare mulier potestatem super caput habere debebit? Si quia ex Viro, & propter Virum facta est, secundùm institutionem Creatoris; sic quoque ejus disciplinam Apostolus curavit, de cujus institutione *causas* disciplinæ interpretatur, adjicit etiam: propter Angelos. Quos? idest cujus? Si Creatoris Apostatas: meritò, *ut illa facies*, quæ eos scandalizavit, *notam quamdam referat* de habitu humilitatis, & obscuratione decoris.] Et alibi: Loquens de Deo ficto à Marcionitis, nihil scelera punire curante, quem Idem apposito epitheto vocat *Mundo Neminem*, seù stupidum, ait: [Stuporem suum ædificant Marcionitæ, quod novum Deum proferant: quasi *Nos veteris Dei pudeat.*] *Ambrosius* duorum Filiorum Noë, qui terga Patri vertentes, eum pallio cooperuere, modestiam insinuat: [Litera evidentèr pietatis expressit affectum, quòd nudatum amictu Patrem boni Filii videre caverunt: *Ne paterna reverentia, vel ipso minueretur aspectu*. Siquidem etiam * tacito vultu pietas frequentèr offenditur.] Lepidè idem Sanctus Præsul quamdam verecundiæ imaginem Leonibus tribuens, in Sanctam Theclam immissis: [Docuerunt etiam Castitatem, dum Virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tanquàm * *verecundantibus, nè mares aliqui, vel bestia, Virginem nudam videret.*] Motiva, seù inductiva causa, sivè Ratio Formalis artificiosiùs tractatur, cum ejus effectus videtur illi contrarius; hoc est cum id, ad quod inducit, non videtur congruere Rationi Formali ex qua infertur, ut si diceretur: Scimus hoc indubium esse, quia inverisimile. *Tertullianus*: [Natus est Dei Filius: * non pudet, *quia pudendum est.* Et mortuus est Dei Filius: prorsùs credibile est, *quia ineptum est.* Et sepultus resurrexit: *Certum est, quia impossibile est.*] Ut Marcion existimabat.

Angelos reprobos mulieribus pulchris commixtos opinatur Tertullianus.

Lib. 5. adver. Marc. cap. 8.

1. Cor. 11.

Lib. 1. adv. Marc. cap. 8.

Noë reverenter à duobus Filiis pallio tectus.

Lib. de Noë, & Arca cap. 31.

* *Metaphora. Ex eo quod convenit linguæ, ad id quod convenit vultui.*

Leones Virgini obsequuntur.

* *Energia.*

Lib. de Carne Christi, Cap. 5.

* *Paradoxa.*

6 Causa Materialis non illa dumtaxàt hic sumitur, quæ dicitur Prima, cōstituens cum Forma Compositum substantiale; sed etiam illa, quæ ordinatur ad quamlibet formam

Causa Materialis.

ac-

accidentalem, imò & moralem,ut lapis, lignum, argentum, entitas, respectu statuæ, cathedræ, vasis, deformitatis, malitiæ, & hujusmodi. Ex omnibus enim illis erui possunt argumenta,& rationes.Unde Caro obdurata, materia est cum forma obdurationis. Quod prò causa attulit *Damascenus* cur tres pueros in camino flamma non læserit; Et Danieli vim leones afferre non potuerint: [Quid de Daniele dicam, *cujus corpus Virginitate ita obduratum est*,ut ferarum dentes ei insigi nequiverint? Quid tres pueri? Nonnè cum Virginitatem coluissent,ignis ardorem superarunt? Id videlicet per Virginitatem adepti,*ut eorum corpora* igne confici minimè possent.] *Tertullianus* varias cultûs species ex diversis rebus formari à fœminis notans, sic loquitur: [Nam cùm, & materias quasdam benè occultas, & artes plerasque non benè revelatas sæculo multò magìs imperito prodidissent: (Siquidem, & metallorum opera nudaverant, & herbarum * ingenia traduxerant, & incantationum vires provulgaverant, & omnem curiositatem, usque ad stellarum interpretationem designaverant) propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt: Lumina *lapillorum*, quibus monilia variantur, & circulos ex *auro* quibus brachia arctantur: &c.] Et infra: [Quod si de qualitate usûs, gloria est auro, & argento: atquin magìs ferro,& æri: quorum ita disposita est utensilitas, ut & proprias operas plures, & necessariores exhibeant rebus humanis; & nihilominùs auri, & argenti de sua vice accommodant justioribus causis. Nam & annuli *ferro* fiunt; quædam esui, & potui vascula ex *ære* adhùc servat memoria Antiquitatis. &c.]

Lib. 4. de Fide cap. 25. — Daniel virginitate à Leonibus tutus. Et tres pueri ab igne non læsi.

Lib. de Hab. Mul. cap. 2.

* *Energia.*

Eod. lib. cap. 4. — Ferrum, & Æs auro ad usum accomodatiora.

7 Ulteriùs Materiæ nomen, & ratio tribuitur rebus etiam, circà quas habitus, vel potentiæ versantur; ideoque sortiuntur nomen Causæ Materialis,non ex qua aliquid fit, sed circà quam aliqua feruntur. Sicut tendit Intellectus in varia Scientiarum objecta, Sensus in sensibilia.*Tertullianus*: [Non vides *alienos Deos*: non imaginibus eorum incurris, non solemnes Nationum dies ipsa commixtione participas, non *nidoribus spurcis* verberaris, non *clamoribus* spectaculorum *atrocitate, vel furore, vel impudicitiâ* celebrantium cæderis: non in *loca libidinum publicarum* oculi tui * impingunt: vacas à *scandalis* &c.] Ex quo probat,Martyres in carcere à sæculi vanitatibus spectandis alienos, promptiores esse ad Cœlestia contemplanda, subdens: [Etsì corpus includitur, etsì caro detinetur, *omnia* spiritui patent. Vagare

Lib. Ad Martyr. ca. 2. — Securitas conscientiæ in jis qui sæculo renunciant.

* *Metaphora. Ab actu pedis ad nutum oculi.*

gare

gare spiritu, spaciare spiritu, & non stadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, sed *illam viam, quæ ad Deum ducit.* Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. * Nihil crus sentit in nervo, cùm animus in *Cælo* est. Totum hominem Animus circumfert, & *quò velit* transfert. Ubi autem erit cor tuum, illic erit, & thesaurus tuus. Ibi ergo sit cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum.]

* *Sententia.*

8 Insuper Causa Materialis vocatur illa, in qua aliqua ponitur res, aut forma artificiosa, vel naturalis, ut pomum, in quo sapor, color, figura: Sertum, in quo flores, spinæ: annulus, in quo gemma, & hujusmodi. Hinc *Tertullianus* vanam taxat ostentationem eorum, qui caput gestant florum varietate redimitum: [Hoc sint tibi flores, & inserti, & innexi, & in *filo*, & in *scirpo*, quod liberi, quod soluti, spectaculi scilicèt, & spiraculi res. Coronam si fortè fascem existimas florum per seriem comprehensorum, ut plures semel portes, ut omnibus pariter utaris. Jam verò, & in *sinum* conde, si tanta munditia est: in *lectulum* sparge, si tanta mollitia est: in poculum crede, si tanta innocentia est: tot modis fruere, quot, & sentis. Cæterùm *in capite* quis * sapor floris? Quis coronæ sensus, nisi vinculi tantùm?] Sedulius:

Florum usus varius.

Lib. de Corona Milit. cap. 5.

* *Metaphora. Ab objecto gustus ad objectum visus.*

Jonas * Puppe cadens, Ceto sorbente, voratus,
* In *Pelago* non sensit aquas: vitale *Sepulchrum*,
Ne moreretur, habens, tutusque in *ventre* ferino,
Depositum, non præda fuit, vastumque per æquor
Venit ad ignotas, inimico * Remige, terras.

* *Synecdoche: Pars pro Toto.*
* *Paradoxa.*
* *Metaphora.*

Nec te moveat, præfata exempla Locum potiùs, quàm materiam indicare. Nam Locus etiam, non formaliter, prout est superficies corporis continentis, sed materialiter, in quo ponitur res aliqua, ad Materialem Causam refertur.

9 De Effectibus, ex quibus ad probandam causæ veritatem, vel existentiam rationes promuntur, pauca subnectam: servata enim proportione ad Causas, quarum nuper tractatus est habitus, facilè eorum notitia, & theoria pervia est. *Basilius Magnus*: [Samuelem verò nonnè per jejunium Oratio largita est matri? Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit, nonnè jejunium, cum quo in matris ventre conceptus est? Jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Jejunium Prophætas genuit,

Effectus.

Jejunii effectus.

Hom. 1. de Jejun.

Hom. 2. de Jejun. nuit, &c.] Et iterùm: [Jejunium, Angelorum ſimilitudo, Juſtorum contubernalis, vitæ caſtigatio. Hoc Moyſen Legislatorem fecit. Jejunii fructus eſt Samuel. Hoc Magnum Samſonem inſtar Nutricis enutrivit,& donec Viro ipſum adhærebat, per milliaria Hoſtes cadebant, & portæ inimicorum divellebantur, & Leones manuum robur non ſubſtinebant. Ubi verò ebrietas, & ſcortatio ipſum apprehendiſſent, jam Hoſtibus captu facilis erat. Elias per jejunium concluſit Cœlum per annos tres, ac menſes ſex. Cum enim multam injuriam ex ſatietate naſci noſſet, neceſſariò ipſis invitum ex fame jejunium induxit, per quod, peccatum ipſorum, jam ad immodeſtiam diffuſum, compeſcuit, ac finivit per jejunium, velùt per cauterii uſtionem, aut ſectionem, mali progreſſu ampliore intercepto.] *Ambroſius* loquens de Juda, cujus avaritia etiam Fidem obruerat: [Po-

Samſon jejunans, invictus.

Intemperans viribus privatus.

In Pſ. 35. tuit intelligere, ut benè ageret, ſi voluiſſet. Videbat ſanari Paralyticos, Cæcis refundi lumen, Mortuos reſuſcitari. Non debuit intelligere, quod Deus eſſet, qui talia poſſet operari?]

10 Plurima ſuppeterent exempla ex *Tertulliano*, aliqua decerpam. Loquens itaque de Scorpione, cui pares facit Hæreticos: [Cæterùm ſi plagam ſatiaverit, intimat virus, & properat in viſcera, ſtatim omnes priſtini ſenſus retorpeſcunt, ſanguis animi gelaſcit, carne ſpiritus exoleſcit, nauſea Nominis inacreſcit.] Per effectus Vitium Impatientiæ exaggerat *Tertullianus*; primum enim ejus effectum aſſignans in Angeli ruina, pergens ad Hominis caſum ex Hevæ impatientis ſuaſu, ait: [Perit igitur, & alius Homo per impatientiam alterius: perit mox, & ipſe per impatientiam ſuam, utrobique commiſſam, & circà Dei præmonitionem, & circà Diaboli circumſcriptionem, illam ſervare, hanc refutare non ſubſtinens. Hinc prima judicii, unde delicti origo. * Hinc Deus iraſci exorſus, unde offendere homo inductus. Inde in Deo prima patientia, unde indignatio prima. Qui tunc maledictione ſolâ contentus, ab animadverſionis impetu in Diabolum, temperavit. Aut quod crimen ante iſtud Impatientiæ admiſſum Homini imputatur? Innocens erat, & Deo de proximo amicus, & Paradiſi Colonus: At ubi ſemel ſuccidit Impatientiæ, deſivit Deo ſapere, deſivit Cœleſtia ſubſtinere poſſe. Exinde Homo terræ datus, & ab oculis Dei ejectus, facilè uſurpari ab Impatientia cœpit in omne, quod Deum offenderet. Nam ſtatim illâ, ſemine Diaboli conceptâ Malitiæ fœcunditate, * Iram filium procreavit: editum ſuis artibus erudiit. Quod enim ipſum

In Scorpiaco. Cap. 1.

Scorpii virus læthale.

Lib. de Pat. cap. 5.

Impatientię mala.

* *Periodus concisa.*

Adam qui Innocens: & qui prolapſus.

* *Metonimia. Vitium pro Vitioſo.*

Adam,

Adam, & Hevam morti immerserat, docuit, & Filium ab homicidio incipere, &c.] *Arator* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus Cardinalis, loquens de Claudo, quem Lystris Paulus sanavit.

.... Fuit hac tùnc Claudus in Urbe *Lib. 2. In Acta Apost.*
Supplicio comitante satus, * vestigia ferre
Nescius ex utero: membris pars cœperat Ægri
Se nascente mori, &c.

* *Periphrasis. Figura. Ideft Claudus natus.*

Et post.

Exequitur præcepta salus, & calle novello
Progreditur Persona vetus, motuque frequenti
Pulsat ubiquè solum, perque omnia currere tentans,
* Sæpè timet quod nescit iter, modò gressibus ortus,
Annoso languore senex.

* *Vivacitas.*

SECTIO V.

De Comparatis, & Conjugatis.

1 D explicandum superioritatem rei, de qua agitur, vel inferioritatem, vel æqualitatem cum altera, cui confertur, Locus iste deservit. Comparamus enim parem pari, magnum parvo, & ex adverso. Insuper res conferuntur, sivè ob convenientiam, sivè ob disconvenientiam, & repugnantiam, ideoque Loci à Similitudine, & ab Oppositis, ad hunc de Comparatis opportunè reducuntur. Nec dubiè de omnibus Comparatis affirmare licet, quod de Similitudine *Quintilianus* asseruit: [Præclarè verò ad inferendam rebus lucem repertæ sunt Similitudines ...... Sed illud quoque, de quo in Argumentis diximus, Similitudinis Genus ornat Orationem, facitque sublimem, floridam, jucundam, mirabilem. Nam quò quæque longiùs petita est, hòc plus affert novitatis, atque inexpectata magìs est.] *Lib. 8. cap. 3.*

2 Est igitur aliquando collatio affirmativa cum convenientia, & æqualitate, comparando pari parem. *Basilius Magnus*: [Alii in mortem prorsùs collapsi sunt, ac si fulcimento quopiam debili niterentur, subtritis eorum viribus, & diffractis immodico pondere tristitiæ. Namque quod cernere *Hom. 4. in grat. act.*

nere

nere possis in flamma, quæ introclusione suffocatur proprii fumi, qui cum liberè egredi non queat, implexam flammam suo opprimit ambitu.] *S. Nilus Abbas*: [Formatur, tanquàm in sepulchro, in utero existens infans, Naturæ fasciis involutus, & similis est mortuo fasciis sepulchralibus circumscripto. Non mortuorum quidem vultus arctiùs conclusus est: Os in utero mutum, manus, & pedes in ventre, tanquàm in tumulo, extenduntur: matrix egregium fœtibus sepulchrum est.] Baptismum Jordani ad Hebraici Populi transitum aperto comparat *Ambrosius*: [* Illic introeunte Israëlita in aquam, fluminis aqua subterfugit; hìc descendente Christiano in fontem, criminum peccata diffugiunt. Et mirum in modum, * illùc retrorsùm conversus fluvius, in originem suam revertitur: hìc in posterum revocatus homo, in originis suæ infantiam reparatur. * Ibi fontem suum, de quo egressa fuerat, unda perquirit: hìc hominem suum, à quo exierat, Innocentia recognoscit. * Ibi exinanitur alveus fluctibus: hìc evacuantur corda criminibus.* Ibi, ut Servos Dei aqua cœnosa non madidet: hìc famulos Dei conscientia tetra non polluat.]

Orat. in Pasch. — *Serm. 23.*

Fumus flammā opprimit.

Homo in Matris utero, velùt in sepulchro.

Jordanis apertus, figura Baptismi.

* *Periodi Concisæ.*

3 Peritè idem *Ambrosius* araneæ confert Virum impium, & dolosum: [Quid argutius, quid solicitius araneâ, quæ operi suo diebus, ac noctibus semper intendit, nec ullo sumptu, ullaque impensâ conficit vestimentum: sed vanum est omne, quod fecerit. Sìc homo omnis est, qui opus suum supra Christi non constituit fundamentum. Vanè noctibus, & diebus, & ipse turbatur, cùm eum plerùmque araneæ modo, etiam in ipso suæ improbitatis molimine, operis suis ruina convolvat.] *Nazianzenus* taciturnitatem Virgini, rosæ non adhùc folia pandentis comparatione suadet.

In Psalm. 38.

Araneæ inanis labor.

Sic, & hominis impii.

Carm. 3. In Laud. Virgin.

Utque latet rosa verna suo putamine clausa,
Sìc os vincla ferat, validisque arctetur habenis,
Indicatque suis prolixa silentia labris.

Virgini silentiū congruit.

Spectaculis assidere, ceù animæ insensibiliter perniciosis, vetat *Tertullianus*, opportunâ similitudine: [Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam Cathedram pestilentiariam, ipsumque aërem qui desuper incubat, scelestis vocibus * constupratum? Sint dulcia licèt, & grata, & simplicia, & honesta quædam. Nemo venenum temperat felle, & helleboro; sed conditis pulmentis, & benè saporatis, & plurimùm

Lib. de Spectac. cap. 27.

* *Metaphora. Ab actu sensus ad passionem rei insensatæ.*

Spectacula Christianis periculosa.

mùm dulcibus id mali injicit. Ita, & Diabolus læthale,quo conficit, rebus Dei gratiſſimis,& acceptiſſimis imbuit.Omnia illic ſeù fortia, ſeù honeſta, ſeù ſonora, ſeù canora, ſeù ſubtilia, proindè habe, acſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato.] Et Marcionem irridens nuptias prohibentem, ait: [Non erit immanior duritia Pharaonis naſcentium enecatrix. Nam Pharao animas ademit: Marcion non dat. Ille aufert è vita: hic non admittit ad vitam. * Nihil apud ambos de homicidio differt: ſub utroque, homo interficitur: ſub altero jam editus, ſub altero edendus.]

Marcionis, & Pharaonis comparatio.
* Argutia.

Lib. 1. cõt. Marc. cap. 29.

4 Affirmativa Comparatio fit aliquando majoris cum re minore. Sic *Tertullianus* Gehennæ ignem flammivomis confert montibus: [Quid illum theſaurum ignis æterni æxtimamus, cum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus ſuſcitent, ut proximæ Urbes, aut jam nullæ extent, aut idem ſibi de die * ſperent? Diſſiliunt ſuperbiſſimi montes, ignibus intrinſecùs fœti: & quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum diſſiliant,cum devorentur, nunquàm tamen finiuntur. Quis hæc ſupplicia interìm montium non Judicii minantis exemplaria deputabit? Quis ſcintillas tales,non magni alicujus, & inæxtimabilis Foci miſſilia quædam, & exercitatoria jacula conſentiet?] De quo, & alibi agit,præſertim expendens,Æthnas illas ſuis ardoribus reparari: multò magìs damnatorum corpora, Deo ſic providente, gehennali combuſtione haudquaquàm abſumi: [Noverunt, & Philoſophi diverſitatem arcani, & publici ignis: ita longè alius eſt,qui uſui humano, alius,qui judicio Dei paret, ſivè de Cœlo fulmina ſtringens, ſivè de terra per vertices montium eructans. Non enim abſumit quod exurit, ſed dum erogat, reparat: adeò manent montes ſemper ardentes, & qui de Cœlo tangitur, ſalvus eſt, ut nullo jam igni decinereſcat; & hoc erit teſtimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur, & durant: quid nocentes, & Dei hoſtes?] *S.Paulinus* corporum reſurgentium indicibilem pulchritudinem ex eorumdem in ſepulchris quieſcentium decore probat, alteram alteri comparans:

Montes ignivomi. Inferni Fumariola.
* Catachreſis.

Lib. de Pænit. cap. 12.

In Apol. cap. 48.

Igne conſumuntur, & reparantur.

Reſurgentium Electorum pulchritudo.

Quanta reſurgentes virtus, & gloria cinget
Conjectare licet, cum gratia tanta ſepultos
Ambiat, & quanto rediviva decore micabunt
Corpora, in obſcuris cum ſit lux tanta favillis.
Quid nobis minimis Horum præſtare coronæ

Carm. 6. In Natal. S. Felic.

Suffi-

Sufficiet, quorum, & cineres dant commoda Vivis?

5 Comparatio negativa importans disconvenientiam, aut repugnantiam eorum, quæ invicem conferuntur, invenitur frequenter in Patribus. Hinc *Ambrosius* Thamar Judæ Socero præfert, collatione facta, Mulierem ostendens magìs proprio pudori consuluisse: [Quis itaque castior, illa, quæ tamdiù expectavit promissum: an ille, qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa, quæ Sponsi Familiam non refugit: an iste, qui meretricem putavit? Illa, quæ oram sui corporis volentibus non permisit ad copulam: an iste, qui, quod studio cœpit erroris, ad successionis gratiam, castitate Mulieris, consummavit? Illa, quæ Filios non habebat, & tempus conceptionis morâ conjugii timebat excludi: illa, quæ gravitatem maturioris elegit: an iste, qui ætate adolescentiores adamavit? Denique ipse confessus est, dicens: justificata est Thamar magìs, quàm ego, propterquod non dedi eam Selom Filio meo. Itaque illa experiri exactorem ipsum suæ voluit castitatis. Denique nunquàm posteà Virum experta est: amictum viduitatis sumpsit à coitu: ille unius horæ impatiens, qui annos à puella exegerat castitatis, * luctum expulit, vestem mutavit, comam totondit, rogum deseruit, thorum amator ascendit.]

Lib. 3. In Luc.

Thamar Judæ in castitate præfertur.

* *Isocolon*. *Figura*.

6 Alibi idem *Ambrosius* discrimen latum explicat sæculo servientis, & Deo mancipati: [Si ad sempiterna intendat, virtutem eligit: si ad præsentia, voluptatem præponit. Grave, & iniquum certamen adversùs delectationes præsentium. * Hìc libertas est cupiditatum: illìc servitutis injuria, facere quæ non vis, & ab his, quæ desideraveris abstinere. Hìc convivium, illìc jejunium: hìc intemperantia gaudiorum, illìc perseverantia lachrymarum: hìc saltatio, illìc oratio: hìc cantus dulces, illìc gemitus graves.] Et iterùm: [Justorum Deus, qui in sanguine suo meliùs loquutus est, quàm Abel. Ille vindictam clamavit, hic indulgentiam, ille peccatum Fratris accusat, hic peccatum Mundi remisit: ille prodidit crimen, hic texit.] *Tertullianus*: [Quid adeò * simile, Philosophus, & Christianus? Græciæ discipulus, & Cœli? * Famæ negotiator, & vitæ? Verborum, & factorum operator? Rerum ædificator, & destructor: Amicus, & inimicus erroris? Veritatis interpolator, & integrator, furator ejus, & custos?]

In Psal. 1.

Lib. de Fuga Sæc. cap. 5.

Inter Amicos Dei, & Servos Mundi differentia.

* *Antithesis in Sententiis*. *Figura*.

Sanguis Christi meliùs clamans, quàm Abel.

* *Ironia*.

* *Antithesis in Verbis*. *Figura*. *Sivè Antilexis*.

7 Vehementèr etiam in quosdam Christianos invehitur, licitos sibi putantes quosdam Gentilium ritus, non omit-

omittentes appendere lucernas in foribus, laurum in postibus, prætextu, quòd Idololatriam non saperent. Revincit autem eos comparatione Infidelium, nefas ducentium Christianorum solemnitatibus communicare: [* O melior fides Nationum in suam sectam, quæ nullam solemnitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecostem, etiamsì nossent, nobiscum non communicassent; timerent enim, nè Christiani viderentur: Nos, nè Ethnici pronunciemur, non veremur.] *Chrysostomus*: Loquens de Filia Herodiadis in conspectu convivarum saltante: [Ingreditur, omnia palàm faciens, & omnes meretrices Virgo impudentiâ superans.] De Latronibus cum Domino Redemptore crucifixis *Sedulius* cecinit.

* *Exclamatio. Figura. Cum Ironia.*

Lib. de Idol. cap. 14.

Filiæ Herodiadis impudentia.

Hom. 49. in Matt.

Boni, & mali Latronis diversus exitus.

Lib. 5. Oper. Pasc.

Ambo igitur varium, diverso calle, Latrones
Aggressi facinus, violentum grande patrarunt.
Infernas adit ille fores: adit iste supernas.
Ille profunda petens penetravit claustra Gehennæ;
Abstulit iste suis Cœlorum regna rapinis.

8 Locus à Conjugatis per se angustus, ampliari potest, si quæ de Notatione Nominis prænotavimus, recolantur, Certè dum Scripturæ, & Patres Conjugatis utuntur, semper in eis quid arcani, saltem nonnihil majestatis elucet. *Apostolus* proinde: [Primus Homo de *terra*, *terrenus*: Secundus Homo de *Cælo Cælestis*. Ubi prius Conjugatum exprimit materiam, ex qua Adam formatus est: posterius verò Conjugatum significat altitudinem Divinitatis de Cœlo venientis. Quod exposuit *Divus Thomas*: [Rationem autem dictæ diversitatis assignat, dicens: Primus Homo, &c. quasi dicat: Verè primus Homo factus est in animam viventem, quia de terra. Gen. 2. Formavit Deus Hominem de limo terræ; & ideò dicitur esse terrenus, idest animalis. Secundus Homo, scilicet Christus, factus est in Spiritum vivificantem, quia de Cœlo: quia Divina Natura, quæ fuit huic Naturæ unita, de Cœlo est. Et ideo debet esse Cœlestis, ideft talem perfectionem debet habere, qualem decet de Cœlo venire, scilicèt perfectionem spiritualem. Joan. 3. Qui de Cœlo venit, super omnes est. Dicit autem primùm Hominem de terra, secundùm modum loquendi, quo res de illo esse dicuntur, quia prima pars est in eorum fieri: sicut cultellus dicitur de ferro, quia prima pars, unde est cultellus, est ferrum. Et quia prima pars, unde Adam factus est, terra est, ideò

1. Cor. 15. nu. 47.

In eum Loc. Lect. 7.

Quomodo Adã dicatur de terra, Christus autem de Cœlo.

ideò dicitur de terra. Secundus Homo dicitur de Cœlo, non quod attulerit corpus de Cœlo, cum de terra assumpserit, scilicèt de corpore Beatæ Virginis: sed quia Divinitas, quæ Naturæ Humanæ unita est, de Cœlo venit, quæ fuit prior quàm Corpus Christi.]

9 Modus idem Conjugatis utendi servatur à Patribus. Unde *Chrysologus*: [Meritò Virgini *Salva* sunt omnia, quæ omnium genuit *Salvatorem*.] De Virgine etiam loquens *Ambrosius*, memorans Isaiæ vaticinium, ait: [Scriptum est de ea: Ecce Dominus venit sedens super nubem levem. Verè *levem*, quia conjugii onera nescivit: verè *levem*, quæ *levavit* hunc mundum fœnore peccatorum.] Et alibi: [Potest Homo esse Rex *Justitiæ*, cum vìx *Justus* sit? Potest esse Rex *Pacis*, cum vìx possit esse *pacificus*?] *Tertullianus* frequenter eodem utitur Loco à Conjugatis; præsertìm: [Æmulantur *Divinitatem*, dum furantur *Divinationem*.] Et infra Gentiles confutat, à quibus Christiani irridebantur vocabulis Sarmentitii, Semiaxii, quòd plerùmque ad Fidelium combustionem, & torturam sarmenta adhiberentur, & axes: [Licet nunc *Sarmentitios*, & *Semiaxios* appelletis, quia ad stipitem *dimidii axis* revincti, *Sarmentorum* ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ: Hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.]

Ser. 144. — *Lib. de Instit. Virgin. cap.* 13. — *Lib. de iis, qui myster. initian.* — *In Apol. cap.* 22. — *Ibid. cap.* 50.

Mariæ Virginis Laudes.

Christiani à Gentilibus Sarmentitii, & Semiaxii appellati.

SECTIO VI.

De Antecedentibus, & Consequentibus.

1 

On impertinenter Locus iste ad alium de Causis, & Effectibus reduci potest. Ut si bellum exprobraturus, ejus mala amplifices, & probes ex iis, quæ prælia antecedunt, ut præparationes Armorum, delectio Militum, constructio Classium, & hujusmodi: ex consequentibus, stragibus Hominum, excisionibus Urbium, incendiis Regnorum, & id genus; dicens: Cerne squalentes sylvas arboribus viduatas, in prægravidis necè navigiis, per Oceana fluctivagas, in Classes cadere nemora, ut quæ turbinibus obsistere, ventorum flatibus obsequantur. Cerne ad arma construenda madidos igneo sudore Vulcanos, fulminibus ministrandis non uni Tonanti, Orbem totum aptatum in Æthnam: Avulsos è matrum amplexibus

Bellum quæ precedant, & sequantur.

bus Juvenes, ad Martem, mortemque conscriptos: fusa igne metalla, ad mœnium perniciem, ad exercituum internecionem, in tormenta durescere. Sed remotus sit periculorum apparatus: Quæ ex bello sequuntur, quis exprimat? Horrent incolis depopulatæ Provinciæ: Solitarius nidificat Nycticorax in Urbium ruinis: Orbis Emporia abeunt in favillam: fluctuat terra sub ænea tempestate: feraces messium campos pelagus armorum inundat, &c.

Ex Antecedentibus.

2 Pro Loco ex Antecedentibus facit illud *Eusebii Emisseni* de Stephano Levita loquentis: [Judæi ergo illo spiritu ebrii, quo dudùm clamabant: Crucifige, crucifige, in necem Sacri Testis incumbunt. Beatus, qui Cœlestis illius agonis proximo pedissequus intervallo, reliquias excipere furoris illius emeruit, quo paulò ante, sæviente mundo, Salvator occubuit. Beatus, qui fumantem adhùc Dominici victimam Sanguinis primus honoravit recenti Sacrificio Passionis.] *Basilius Seleuc.* in illud: Vade post me Sathana, scandalum es mihi; nempè quòd Salvatori proximam Passionem prænuncianti, amoris errore dixerat: Absit à te Domine: [Quid ais Petre? arces mortem? Non igitur expectas Resurrectionem.]

Hom. de S. Steph.

In Stephanum furor Judaicus sævit.

Orat. 31.

3 Deorum inanitatem, nullaque dignorum veneratione probat *Tertullianus* ex eorum materia, vasis etiam contumeliæ communi, & per varia Artis instrumenta in Imagines efformata. Gentilium quoque cassum ostendit, irritumque furorem in Christianis torquendis, cum similia tormenta in Statuis Dii sui pertulerint: [Quantùm autem de Simulachris ipsis nihil aliud deprehendo, quàm materias sorores esse vasculorum, instrumentorumque communium, vel ex iisdem vasculis, & instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes, licentiâ Artis transfigurante, & quidem contumeliosissimè, & in ipso opere sacrilegè: ut reverà Nobis maximè, qui propter Deos ipsos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quod eadem, & ipsi patiuntur, ut fiant. * Crucibus, & stipitibus imponitis Christianos: Quod Simulachrum non priùs argilla deformat, cruci, & stipiti superinducta? In patibulo primùm Corpus Dei vestri dedicatur. Ungulis deraditis latera Christianorum: at in Deos vestros per omnia membra validiùs incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos: sine * Capite sunt Dii vestri. Ad bestias impellimur: certè quas Libero, & Cybele, & Cereri applicatis. Ignibus urimur: hoc, & illi à prima quidèm massa.

In Apol. cap. 12.

Deorum inanium feria irrisio.

* *Argumentatio per Instantiam.*

* *Æquivocum.*

In

In metalla damnamur: inde censentur Dii vestri. In Insulis relegamur: Solet, & in Insulis aliquis Deus vester, aut nasci, aut mori. * Si per hæc constat Divinitas aliqua: ergo qui puniuntur, consecrantur, & Numina erunt dicenda supplicia.] ** Argumentatio per reductionē ad impossibile.*

In Psalm. 38. 4 Pro Loco autem à Consequentibus, exemplum ponit *Ambrosius*: [Liquet igitur, quia cum datus in opprobrium David fugerit, & humiliatus sit, & nudis pedibus Domino satisfecerit, & lapides jacientem non repercusserit, & in maledicentem non permiserit vindicari: & post hæc Regno suo integro restitutus sit: quia, & opprobrium à Domino sit, & prosit magis substinere opprobrium, quàm refellere: Denique victoria post sequuta est: opprobrium prodest.] *Tertullianus* monens præeligendam carnis mortificationem ex bonis consequentibus: [Faciliùs si fortè per angustam salutis januam introibit caro exilior, citiùs resuscitabitur caro levior, diutiùs in sepultura durabit caro aridior.] *A' Consequentibus.* Magis prodest substinere, quàm refellere injuriā. *Lib. adv. Psych. cap. 17.* Corporis mortificatio.

5 Gentilibus malum esse contendentibus Christianam Fidem profiteri, ignorantiæ notam meritò idem imponit Author ex consequentibus malum, quorum nihil in Christiano notatur: [Quod verè malum est, nè ipsi quidem, quos rapit defendere pro bono audent. Omne malum aut timore, aut pudore Natura perfudit. Denique Malefici gestiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, nè torti quidèm facilè, aut semper confitentur. Certè damnati mœrent, dinumerant in semetipsos, mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant: nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt. Christianis verò quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retrò non fuisse. * Si denotatur, gloriatur: Si accusatur, non defendit: interrogatus vel ultrò confitetur: Damnatus, gratias agit. * Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet, timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam, deplorationem? Quid hoc mali est, cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est, & pœna felicitas?] Et infra, Socratem vera dixisse, cum plures Deos negasset, etiam ab Atheniense Senatu comprobatum, eique innocenti ob id necem illatam, ex delatorum punitione, ostendit: [*Taceo de Philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam Deorum, quercum, & hircum, & canem dejerabat. Sed propterea damnatus est Socrates, quia Deos destruebat. Planè olim, id semper, Veritas odio est. Tamen cùm pœnitentiā senten- *In Apol. cap. 1.* Sceleris ipsos etiam Scelestos pudet. Christiani Fidē alacriter fatentur. ** Isocolon. Figura.* ** Interrogatio increpantis.* *In Apol. cap. 12. fi.* ** Prateritio. Figura.* Socrates Deorū pluralitatē improbans, morti addictus.

Ejus Simulachrū in Templo.

tentiæ Athenienses, criminatores Socratis posteà affixerint, & Imaginem ejus auream in Templo collocarint, rescissa damnatio testimonium Socrati reddidit.]

SECTIO VII.

De Adjunctis, & Circumstantiis.

1 Am Rhetoricæ, quàm pluribus aliis Artibus communes sunt, quæ versu illo continentur Circumstantiæ: *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* Latissimus quidem hic Locus est. At de eo affirmare possumus, quod de aliis *Quintilianus*: [Has ferè Sedes accepimus probationum in universum, quas nec generatìm tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur. Nec per singulas species exequi patitur natura rerum: quod qui sunt facere conati, duo pariter subjerunt incommoda, ut nimiùm dicerent, nec tamen totum.] Hinc quoniam ferax est Locus hic ex Circumstantiis, cum aliæ ex alia oriantur, ad quasdam ex eodem Quintiliano ibidem excerptas, reducendas censuimus, & sunt: Sexus, Ætas, Educatio, Conditio, Natura animi, Victus, Cultus, Studia, Affectus, Anteacta, Dicta, Tempus, Locus, Motus, Casus, Facultates, seù Potentiæ, Modus. Quæ sigillatìm, sed breviter sunt expendendæ.

Lib. 5. cap. 10.

Inutilis labor, omnes Circumstantias numerare.

2 *Sexus.* De Nuptarum infelici conditione, quæ Virorum famulatui addicuntur, *Ambrosius*: [Quid ego famulatus graves, & addicta Viris servitia replicem fœminarum, quas antè jussit Deus servire, quàm Servos? Quæ eò prosequor, ut indulgentiùs obsequantur. Quibus hoc, si probæ sunt, merces est charitatis. Si improbæ, pœna delicti.] *Tertullianus* Mortem metuendam non esse probat, cum eam fœminæ quoque amplexæ sint: [Peregrinus, qui non olìm se rogo immisit, cum fœminæ quoque contempserint ignes. Dido cùm post Virum dilectissimum nubere cogeretur: item Asdrubalis uxor, quæ dum ardente Carthagine, maritum suum supplicem Scipionis videret, cum Filiis suis in incendium Patriæ devolavit....... Bestias Fœmina libens oppetiit, & utique horridiores Aspides, Serpentes Tauro, vel Urso, quas Cleopatra immisit sibi, nè in manus

Uxor Mariti Serva.

Lib. 1. de Virg.

Lib. ad Martyr. ca. 4.

Fœminæ mortē ultrò oppetentes.

Ini-

Inimici perveniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque non cessit Carnifici Meretrix Atheniensis, quæ conscia conjurationis, cum propterea torqueretur à Tyranno, & non prodidit Conjuratos, & novissimè linguam suam comestam in faciem Tyranni expuit: *ut nihil agere se scirent tormenta, etsi ultrà perseverarent.] *Cyprianus* autem viris exprobrat, quòd in se sexum confunderent pro Theatris: [Huic dedecori condignum dedecus superinducitur, homo fractus omnibus membris, & vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit * verba manibus expedire; & propter unum nescio quem, nec virum, nec fœminam, commovetur Civitas tota, ut exaltentur fabulosæ Antiquitatum libidines.]

Linguam Mulier torta in Tyrannum expuit.

**Circumloquutio. Figura.*

Opusc. De Spectac.

** Metaphora. Ex actu unius sensus ad actum alterius.*

3 *Ætas.* Sanctæ Agnetis constantiam, tenellâ ætate mortem subeuntis exaltat *Ambrosius*: [Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quò detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati? Imo magna vis Fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. * Fuit ne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quò ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ, torvos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere, quasi vulnera. Hæc inter cruentas Carnificum impavida manus: hæc stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhùc nescia, sed parata: vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis, trophæum Domini signare victoris. Nunc ferratis colla, manusque ambas inserere nexibus: * Sed nullus tàm tenuia membra poterat nexus includere. Novum martyrii genus: nondùm ideonea pœnæ, & jam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magisterium Virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis.] Et infra, Romanis objicit, non probè de Virginitate sensisse, à Vestalibus non etiam ultima ætate castitatem exigentibus: [Quis mihi prætendit Vestæ Virgines, & Palladis Sacerdotes? Qualis ista est, non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas, cujus corruptela seniori servatur ætati. Ipsi docent, Virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui Virginitati finem dederunt. * Qualis autem est illa Religio, ubi pudicæ adolescentes jubentur esse, impudicæ anus?]

Lib. 1. de Virg.

S. Agnetis constantia.

** Paradoxum.*

** Hyperbole. Extenuans.*

Vestales Virgines.

**Interrogatio. Increpantis.*

4 *Æducatio*. Circumstantia hæc tàm activè sumitur,

 quàm

quàm paſſivè. Ex utroque enim probari poteſt alterius probitas, vel iniquitas, & quia diligenter in Virtutum exercitio æducatus;& quia in aliorum æducatione defecerit. Hìnc Apoſtolus ad Viduam, quæ Sanctis miniſtraret, eligendam, præter alias conditiones, ut filios benè educarit, requirit. Et *Ambroſius*: [Honorificentiam non ſolus impartior,ſed Gentium Doctor priùs detulit, dicens: Viduas honora, quæ verè Viduæ ſunt. Si qua autem Vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primùm ſuam domum regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Unde advertitur, utrumque pietatis affectum Viduæ ineſſe debere, ut filios diligat, parentibus deferat. Ita dùm obſequium parentibus rependit,magiſterium exercet in filios,ſuoque ſeipſam remuneratur officio, cum id, quod aliis defert, ſibi proficit.]

Æducatio Filiorum Matri commendatur.

Lib. de Viduis ad ini.

1. ad Tim. cap. 5.

5 *Conditio* Perſonæ ſivè ad dignitatem, ſivè ad ignobilitatem ſpectet, argumentis materia præſtat. Ideoque *Tertullianus* Gentilium ſuperſtitiones irridet, qui defunctos Cæſares in album Deorum referebant, indignioribus enim ſociabant. [*Sed dignè Imperatoribus defunctis honorem Divinitatis dicatis,quibus & viventibus eum addicitis. Accepto ferent Dii veſtri, imò gratulabuntur, quod pares ei fiant Domini ſui.*Sed cum Larentinam publicum ſcortum, velim ſaltem Laidem, aut Phrynem inter Junones, & Cereres, ac Dianas adoretis, cum Simonem Magum ſtatuâ, & inſcriptione *Sancti Dei* inauguratis, cum de pædagogiis aulicis neſcio quem Cinedum Deum facitis: Licèt non Nobiliores Dii veteres,tamen contumeliam à vobis deputabunt, hoc & aliis licuiſſe, quod ſolis Antiquitas contulit.]

* *Ironia, & Iriſio. Figura.*

* *Inſultatio. Figura.*

In Apol. cap. 13.

6 *Natura animi* dupliciter explicari poteſt ex externis conjecturis, vel quia impium, aut morigerum animum actus quidam produnt naturaliter prorumpentes, & ſine ſtudio, ac velùt non liberè, ſic enim non habitu, ſed naturâ, ideſt proprietatibus prognatis operamur: Vel ex ipſa exteriori corporis figura, quod intùs latet rimamur,& proditur animi natura per vultum. Utroque modo impium Julianum, adhùc ante profeſſam publicè impietatem obſervavit *Nazianzenus*, tùm ex illius phyſiognomia, tùm ex naturalibus motibus, multum præferentibus levitatis, ac malitiæ: [Sed me morum ipſius inconſtantia, atque incredibilis quædam mentis emòtio vatem efficiebat. Siquidem Vates ille optimus eſt, qui rectè conjicere novit. Neque enim mihi boni quidquam ſignificare, atque ominari videbantur cervix non ſtata, humeri ſubſultantes, & ad æquilibrium

Juliani Apoſtatæ motus corporis inconſtantes.

Orat. 2. In Julian.

brium ſubinde agitati: oculus inſolens, & vagus, furioſèque intuens: pedes inſtabiles, & titubantes: naſus contumeliam, & contemptum ſpirans: vultûs lineamenta ridicula idem ſignificantia: riſus petulantes, & effrænati: nutus, & renutus temerarii: ſermo hærens, ſpirituque conciſus: interrogationes ſtultæ, & præcipites: reſponſiones his nihilo meliores, aliæ in alias inſultantes, nec graves, & conſtantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid ſingula deſcribere neceſſe eſt? Talem ante opera conſpicatus ſum, qualem in operibus poſteà cognovi. Quod ſi quidam ex his, qui tùm ſimul erant, quidque dixerim audierunt, nùnc mihi præſtò eſſent, haùd ægrè teſtarentur: quibus, ut hæc conſpexi, ſtatìm præloquutus ſum: Quale malum Romanorum terra nutrit? &c.]

7 *Victus*. Optimè ex victu aliquando probatur res propoſita, ut Idololatria Hebræorum ex crapula, cum ſedit Populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: paupertas Diſcipulorum Domini ex eo, quod vellerent ſpicas, tritaſque manibus, ederent. Ad artificium propiùs accedit ciborum ſumptuoſitas, quemadmodum Divitis epulantis quotidiè ſplendidè, nec tamen pauperi opem ferentis improbitas in Evangelio notatur: & Adoleſcentis Prodigi miſeria ex parco ſiliquarum eſu, nempè cibi vilitate; necnon qualitate, ut Præcurſoris rigida mortificatio ex victu locuſtarum, melliſque ſylveſtris. Feri etiam mores ex belluinis, aut humanæ carnis cibis, Antropophagorum uſu, probantur. *Tertullianus* id Gentilibus exprobrat, qui Chriſtianos infanticidii accuſabant. [De ſanguinis pabulo, & ejuſmodi tragicis ferculis legite necubì relatum ſit (eſt apud Herodotum opinor) diffuſum brachiis ſãguinem ex alterutro deguſtatum, Nationes quaſdam fœderi comparaſſe. Neſcio quid, & ſub Catilina deguſtatum eſt. Ajunt, & apud quoſdam Gentiles, Sçytharum defunctum quemque à ſuis comedi. Longè excurro. Hodie iſthìc Bellonæ ſacratus ſanguis de fœmore proſciſſo in palmulam exceptus, ſuis datur ſignatis; item illis, qui munere in arena noxiorum jugulatorum ſanguinem recentem de jugulo decurrentem, exceptum, avida ſiti, comitiali morbo medentes, hauſerunt. Ubi ſunt item illi, qui de arena ferinis obſoniis cœnant? Qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille, quem cruentavit, colluctando deterſit. Cervus ille in Gladiatoris ſanguine jactavit. Ipſorum Urſorum alvei appetuntur, cruditantes adhùc de viſceribus humanis. Ructatur proinde ab homine

In Apol. cap. 7.

Gentiles humanis carnibus veſcentes.

Sanguis humanus Bellonæ Sacer.

Eo medentes morbo comitiali.

caro pasta de homine. Hæc qui editis, quantùm abestis à conviviis Christianorum? * Minùs autem,& illi faciunt,qui libidine ferâ humanis membris inhiant, quia vivos vorant? Minùs humano sanguine ad spurcitiam consecrantur, quia futurum sanguinem lambunt: non edunt infantes planè,sed magìs puberes. * Erubescat error vester Christianis, qui nè animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui propterea quoque à suffocatis,& morticiniis abstinemus, nè quo modo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto.]

* *Argumentatio A' minori ad majus.*

* *A' fortiori.*

8 *Cultus*. Externus scilicet ornatus, circumstantia est admodùm aggravans, & probabiles rationes facti alicujus inducens: explicatione non eget per se satìs oculis patens. *Ambrosius*: [Cernis, ut pomparum ferculis similis incedat quæ se componit, ut placeat, omnium in se vultus, & ora convertens, eo ipso, quo studet placere, deformior. * Priùs enim populo displicet, quàm placeat Viro. At in vobis rejecta decoris cura plùs placet, & hoc ipsum, quod vos non ornatis, ornatus est. Certè laceræ vulneribus aures, & depressæ onera miseræ cervicis, non sunt allevamenta pœnarum, sed discrimina metallorum. Hìnc collum catena constringit, inde pedem compes includit. Nil refert, auro corpus oneretur, an ferro. Si cervix premitur, si gravatur incessus, nil pretium juvat, nisi quod vos mulieres, nè pereat vobis pœna, trepidatis.] *Prudentius* pugnam describens inter Superbiam, & Humilitatem.

Fœminarum cultus.

Lib. I. de Virg.

* *Argutia.*

Earum supplicium cēsendus.

Forte per effusas inflata Superbia turmas
Effræni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & validos villis ornaverat armos.
Quo se fulta jubis jactantiùs illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu,
Turritum tortis caput accumularat in altum,
Crinibus extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.
A cervice fluens tenui velamine limbus
Concipit infectas, textis turgentibus, auras.

De Pugna animi. Seu Psychomachiæ.Sect.5.

Superbiæ exterior cultus descriptus.

9 *Studia*, sivè occupationes, obvia etiam circumstantia est, quæ proinde nos morari non debet, indicato exemplo ex [*Tertulliano*, Deorum vanitatem, ex vanis eorum occu-

occupationibus, quas Gentiles negare nequirent, efficaciter probante: [Sed conversus ad Literas vestras, quibus informamini ad prudentiam, & ad liberalia officia, quanta invenio ludibria? Deos inter se propter Trojanos, & Achivos, ut gladiatorum paria, congressos depugnasse: Venerem humanâ sagittâ sauciatam, quod filium suum Æneam penè interfectum ab eodem Diomede rapere vellet .... Exinde quis non Poëta ex authoritate Principis sui decorator invenitur Deorum? Hic Apollinem Admeto Regi pascendis pecoribus addicit: ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat, &c.] Et infra: [*Risimus, & inter ludicras meridionarum crudelitates, Mercurium mortuos cauterio examinantem. Vidimus, & Jovis Fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem.]

In Apol. cap. 13.

Poëtarum licẽtia in Deorum inanium actibus fingendis.

Ibid. cap. 14.

* *Irrisio. Figura.*

10 *Affectus*, seù internæ animi passiones per extrinseca signa sensibiles, probant bonam, vel malam ejus dispositionem. Sic *Ambrosius* intimam inclinationem ad inhonestè viris placendum colligit ex innato affectu mulierum ad se immodestè pingendas, & os adulterino fuco efformandum: [Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultûs meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare Naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale judicium, prodere suum? Prior enim de se pronunciat, quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem Judicem, Mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm teipsam, quæ videri times? * Si pulchra es, quid absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit: tu alteri vis placere: & irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur.] Quibus verbis non ostenditur tantùm cultus, sed affectus. Clariùs ad finem ejus libri: [Tolerabiliùs tamen mancipia veneunt, quæ sæpè sibi Dominos legunt. Virgo si eligat, crimen est: si non eligat, contumelia. Quæ quamvìs pulchra sit, & decora, * & timet videri, & cupit. Cupit, ut se cariùs vendat; timet, ne hoc ipsum dedeceat, quod videtur. Quanta autem votorum ludibria, & ad procorum eventus suspecti metus, *nè pauper illudat, nè dives fastidiat, nè pulcher irrideat, nè Nobilis spernat?]

Lib. 1. de Virg.

Fœminarum studia in vultu colorando.

* *Dilemma.*

Ut aliis placeăt.
* *Antithesis in verbis. Figura.*
* *Isocolon. Figura.*

11 Rectè infert *Nazianzenus*, Deum non acceptasse Juliani opus, benè verò Galli ejus Fratris in extruendis, exornan-

nandisque Sanctorum Martyrum monumentis, quia hujus quidem recta, illius prava, & hypocrita erat intentio; ideoque Galli opera in prosperum succedebant, Juliani deturbabantur: [Jam sumptuosissimis quoque Martyrum monumentis, & donariorum munificentiis, omnibusque aliis rebus, quibus Divinus timor, velùt notâ quadam, exprimitur, Sapientiæ studium, Christique amorem indicabant. Alter quidem verè, & seriò pietatem profitens: tametsì enim natura acriori, ac ferventiori esset, verus tamen, ac syncerus pietatis cultor erat. Hic autem occasionem captans, & redimens, fictaque pietatis specie, animi pravitatem occultans. Quod quidem ex eo conjicere licebit; (neque enim miraculum, quod tùm accidit, silentio præterire queam, utpotè illustre, & memorandum, atque eiusmodi, ut multis impiis documentum afferre possit.) Martyribus, ut dixi, ambo laborabant, munificẽtiaque, & liberalitate præclarè inter se contendebant, tùm multarum manuum operâ, tum multis impensis ædem extruentes. Verùm quoniam non eadem voluntate, animique proposito in hoc opus incumbebant: idcircò nec in eumdem finem labor utrique progrediebatur. Etenim alterius, hoc est Fratris natu majoris opus perficiebatur, ac ritè procedebat, Deo videlicèt munus illud libenter admittente, ut olìm Abelis sacrificium, tum rectè oblatum, tum divisum: atque hæc oblatio veluti quædam primogeniti consecratio erat. Alterius autem (heu tristem in hac quoque vita impiorum contemptum, futuræ ignominiæ testem, parvisque indiciis magna prænunciantem!) non secùs, ac Caini sacrificium, Deus Martyrum repudiabat. Itaque ille quidem laborabat: sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. &c.]

Julianus ante apostasiam. Martyrum monumenta frustrà exornat.

Orat. I. in Julian.

Improsperè opera procedente.

Galli ejus Fratris recta intentio.

12 *Antecta.* Ex eo quod priùs factum est optimè probatur res sequens. Quæ Circumstantia cum Loco ab Antecedentibus affinitatem habet, sed ille quæcumque antecedant, hæc facta tantùm in motivum argumenti assumit. *Ambrosius* Fideles pœnitentes recipiendos esse probat, priùs in fide lapsos, quia ore, non corde negaverant. [Non enim ex toto corde humiliat *(Deus)* qui se veniæ reservat. Quod si non ex toto corde omnem humiliat peccatorem; quantò magìs eum, qui non ex toto peccavit? Nam sicut dixit de Judæis: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me; fortasse, & de aliquibus lapsis dicat: Isti labiis me negarunt, sed corde mecum sunt. Vicit os pœna, non avertit perfidia. Sinè causa autem his aliqui veniam negant,

Lib. I. de Pœn. cap 4.

Isa.26.

negant, quorum Fidem eousquè consectatus persequutor est, ut eam studeret expugnare tormentis. Negarunt semel, sed quotidie confitentur: negarunt sermone, sed confitentur gemitibus. &c.] Probat etiam *Tertullianus*, Infanticidii facinus non Christianis imponendum, utpotè insontibus, sed Gentilibus qui pueros Diis immolaverant. [Hæc quò magìs refutaverim, à vobis fieri ostendam, partìm in aperto, partìm in occulto: per quod forsitan, & de nobis credidistis. Infantes penès Africam Saturno immolabantur palàm, usque ad Proconsulatum Tiberii, qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus Templi sui, obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia Patriæ nostræ, quæ idipsum munus illi Procunsuli functa est. Sed & nunc in occulto perseverat hoc sacrum facinus. Non soli vos contemnunt Christiani, nec ullum scelus perpetuum eradicatur, aut mores suos alicui Deus mutat. * Cùm propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverat. Quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes exponebant, infantibus blandiebantur, nè lacrymantes immolarentur.]

In Apol. cap. 7.

Saturno infãtes immolati.

* *Argutia.*

13 *Dicta*. Afferta scilicèt quædam, rem sequutam ut verosimilem testantia. Sic Principes Populi Pilato suggessere periculum disseminandi inter turbas opinionem, quod Salvator resurrexerit, si post tres dies Corpus illius non inveniretur in tumulo: & hoc evincere conabantur ex verbis Christi: [Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quia Seductor ille dixit adhùc vivens: post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne fortè veniant Discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis.] Advertè nihilominus, hanc circumstantiam non importare præcisam vim ex authoritate, sicùt communes citationes Doctorum, aut Sacræ Scripturæ; sed veluti per modum antecedentis propositionis inferentis rem probandam. Ut si impossibile videri diceres, quod Petrus nec in carcerem trusus, nec morti addictus, minùs certè unius ancillæ, idest infirmioris sexûs, verbo perculsus, Christum negaverit, inferre posses ex dictis ejusdem protestantis: tecùm paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Etiamsi oportuerit me mori tecùm, non te negabo.

Matth. cap. 27.

Pharisæorum vafrcies.

14 *Dicta* insuper possunt referri ad Famam, qua multotiès facta res confirmatur. Et ex adverso ex Famæ incon-

stan-

ſtantia, facti falſitas evincitur. Qua ratione, Gentiles apponentes Chriſtianis plura facinora, maximè infantium necem, & humani ſanguinis guſtum, nullo experimento, nullo teſte probata, ſed falſo rumore conjectata, revincit *Tertullianus* manifeſtæ imposturæ, quòd Fama utplurimùm mendax comprobatur. [Natura Famæ omnibus nota eſt. Veſtrum eſt: ***Fama malum, quo non aliud velocius ullum***. Cur Fama malum? Quia velox? quia index? an quia plurimùm mendax? Quæ nè tùnc quidem, cum aliquid veri affert, ſine mendacii vitio eſt, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid? quod ea illi conditio eſt, ut nonniſi cum mentitur, perſeveret, & tandiù vivit, quandiù non probat. Siquidem, ubi probavit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nunciandi functa, rem tradit: exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſdam dicit: (verbi gratiâ) hoc Romæ ajunt factum, aut fama eſt, illum Provinciam ſortitum; ſed: ſortitus eſt illē Provinciam;&: hoc factum eſt Romæ. Fama, nomen incerti, locum non habet, ubi certum eſt: An verò Famæ credat, niſi inconſideratus? Quia Sapiens non credit incerto. Omnium eſt æxtimare, quantacumque illa ambitione diſfuſa ſit, quantacumque aſſeveratione conſtructa, quod ab uno aliquando Principe exorta ſit: neceſſe eſt exinde, in traduces linguarum, & aurium ſerpat: & ita modici ſeminis vitium, cætera rumoris obſcura: ut nemo recogitet, nùm primum illud os mendacium ſeminaverit, quod ſæpè fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non novâ, ſed ingenitâ quibuſdam mentiendi voluptate.]

Famæ levitas. — In Apol. cap. 6.

Tandiù perſeverantis, quandiù non probatis.

Famæ niſi incōſideratus non credit.

Mentiendi quibuſdam ingenita voluptas.

15 *Tempus* rei gravitatem probat, vel quia incongrùum illi patrandæ, ſicut ex circumſtantia celebrandorum Herodis natalitiorum, mandati indignitatem, ut Præcurſor obtruncaretur, colligit *Ambroſius*: [Quis non, cum è convivio ad carcerem curſari videret, putaret, Prophætam juſſum eſſe dimitti? Quis, inquam, cum audiſſet, Natalem eſſe Herodis, ſolemne convivium, puellæ optionem eligendi quod vellet, datam, miſſum ad Joannem ob ſolutionem non arbitraretur? * Quid crudelitati cum deliciis? Quid funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam Prophæta convivali tempore, convivali præcepto, * quo non cuperet, vel abſolvi.] Ex circumſtantia Temporis præteriti, vel futuri, in quo fuit, eritue dignitas, aut punitio, magnitudo actæ rei probatur. Ita *Ambroſius* lapſam Virginem graviſſimi ſceleris admonet, ex eo quod anteà fuerat, dum innocens: ex confuſione, qua in extremo judicio obruetur. [Eras Virgo

** Interrogatio Increpantis.*
** Emphaſis in ſententia.*

Lib. 3. de Virg.

in

Lib. Ad Virg. lapſ. cap. 2. in Paradiſo Dei, utique inter * flores Eccleſiæ. Eras Sponſa Chriſti: eras Templum Dei: eras habitaculum Spiritus Sancti; & cum dico toties, eras, neceſſe eſt, ut toties ingemiſcas, quia non es quod fuiſti. Incedebas in Eccleſia, tanquàm Columba illa, de qua ſcriptum eſt: pennæ Columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum ſincera conſcientia procedebas. Eras tanquàm ſtella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimeſcebas. Quæ iſta ſubitanea converſio? Quæ iſta repentina mutatio? &c.] Et infra: [* Si ergo homines in carne conſtitutos, & alicujus forſitàn delicti obnoxios non potes intueri tàm gravi confuſione ſepulta: quid facies coràm caſtis Apoſtolis? Quid facies coràm Helia, Daniele, & tantorum exercitu Prophætarum? Quid facies coràm Joanne? Quid facies coràm Maria? &c.] *Ibid. cap. 3.*

* *Metaphora.*

* *Argumentatio. A minori ad majus.*

16 Ex *Loco* ſimul, & *motu* probat *Prudentius* Soli non poſſe Divinitatem convenire, quæ omne continet ſpatium.

Epigr. 15. — Solis determinatus curſus.

Solem certa tenet Regio, Plaga certa coërcet:
Temporibus variis diſtinguitur, aut ſubit ortu,
Aut ruit occaſu, latet aut ſub nocte recurrens:
Nec torquere facem potis eſt ad ſigna Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec ſolitum converſus iter revocare retrorsùm.
Hic erit ergo Deus, præſcriptis lege ſub una
Deditus officiis? Libertas laxior ipſi
Conceſſa eſt homini, &c.

Lib. de Spectac. cap. 10. — Theatri obſcænitates.

Spectaculorum iniquitatem, ex Loco in quo fiebant, probàt Tertullianus: [Theatrum propriè Sacrarium Veneris eſt. Hoc denique modo id genus operis in ſæculo evaſit..... Sed Veneri, & Libero convenit: duo iſta Dæmonia conſpirata, & conjurata inter ſe ſunt, ebrietatis, & libidinis. Itaque Theatrum Veneris, Liberi quoque domus eſt. Nàm, & alios Ludos ſcænicos liberália propriè vocabant, præterquàm Libero devotos, quod ſunt Dionyſia penès Græcos, etiam à Libero inſtitutos. . . . . . Quid ergo de horrido Loco perorem, quem nec perjuria ſubſtinent? Pluribus enim & aſperioribus nominibus Amphitheatrum conſecratur, quàm Capitolium, omnium Dæmonum Templum eſt. Tot illic immundi ſpiritus conſidunt, quot homines capit.]

17 *Caſus* exprimit dejectionem è ſublimi dignitatis ad

K pro-

profundum abjectionis; estque circumstantia probans gravitatem delicti, quò Persona delinquens ex altiori decidit. *Ambrosius* præfatam lapsam alloquens: [Estò autem pudor prohibuit confiteri. Quid de secunda commixtione dicis? quid de tertia? quid de frequenti commixtione fœditatis? Cesset, cesset jam violentiæ figmentum, cesset ruboris augumentum, ubi totiès membra illa dicata Christo, scelesto Mœcho suis visceribus polluenda præbuisti. Horret, horret animus, mens tabescit, cum ad aditum sceleris pervenitur. Nam, & Medicus, quamvìs fortis sit animo, tamen cùm altiùs secat vulnus, puto ex parte aliqua substinebit horrorem. * Heù perditam! jam ne intelligis, omnes vias excusationis omnimodis clausas? Jam ne sentis quantum tibi mali, & in carne, & in anima nefaria libido contulerit?&c.]

Frequentiùs lapsa Virgo objurgatur.

Ibid Cap. 4

* *Exclamatio dolentis.*

18 *Facultates* sumuntur pro Scientiis, & Artibus, sivè etiam earum exercitio, & disciplina. Unde Juliani perversum, & ad Ethnicas superstitiones proclivem animum ex Scientiis quas didicit, vel exercuit in Fidei præjudicium probat *Gregorius Nazianzenus*: [Interdùm tamen jis, qui impietate, quàm prudentiâ acutiores erant, mentis arcanum detegebat, tùm in disputationibus, quas cum Fratre habebat, plus quàm æquum erat, pro Ethnicis contendens, (hoc quidem prætextu, quasi inferiorem doctrinam, exercitationis causâ tueretur: cæterùm reverà adversùs veritatem seipsum exercens:) tùm omnibus rebus gaudens, quibus morum impietas, quasi certissimis quibusdam notis exprimitur. At verò postquam Fratre ab humanissimo Principe ad Imperii societatem adscito, parteque Orbis terrarum haùd parvâ in administrationem acceptâ, pro animi libidine, ac sinè ullo metu perniciosissimis studiis, & Præceptoribus operam dare licuit: (ipsi porrò Asia impietatis Schola erat, tàm quæ circa siderum scientiam, & nativitates, inanemque præscientiæ imaginationem vanissimè occupatur, quàm quæ circa præstigiarum artem, earum asseclam, versatur) unum hoc, &c.]

Julianus ad Ethnicos proclivis animo, & linguâ.

Orat. 1. *In Julian.*

Perniciosis studiis operam navat.

19 Si autem *Facultas* pro *Potentia* accipitur, hæc quandoque significat Virtutem activam, ut sunt potentiæ interiores, exterioresque, & habitus, sivè Virtutes, vel Vitia, quæ ad modum potentiæ operantur. Aliquando Potestatem, ex cujus recto, vel non æquo usu, eventùs probatio confici potest. *Nazianzenus* inde odium Juliani in Christianos probat, quòd callidè abusus Imperatoriâ potestate, ipsis partim publicum, partim privatum bellum indixerit: [Quocircà

Orat. 1. In Julian.

circà cum Potentia in persuasionem, & coactionem divisa sit, ita se comparavit, ut quod inhumanius erat, nimirùm vim, & tyrannidem, populari turbæ, Civitatibusque permitteret: (ut quarum vesana audacia intolerabilior sit propter temerarios animi motus, atque præcipites ad omnia impetus) idque nequaquàm publico edicto, verùm ex eo quod impetum, audaciamque minimè reprimebat, velùt proposita quadam lege non scripta, id se velle promulgans. Quod autem lenius, atque humanius erat, magisque Imperatorem decebat, id sibi videlicèt assumit, nempè suadendi, atque illiciendi partes: nec tamen id quidem usquequaque retinuit. Non enim natura ferebat, ut vel pardus distinctas macularum notas, vel Æthiops nigrorem, vel ignis ardorem, vel Diabolus, homicidii crimine jam inde ab ipsa mundi origine constrictus, hominis odium, vel iste improbitatem, qua adversùm nos impellebatur, abjiceret. &c.]

Ejus nimia versutia in Christianos persequendo.

20 *Instrumentum*. Nota vox id exprimens, quo artes suum quæque operantur effectum. Translata nihilominùs ad significanda quæ nobis ut causis principalibus quomodocumque ministrant. Unde fucos, gemmas, aliaque cultûs fœminei genera, instrumentum vocat *Tertullianus* à reprobis Angelis inventum, quo probet, Mulierum nimìs vanum ornatum sinè culpa non esse. De hujusmodi enim loquens desertoribus Spiritibus, quos opinatur ad Filias hominum ingressos turpiter, ait: [Propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur: & circulos ex auro, quibus brachia arctantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur: & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur....... Quid autem tanti fuit ista monstrare, sivè conferre? * Utrumne mulieres sine materiis splendoris, & sine ingeniis decoris placere non possent hominibus, quæ adhùc incultæ, & incompositæ, & (ut ita dixerim) crudæ, ac rudes, Angelos moverant?]

Lib. de Hab. Mul. cap. 2.

Fœminarum cultus scandala parit.

* *Argumentatio à fortiori.*

21 Quo *modo* autem, seu qualiter res gesta sit, servando videlicèt, vel transgrediendo legem, usum, prudentiam in agendo, dum exponitur, facilè apparet rei ipsius gravitas. Hinc *Nazianzenus* Juliani temeritatem exaggerat: [Ac primùm quidem illius contumaciæ, profligatæque vecordiæ facinus fuit, quod ipse sibi diadema imposuit, magnique illius nominis honorem arrogavit, (quod non Fortunæ violentia, sed pro Virtutis præmio, vel tempus, vel Imperatoris calculus affert, vel, ut moris antiqui fuit, Senatûs judi-

Orat. 1. In Julian.

Julianus ipse sibi diadema imposuit.

cium) nec honoris modum ejus arbitrio permisit, quem Imperii arbitrum, Dominumque habuerat.] *Tertullianus* post admonitas Mulieres nè nimio ornatu placere studeant, nec sinè discrimine propriæ, alienæque pudicitiæ, subdit: [Hæc utique non ad crudam in totum, & ferinam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur: nec de bono corporis, squalorem, sed de pudoris suademus: sed de modo, & ordine, & justitia corporis excolendi. Non supergrediendum ultrà, quàm quod simplices, & sufficientes munditiæ concupiscunt ultraquàm Domino placere. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.]

Fœminis moderatè ornari permissum.

Lib. de Cul. Fem. cap. 5.

22 Quamvìs verò plures circumstantiæ concurrant ad facti probationem, vel magnitudinem; & inde *Ambrosius*: [Legimus etiam quod Patrem Loth inebriaverint Filiæ in monte, ad quem, timentes incendium Sodomitarum, confugerant, & habitabant in spelunca. Convenit ebrietati, atque concurrit, ætas, sexus, solitudinis locus, ferarum magìs latibulis, quàm humanis aptior domiciliis.] *Et Chrysostomus* ex circumstantiis temporis, commoditatis, victûs, loci, transeuntem per desertum, abstemium populum admiratur, nè Saul Regis præceptum jejunii transgrederetur: [Sylvam præteribat exercitus favum habentem, & favum ante faciem populi, & ingressus est populus ad favum, & transibat loquens. Vidisti quanta vorago? Mensa extemporanea, & accedendi facultas, & nutrimenti suavitas, & latendi spes in juramenti prævaricationem ipsos alliceret.] Nihilominùs in plurium concursu circumstantiarum, solertiæ Oratoris remittimus præcipuam seligendam, ex qua verosimilior ratio ad rei suasionem depromat.

Loth inebriatus.

Lib. de Helia, & Jeju. cap. 5.

1. Reg. 14

Hebræus Populus jejunii tenax.

Hom. 14 ad Pop.

23 Sed illud non taceam, Inventioni deservire cunctos, quos hucùsque explicavimus, Locos, nedùm quoad probationes, & argumenta formanda, verùm ad rem amplificandam, minuendam, describendam, ad docendum insuper, ac delectandum; Nam sunt veluti thesaurus Eloquentiæ omnem continens illius materiam, undè Orator plenè ditare poterit Concionem, & confirmare. Monet etiam *Quintilianus*: [Illud quoque Studiosi Eloquentiæ cogitent: neque omnibus in causis ea, quæ demonstravimus, cuncta posse reperiri. Neque cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula, & velùt ostiatìm pulsanda, ut sciant, an ad probandum id, quod intendimus fortè respondeant; nisi eùm discunt, & adhùc usu carent: Infinitam enim faciet ipsa res dicen-

Lib. 5. cap. 10.

Non omnibus locis Oratoriis in quaque re utendum.

dicendi tarditatem, si semper necesse sit,ut tentantes unumquodque eorum, quod sit aptum, atque conveniens experiendo noscamus. Nescio,an etiam impedimento futura sint: nisi,& animi quædam ingenita natura,& studio exercitata velocitas, rectà nos ad ea, quæ conveniunt causæ, ferant.]

CAPUT III.

De Sacræ Scripturæ Laude, Eloquentia, Ubertate, Quidditate, Authore, & Studio.

SECTIO I.

Laus Sacræ Scripturæ.

1 Hetoricos Fontes, seù Locos latè quidem tractavimus,sed abyssus,& immensa supersunt spatia, materiæ Oratoribus ministrandæ, argumentisque eruendis, Sacrosancta videlicet Biblia Spiritu Divino dictata, eisque infinitatem quamdam rerum impertiente. De quibus *Apostolus*: [Omnis Scriptura Divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.] Nedùm enim rationum robur firmissimum ex ea sumimus, cum ejus verbis loquimur, juxtà *Basilii Magni* sententiam: [Quidquid vel dicimus, vel facimus,id testimonio Divinarum Litterarum confirmari debet ad confirmationem Fidei bonorum, & confusionem malorum.] Sed docens movet, & sanctificat instruendo.

2.Tim.cap. 3.

In Ethicis Reg.26.cap. 1.

2 Certè grano Sinapis,quod minimum quidem est omnibus seminibus, à Christo in parabolis loquente comparatur Regnum Cœlorum, nempè, ut exponit *Hieronymus*. [Prædicatio Evangelii, & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Judæos: auferetur à vobis Regnum Dei,& dabitur Genti facienti fructus ejus.] Scientiæ equidem Sæculares non absimiles sunt arbori à Daniele de-

Sacræ Scripturæ notitia grano sinapis comparata.

Lib.2.Cõm. in cap. 13. Matth.

descriptæ: [Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens Cœlum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant,&c.] Sed superba arbor, quæ nec integro Regis Babilonici somnio stetit, tonante ab alto voce: *Succidite arborem*, per se corruit: Sæculi namque doctrina pompatica est: Et qui ad Palladis oleam, vel Apollinis laurum labores locat, sibi retorta reputet, quæ in Olympicorum Athletas jecit *Basilius Seleuciensis*: [His omnibus præmium corona de frondibus, donum ridicularium, & fallacia appellationis. Corona cæterà infructuosa, pro fructu pœnas profert: ac totus ille conflictus propter umbram foliorum suscitatur.]

Dan. 4.

Olympicorum vana præmia.

Orat. 27.

3 Granum verò Sinapis in arborem excrescens, quam altitudinem non excedit? Quàm ineluctabiles rami quocumque vento falsorum dogmatum? Qui fructus vitæ dulces gutturi, populis salutares? In hac moram trahere monet *Hieronymus*: [Assumamus, & nos pennas Columbæ, ut ad altiora volitantes, possimus habitare in ramis hujus arboris, & nidos nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes, ad Cœlestia festinare.] Quod si Sacrarum profunda Scripturarum Mare quoque dicere velimus, Petro innuenti: *vado piscari*, respondeamus: *venimus, & nos*. Lucubrationes enim in Divina Biblia, ni Petrus dirigat, approbet, inanescunt, dicente *Ambrosio*: [Denique etsì aliis imperatur, ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc est in profundum disputationum.] Veniamus in altitudinem maris, perquiramus semitas Dei in aquis multis, nam Divinarum perfectionum notitiam in venerabili clausit digiti sui Scriptura. Parendum *Chrysostomo*: [Committamus nos hujus Pelagi profundo ad perquirendam in Divinis Scripturis margaritam latentem: parate animos vestros, & tota intentione mentis, quæ dicuntur audite: Cupio enim in hoc Sanctarum Scripturarum profundum descendere, & inde vobis proferre pretiosissimam margaritam.]

In cap. 1. Matth.

Joan. 21.

Lib. 4. in cap. 5. Lucæ.

Sacræ Scripturæ incumbendum.

Hom. de Cruc. Dem.

4 Sed quid in Divinorum Eloquiorum excellentia prædicanda dignè poterit promere calamus noster? Extat inter Augustini Opera, integro Sermone comprehensa eorum laus, pluribus titulis Sacram decorans Scripturam, quam appellat Sapientiam Sapientiarum, Hæreditatem Dei, & Filiorum eius charam possessionem: Matrem Fidelium, omnium Sapientiarum, & Doctrinarum Magistram, & Dominam: quæ de insipientibus Sapientes facit: primos de novis-

Serm. 30. ad Fratr. in Her. to. 10

Ejus laudes.

simis

ſimis ponit : magnos de minimis efficit : hiſque ſimilia adjiciens quamplura : Verùm cum Sermones ad Heremitas Auguſtino adſcribere nonnullus ambigat, quòd in eis, nec verba, nec ſententiæ, nec quidquam ſit Auguſtino dignum: aliis affirmantibus, proprium id portentoſi Ingenii fuiſſe, ut & altis volaret,& jacentibus reperet,in plures ſe vertentis ſcribendi formas, ut omnibus omnia fieret: eorum Sermonum authoritatem ad forum contentioſum vocare ocioſis relinquimus.Plurima in Sacræ Scripturæ encomium ex eodem ſuppetunt *Auguſtino* tàm hìc, quàm alibi ſæpiùs afferenda.

Sermones ad Fratres in Heremo dubium an ſint Auguſtini.

To.2. Epiſt. 3.

5 Scribens igitur *S. Præſul* Voluſiano, ait: [Tanta eſt enim Chriſtianarum profunditas Literarum, ut in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, uſque ad decrepitam ſenectutem maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Non quo ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti tanta in eis perveniatur difficultate: ſed cum quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua piè, rectèque non vivitur: tàm multa, tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolùm in verbis,quibus iſta dicta ſunt, verumetiàm in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo Sapientiæ,ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum conſummaverit homo, tunc incipit.]

In Sacra Scriptura ſemper remanet addiſcendum.

Lib.15. De Civit. Dei cap. 15.

6 Meritò proindè Sacra Scriptura, eodem teſte *Auguſtino* [Non fortuitis motibus animorum, ſed planè Summæ diſpoſitione Providentiæ ſuper omnes omnium Gentium Literas, omnia ſibi genera Ingeniorum humanorum, Divinâ excellens authoritate ſubjecit.] Sed quantâ ſuavitate? Currimus certè in odorem unguentorum,tracti authoritate, illecti deliciis. Quare *Auguſtinus* de his loquens: [Et hæc undè erunt adhùc ambulantibus ſuper terram, niſi ex Divinis Eloquiis, ex Verbo Dei, ex parabola aliqua Scripturarum ſcrutata, & inveſtigata, ex dulcedine inventionis, quam præceſſit labor inquiſitionis? Sunt quædam deliciæ ſanctæ, & bonæ in Libris. Neque enim ſunt in auro, & argento, in epulis, atque luxuria, in venationibus, & piſcationibus, in ludo, & joco, in theatricis nugis,in affectandis, & apprehendendis ruinoſis honoribus. Neque enim vera ſunt gaudia in his omnibus, & in his libris nulla ſunt: imò verò anima illa tranſiliens, & in his delectata dicat, quia verum dicit, & ſecura dicit. Narraverunt mihi injuſti delecta-

Omnia ſibi ſubjicit ingenia.

Tom. 8. Enarr. in Pſalm. 38. poſt ini.

Deliciis ſpiritualibus plena.

lectationes, sed non sicut Lex tua Domine.]

7 Qua porrò inconcussa authoritate Divinis Eloquiis humana subduntur Ingenia, non libertas adimitur, sed nutabunda hùc, atque illùc palantis Intelligentiæ inconstantia firmatur. Quod enim aliis Scriptorum codicibus fidem præstare in arbitrio sit legentis, ex eorum fallibili authoritate procedit: ubi verò Deus loquitur, quæ credulitatis tergiversatio? Qua de re idem *Augustinus*: [Tanquàm in sede quadam sublimiter constituta (*Sacra Scriptura*) est, cui serviat omnis fidelis, & pius intellectus. Ibi si quid velùt absurdum noverit, non licet dicere: Author hujus Libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posterioribus, (*videlicèt humanâ industriâ exaratis*) quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi Sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar authoritas. Itaque in eis si qua fortè propterea dissonare putantur à vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur; tamen liberum ibi habet Lector auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit. Et ideò cuncta ejusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica authoritate defendantur, ut demonstretur, sivè omninò ita esse, sivè fieri potuisse quod vel disputatum est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. &c.]

Humanorum, & Divinorum Librorum longè impar authoritas.

Lib. 11 cont. Faust. cap. 6. tom. 6.

SECTIO II.

Sacræ Scripturæ Eloquentia.



St simplicioris, inquies, styli Scripturarum, exercitatum in Tullio, Demosthene, Seneca, aliisque Sæculi Oratoribus, tædebit. Inexpertus hìc loquitur, ut videor videre. Si illam Eloquentiam in Literis Sacris expectas, per quam exigua, & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, apagè delicatuli ingenii Cincinnate. Non turget Scripturæ sensus, non ibi scientia, quæ inflat, & ventosis terminis inflatur. *Augustino* in vanis adhùc diserto, vel, ut ipse loquitur, deserto potiùs à cultura Dei, rudia sunt visa Eloquia Domini, utpotè non

Lib. 2 Conf. cap. 3.

æxtimanti argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplùm. Quod lachrymans fatetur: [Itaque institui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis. Et non eram ego talis, ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicùt modò loquor, ita sensi, cùm attendi ad illam Scripturam; sed visa mihi est indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus.

Lib. 3. Conf. cap. 5.

Sacræ Scripturæ eloquentia Augustino adhùc vanis hærenti non cognita.

2 Ubi verò Sapientiam traxit de occultis, in thesauros ingressus intelligentiæ, hæc de Scripturarum Libris testata reliquit: [Hæc quæstio apud meipsum, & apud eos, qui mecum quod dico sentiunt, facillimè solvitur. Nam ubi eos (Libros) intelligo, non solùm nihil sapientiùs, verùmetiam nihil eloquentius videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam Eloquentia, quæ magìs ætatem juvenilem decet, est quæ senilem; nec jam dicenda est Eloquentia, si personæ non congruat loquentis: Ita est quædam, quæ Viros summa authoritate dignissimos, planèque Divinos decet. Hac illi loquuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit; alios autem, quantò videtur humilior, tantò altiùs, non ventositate, sed soliditate trascendit. Ubi verò non eos intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum Eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi ego intelligo.] Eapropter Canonicum stylum sequutam fuisse sæcularem Eloquentiam, idem testatur *Augustinus*. [Sicut Apostolum præcepta Eloquentiæ sequutum fuisse non dicimus: ita, quod ejus Sapientiam sequuta sit Eloquentia, non negamus.]

Job. cap. 28.

Lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 6.

Libri Canonici multâ eloquentiâ nitentes.

Eorum quantò humilior stylus, tantò altior.

Lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 7.

3 Et quoniam in Paulum incidimus, quem *Augustinus* post conversionis diluculum impensè colebat, testatus: [Itaque avidissimè arripui venerabilem stylum Spiritus tui, & præ cæteris Apostolum Paulum; & perierunt illæ quæstiones, in quibus mihi aliquando visus est adversari sibi, & non congruere testimoniis Legis, & Prophætarum textus Sermonum ejus. Et apparuit mihi una facies Eloquiorum castorum, & exultare cum tremore didici.] De eo audiamus *Chrysostomum*. [Et certè si hìc exigere vellemus Isocratis tersum leporem, Demosthenis amplam sublimitatem, Thucydidis

Lib. 7. Cõf. cap. 21.

Pauli Epistolis vehementer dictus Augustinus.

Lib. 4. de Sacerd. ad fi.

Et Chrysostomus.

didis verendam majestatem, Platonis excellentem dignitatem, Pauli testimonium hìc adductum esse oporteret.] In eo legendo, quem innumeris sæpè laudibus effert, idem Sanctus Præsul totus erat, eo fructu, quem ingenuè fatetur: [Neque enim nos quod scimus, ab ingenii bonitate, atque acumine scimus; sed quòd illi Viro impensè affecti, ab illius lectione nunquàm discedimus.] Proindè vocatur à *Hieronymo*: [*Vas electionis, Tuba Evangelii, rugitus Leonis nostri, Tonitruum Gentium, Flumen Eloquentiæ Christianæ.]

Præfat. in Epistol. ad Rom.

Pauli encomia.

Hom. 6. de Panis.

* *Epitheta.*

Epist. 61. ad Pamm.

Isaias Nobilis, & disertus.

4 Ex Veteris Testamenti Scriptoribus, Isaias, teste *Augustino*, præ cæteris, Evangelii, vocationisque Gentium prænunciator apertior: quo styli acumine, nunc elegans, nunc concitus, nunc gràvis, nunc largus, nunc emphaticus, Eloquentiæ præcepta non sequitur, sed præcedit? *Hieronymus*: [Ac primùm de Isa a dicendum, quod in Sermone suo disertus sit, quippè Vir Nobilis, ac Urbanæ Eloquentiæ, non habens quidquam in eloquio rusticitatis; unde accidit, ut præ cæteris, *florem* Sermonis ejus Translatio non potuerit conservare.] *S. Zeno* Veronensis Martyr loquens de impio Rege Manasse: [Intra loricam sacri pectoris, Fidei Comitium, Prædicationis Politiam, Literarum Curiam requirebat.]

Lib. 9. Cōf. cap. 5.

Præfat. in Trāsl. Isai.

* *Metaphora. De Genere ad Genus.*

Ser. de Martyr. Isa.

5 Quinimò tantâ splendent Sacri Codices Eloquentiâ, ut penitiùs introspectos plurima continere Oratoriæ Artis præcepta, Rhetoribus humàna Facultate dicendi incognita, notaverit *Augustinus*: [Et multa reperiet (*Lector*) loquutionis Genera tanti decoris, quæ quidem, & in nostra, sed maximè in sua lingua (*Sacrorum Scriptorum*) decora sunt, quorum nullum in eis, quibus isti (*Rhetores humani*) inflantur, Literis, invenitur.] Schemata ferè omnia exemplificata in Scripturis, sua sede tractabimus, quemadmodùm, & Tropos, sivè Translata, de quibus idem *Augustinus*: [Sciant autem Literati, modis omnibus loquutionis, quos Grammatici Græco nomine *Tropos* vocant, Authores nostros usos fuisse, & multipliciùs, atque copiosiùs, quàm possunt existimare, vel credere qui nesciunt eos, & in aliis ista didicerunt. Quos tamen Tropos qui noverunt, agnoscunt in Literis Sanctis, eorumque scientiâ ad eas intelligendas aliquantùm adiuvantur.]

Eloquentia singularis in Libris S. Scripturæ.

Lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 20.

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 29.

Tropi multiplices in illis.

6 Ex Canonicis porrò Scriptoribus, eos qui de Dicendi Facultate tractarunt, Rhetoricas Institutiones decerpsisse, affirmare non dubitat *Ambrosius*: [Negant plerique, Nostros

Ex illis decerptæ Oratoriæ Institutiones.

Epist. 61.

secun-

ſecundùm Artem ſcripſiſſe ; nec nos obnitimur ; non enim ſecundùm Artem ſcripſerunt, ſed ſecundùm gratiam, quæ ſupra omnem artem eſt : Scripſerunt enim, quæ Spiritus jis loqui dabat. Sed tamen ij, qui de Arte ſcripſerunt, de eorum Scriptis Artem invenerunt, & condiderunt Commenta Artis, & magiſteria.] Græcæ inſuper Sapientiæ Proceres plurima ex Sacris Literis didiciſſe, etsì propriis fabellis poſtmodùm deturpata, tanquàm latices luto inquinatos, teſtantur communiter Patres. Unde *Ambroſius* : [Denique Plato currum volucrem dixit eſſe Cœlum, ex eo, quod Prophæta dixerat: cum irent animalia, ibant, & rotæ conjuncta illis; & cum elevarent ſe animalia à terra, elevabantur, & rotæ.]

Lib. 2. de Abrah. cap. 8.

Ezech. cap. 1.

Plura à Gentilibus ſublata, & fabulis deturpata.

7 Sed qui poſuit in theſauris abyſſos, eam repoſuit in Scripturis eruditionum, documentorumquè ſuperaffluentiam, ut quantacumque copiâ ab Externis detractâ, & in propriis penibus occultatâ, ſemper Scriptura proferat de theſauro ſuo nova, & vetera. Sicut oleo ab Helia multiplicato vaſa Viduæ, ingenia Scripturis deficiunt, non Scripturæ ingeniis : omneſque Sæcularium Doctrinarum Indiæ ditiſſimæ, in comparatione auri primi, ideſt Bibliorum Sapientiæ, pauperrimæ Scoriarum venæ ſunt. Quod appoſito exemplo proſequitur *Auguſtinus* : [Quantum autem minor eſt auri, argentique, veſtiſque copia, quam de Ægypto ſecùm ille Populus abſtulit, in comparatione divitiarum, quas poſtea Jeroſolimæ conſequutus eſt, quæ maximè in Salomone Rege oſtenduntur: tanta ſit cuncta ſcientia, quæ quidem eſt utilis, collecta de Libris Gentium, ſi Divinarum Scripturarum ſcientiæ comparetur. Nam quidquid homo extrà didicerit: ſi noxium eſt, ibi damnatur : ſi utile eſt, ibi invenitur. Et cum ibi quiſque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit ; multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nuſquàm omninò alibi, ſed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.]

Eruditionum copia in Sacra Scriptura.

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 41.

Quam optima comparatione explicat Auguſtinus.

Qui collata modica eſt quæ ex Libris Gentiliū eruitur.

8 Tria quoque Genera Dicendi in Sacris Literis ſedulo Lectori obſervare licebit. *Sublime* nonnunquàm : *Temperatum* ſæpè, ac *Submiſſum*, in Virtutum laude, vitiorum exprobratione, cum omnia ad noſtram doctrinam ſint ſcripta. Similiter Genera illa Cauſarum, videlicet *Deliberativum* verſans in ſuaſionibus, & diſſuaſionibus: *Demonſtrativum* in laudationibus, & vituperationibus : *Juridiciale* in accuſationibus, & defenſionibus, quàm frequenter in

Omnia in Sacra Scriptura dicendi Genera.

Et Genera Cauſarum.

Divinis Scripturis obvia sunt? Sufficiat pro hoc Genere Juridiciali Concio Pauli coram Proconsule Festo, Agrippa Rege, & Berenice, Judæorum calumnias nervosa oratione diluens: [Agrippa verò ad Paulum ait: permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu, cœpit rationem reddere. De omnibus, quibus accusor à Judæis, Rex Agrippa, æxtimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, &c.] Quam Orationem exorditus per verba benevolentiam Regis captantia, multa arte in Genere Judiciali prosequitur, vanas probans Judæorum calumnias, ut exquisitam orandi rationem in ea deprehendere quis possit. *Actor. 26.*

Pauli Cōcio ad Agrippam Regem in Genere Judiciali.

9 Genus vero sublime, seù granditèr dicendi in eodem Apostolo recognovit *Augustinus*: [Agit Apostolus, ut pro Evangelico Ministerio patienter mala hujus temporis, cum solatio donorum Dei omnia tolerentur. Magna res est, *Granditer* agitur, nec desunt ornamenta dicendi: Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in Charitate non ficta, in verbo Veritatis, in virtute Dei, per arma Justitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: ut seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Vide adhùc ardentem: Os nostrum patet ad vos o Corinthii: Cor nostrum dilatatum est, & cætera, quæ prosequi longum est. Itemque ad Roman. Agit, ut persequutiones hujus mundi Charitate vincantur, spe certa in adiutorio Dei. Agit autem, & *Granditèr, & ornatè*. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum jis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filii sui, &c.] Quæ usque ad finem ejus Capitis calamo extenso affert Augustinus, ad insinuandum, Genus Granditer dicendi, circumscripto tumoris fastu, Sacris Literis non deesse.

Genus dicendi Grande. In Pauli Epistolis.

Lib. 4. de Doctr. Chr. cap. 20.

SE-

SECTIO III.

Sacræ Scripturæ Ubertas.

Lib. 20. Mor. cap. 1.

1  Ac præſertìm dote, Scientiis omnibus anteferendas Sacras Literas *Gregorius* cenſuit: [*Quamvis omnem Scientiam, atque doctrinam Scriptura Sacra ſine aliqua comparatione traſcendat: ut taceam quod vera prædicat, quod ad Cœleſtem Patriam vocat, quod à terrenis deſideriis ad ſuperna amplectenda cor legentis immutat: quod dictis obſcurioribus exercet fortes, & parvulis humili ſermone blanditur: quod nec sìc clauſa eſt, ut paveſci debeat; nec sìc patet, ut vileſcat: quod uſu faſtidium tollit, & tantò ampliùs diligitur, quantò ampliùs meditatur: quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, ſublimibus ſenſibus levat: quod aliquo modo cum legentibus creſcit: quod à rudibus lectoribus quaſi recognoſcitur, & tamen Doctis ſemper nova reperitur. Ut ergo de rerum pondere taceam, Scientias tamen omnes, atque Doctrinas ipſo etiam loquutionis ſuæ more traſcendit: quia uno, eodemque Sermone, dum narrat geſtum, prodit myſterium: & sìc ſcit præterita dicere, ut eo ipſo noverit futura prædicare: & non immutato dicendi ordine, eiſdem ipſis Sermonibus novit, & anteacta deſcribere, & agenda nunciare.] Quam myſteriorum afluentiam in Divinis Scripturis ſæpè repandit *Auguſtinus*: [Sunt enim in Scripturis Sanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, nè vileſcant: ad hoc quæruntur, ut exerceant: ad hoc aperiuntur, ut paſcant.] Et infra loquens de Charitate, quæ finis Legis eſt, & Scripturæ Compendium, ſubdit: [Quidquid obſcurum eſt in Scriptura, hæc *(Charitas)* ibi occulta eſt: quidquid ibi planum eſt, hæc ibi aperta eſt. Si nuſquàm aperta eſſet, non te paſceret: ſi nuſquàm occulta, non te exerceret.]

* Subſtentatio. Figura.

Rerum ubertate etiam Sacra Scriptura cæteras doctrinas antecell.t.

Humilis, & ſublimis. Doctis ſemper nova.

Uno Sermone dùm narrat geſtũ, prodit myſterium.

To. 8 Præf. ad Enarr. in Pſal. 140.

Cur obſcura ſimùl, & perſpicua.

Apoc. cap. 5.

Ezech. cap. 2.

2 Hujus porrò celebris figura habetur in Libro ſcripto int᷑s, & forìs viſo à Joanne in dextera ſedentis in throno; & in eo de quo loquitur Prophæta: *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus Liber: & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intùs, & foris.* Quid verò eo oſtento ſignificaretur, prodit *Gregorius*: [Sicut per Prophætam Prædicatorum Ordo, ſìc per Librum, quem accepit,

Hom. 9. in Ezech.

Prædicatorum Ordo deſignatus per Ezechielem.

cepit,

cepit, Scripturæ Sacræ paginæ designantur. Liber autem involutus est Sacræ Scripturæ Eloquium obscurum, quod profunditate Sententiarum involvitur, ut non facilè sensus omnium penetretur...... Qui erat scriptus intùs, & foris.

Sacra Scriptura Liber involutus scriptus intùs, & foris.

Liber enim Sacri Eloquii intùs scriptus est per Allegoriam, foris per Historiam. Intùs per spiritalem intellectum, foris autem per sensum literæ simplicem, adhùc infirmantibus congruentem: Intùs quia invisibilia promittit; foris, quia visibilia, Præceptorum suorum rectitudine disponit. Intùs, quia Cœlestia pollicetur: foris autem, quia terrena contemptibilia, qualiter sint vel in usu habenda, vel ex desiderio fugienda præcipit. Alia namque de secretis cœlestibus loquitur: alia verò in exterioribus actionibus jubet. Et ea quidem, quæ foris præcipit, patent: Sed illa, quæ de internis narrat, plenè apprehendi nequeunt.]

3 Quin, & syllabæ, literæ, apices confertissimis mysterijs fœcundantur. Id fatetur *Hieronymus*: [Singuli Sermones, syllabæ, apices, puncta in Divinis Scripturis plena sunt sensibus.] Consentit *Chrysostomus*, nec se tantummodò imparem testatur ad omnes divitias plenitudinis Intellectûs in uno Scripturæ verbo rimandas: sed nec præcessisse, nec esse futuros, qui hoc sibi spondere audeant. [Meritò thesauro cuipiam confertur Divinarum Scripturarum lectio. Nam sicut ex illo quisquis vel parvum fructum capere valet, multas sibi parat divitias: Ita, & in Sacra Scriptura, *etiam in brevi dictione* variam Sententiarum vim, & indicibiles divitias invenire licet. Et non solùm thesauro similia sunt Divina Eloquia, sed fonti quoque largis, perennibusque scaturienti fluentis. Id quod reipsa heri omnes didicimus. Nam ut prooemia Libri Geneseos incepimus, explanando hoc dictum: In principio fecit Deus Cœlum, & terram, totam horam consumpsimus, & neque sìc totum comprehendere valuimus. &c.] Et alibi: [Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in Sacris Literis, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus.] Hinc, vel minimam illam conjunctivam particulam *Et*, licèt aliquando videatur in aliis otiosa, nunquàm tamen in Sacris Bibliis à mystica significatione vacantem advertit *Augustinus*: [Sed si quem movet conjunctio superaddita, quod ait: *Et scitote*, facile est in Scripturis animadvertat, hujus loquutionis genus familiare esse illi Linguæ, qua Prophætæ loquuti sunt. Nam sæpè invenis ita cœptum. *Et* dixit Dominus ad illum, *Et* factum est Verbum Domini ad illum. Quæ junctura conjunctionis, cum

In cap. 3. Ad Ephes.

Thesaurus locuples, & Fluvius exundans.

To. 1. Hom. 3. in Genes.

Hom. 21. in Gen.

Etiam in syllabis mysteria claudens.

Conjunctio *Et* quandoque in Scriptura posita, etiam mysterio non vacat.

Enarrat. in Psal. 4.

cum sententia non præcessit, cui sequens adnectatur, mirabiliter fortassis insinuat, prolationem veritatis in voce, cum ea visione, quæ fit in corde, esse conjunctam.] Plurima ejusmodi arcana, infra agentes de Sacræ Scripturæ expositione, reserabimus.

4 Nec verò propter mysteria, quæ claudit, tantummodò, sed & propter præcepta, narrationes, Historias, ritus, ab Orbis Genesi ad usque ferè completa Apostolorum acta, Sacræ Scripturæ ubertas dignoscitur. Cuncta insuper, quæ ad Virtutis æmulationem, ad Vitiorum detestationem, ad salutis æternæ assequutionem conducunt, in ea cumulatissimè deprehenduntur. Unde *Chrysostomus*: [Nam qui ignarus est, inveniet ibi quid discat. Qui contumax est, & peccator, inveniet ibi futuri Judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias, & promissiones vitæ perpetuæ, quibus ampliùs excitetur ad opus: Qui pusillanimis est, & infirmus, inveniet ibi mediocres Justitiæ cibos, qui etsi pinguem animam non faciant; tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est, & fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vitæ, quæ perducant ipsum propè ad Angelorum naturam. Qui percussus est à Diabolo, & vulneratus est in peccatis, inveniet ibi medicinales cibos, qui eum per pœnitentiam revocent ad salutem. Ut quid enim ibi scriptum est, quomodo Achan propter furtum laminæ aureæ sit lapidatus; nisi ut habeant fures quod timeant? Ut quid ibi Filii Israel, qui fornicati sunt cum filiabus Moabitarum, percussi refugerunt in Beelphegor, nisi ut habeant fornicatores quod perhorrescant? Ut quid concupitores carnis castigati sunt in deserto, nisi ut nemo delicias concupiscat? &c.] Idemque *Sanctus Patriarcha* alibi loquens de Sacris Scripturis: [Has quisque secùm expendat, suisque congrua vulneribus pharmaca imponat. . . . . . Nulla enim est in humana Natura vel corporis, vel animæ passio, quæ medicinam hìnc accipere nequeat.]

Hom. 41. Oper. Imperf. sup. Matth.

Ubertas rerum pro universa hominum conditione, & indigentia.

Hom. 29. in Genes.

Apud P. Antō. à Matre Dei. Prælud. Isagog. dub. 1. Sect. 1.

Inde pro cunctis hominum malis remedia.

5 Amplius Sacrorum Voluminum uberrimam plenitudinem prodit *Sanctus Fulgentius Ruspensis*, inquiens: [Dominicus Sermo, quem debemus omnes non solùm studiosè, verumetiam sapienter audire: cui nos oportet humiliter, ac delectabiliter obedire: moderationis suæ tenens ubique temperiem, ut nec Ovibus desint pabula, nec Pastoribus alimenta . . . . . . In quibus denuò mandatis, tanquàm ditissimis ferculis; sìc Cœlestium deliciarum copia spiritalis exuberat: ut in Verbo Dei abundet, quod perfectus comedat: abun-

Ser. de Confess. & Dispensator. Domini.

Pro Ovibus pabula, pro Pastoribus alimenta.

abundet etiam, quod parvulus sugat. Ibi est enim simul, & lacteus potus, quo tenera Fidelium nutriatur infantia: & solidus cibus, quo robusta perfectorum juventus spiritalia sanctæ Virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur universis, quos Dominus salvare dignatur. Ibi est, quod omni ætati congruat: ibi, quod omni professioni conveniat. &c.]

6 Nec absimilia *Hieronymus*, cujuscumque conditionis homines ex Sacra Scriptura omnia cuique opportuna colligere satis posse, explicans: [Quid hic non invenitur, quod faciat ad utilitatem, aut ad ædificationem humani Generis, conditionis, sexûs, ætatis? Habet enim infans quod lactet, puer quod laudet, adolescens quod corrigat, juvenis quod sequatur, senior quod precetur. Hic discet fœmina pudicitiam, pupilli invenient pietatem, Viduæ Judicem, pauperes protectorem, advenæ custodem. Hic inveniunt Reges quod audiant, Judices quod timeant. Hæc tristes consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, divitem ut se agnoscat, increpat: omnibus se suscipientibus apta medicamenta tribuit; nec peccatorem despicit, sed remedium ei per pœnitentiam ingerit.] Alibi quoque idem *Hieronymus*: [Utere lectione Divina vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando, & pulchriora faciendo. Scriptura enim speculum est, fœda ostendens, & corrigere docens.]

Præf. super Psal.

Omnium utilitati congrua auxilia.

Ad instar speculi in quo quid sumus; & quo egemus conspicitur.

Epist. ad Demetriad.

7 Quam speculi similitudinem latiùs tractans *Gregorius*, ait: [Scriptura Sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum proficimus; ibi, à profectu quàm longè distamus. Narrat autem gesta fortium Sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat: fitque verbis illius, ut eò mens minùs inter certamina trepidet, quò ante se positos tot Virorum fortium triumphos videt. Nonnunquàm verò non solùm nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit: ut & in victoria fortium, quod imitando arripere; & rursùm videamus in lapsibus quid debeamus timere. Ecce enim Job describitur tentatione auctus, sed David tentatione prostratus: ut & Majorum virtus spem nostram foveat; & Majorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat: quatenùs dùm illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant;

Lib. 2. Mor. cap. 1.

Virtutes Sanctorum repræsentat, & casus, quare?

Job tentatione auctus.

David tentatione victus.

mant; & audientis animus, illhinc spei fiduciâ, hinc humilitatis timore eruditus: nec temeritate superbiat, quia formidine premitur: nec pressus timore desperet, quia ad spei fiduciam, virtutis exemplo roboratur.] Ad timorem, & spem inducunt.

8 Et alibi prosequens Libri involuti explicationem, in quo Sacram Scripturam exposuerat obumbratam, ait: [In hoc itaque Volumine, cuncta, quæ ædificant, omnia, quæ erudiunt scripta continentur. Peccasti enim, & jam te pœnitet illicita perpetrasse; ut ad agendam pœnitentiam docearis, ibi invenis Lamenta. Spe Cœlestium gaudiorum mentem relevare desideras, ibi ad consolationem tuam invenis Carmen. Sin verò, & mala perpetrasti, & hæc te perpetrasse non pœnitet, sed cervicem mentis erigis, ad nullas pœnitentiæ lamentationes inclinaris: velis nolis, ibi scriptum auditurus es, Væ: ut quem nec timor ad pœnitentiam humiliat, nec spes ad superna præmia exaltat, damnationis suæ jamnùnc pœnam prospiciat, & sine excusatione in æternum supplicium cadat.] Sicut autem exaltantur Cœli à terra, ita exaltatæ sunt viæ Domini à viis nostris, & Scripturæ ejus à nostris: illas quippè Cœlo æquavit *Gregorius*, & meritò, tot namque fulgent in ipsa Fidei umbra luminibus, ut meridiana sæcularis doctrinæ lux ipsis comparata obtenebrescat: [Unde scriptum est: Extendens Cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus. Quid enim Cœli nomine, nisi Sacra Scriptura signatur, de qua nobis, & Sol Sapientiæ, & Luna Scientiæ, & ex antiquis Patribus stellæ exemplorum, atque Virtutum lucent? Quod sicut pellis extenditur: quia per Scriptores suos carnis linguâ formatum, ante oculos nostros per verba Doctorum exponendo displicatur.]

Lib. 1. in Ezech. hom. 9. — In Sacris Libris cuncta quæ ædificant, omnia quæ erudiunt, continentur.

Cœlis assimilati.

Hom. 9. in Ezech. — Cœlum extendi sicut pellẽ quid significet?

9 Ad hanc proinde Sapientiam Sapientiarum, & totius Veritatis Protho-Præceptricem, examinandæ sunt quæ in Philosophicis, Ethicis, Liberalibus Artibus, Poëtarum carminibus, Historicorum narrationibus continentur. Nil enim verum, quod illi non conformatur: nil probum, quod illi dissonat: nil rectum, quod ab illius norma deviat; nil tutum, quod illa non approbat. De singulis Naturalibus Scientiis, deque ipsa Theologia id fusè demonstrat Noster *Fr. Joannes Segobiensis*. Et profectò Sacram callens Scripturam, (quæ licèt, ut placidus Siloë aquas in silentio derivet, rigat tamen montes de superioribus suis, & de fructu operum suorum satiat terram) nedùm Naturales Disciplinas purificat, & cœnosis eripit fluminibus Babilonis: Sed è tot mysterio-

Nihil verum quod S. Scripturæ dissonum est.

Lib. 2. de Præd. Evãg. cap. 2. — Per eam aliæ Scientiæ ad censuram vocandæ.

rum Cœlesti scatebra puros latices potans, turbulentos, ac perstreperos superbæ humanæ Sapientiæ gurgites vix summis attingit labiis, audiens *Tertullianum*: [Idcircò jam omnes retrò ambiguitates, & quas volunt parabolas, aperta, atque perspicua totius Sacramenti prædicatione discussit (*Deus*) per novam Prophætiam, de Paracleto inundantem: (*Idest per Sacram Scripturam Dei Spiritu exaratam*) cujus si hauseris fontes, nullam poteris sitire Doctrinam, nullus te ardor exuret quæstionum.]

Illam discens, aliis Doctrinis non eget.

Lib. de Resurr. Car. cap.ult.

10 Quid enim Labani diligentiâ vexamur in evolvendis mundanis disciplinarum vasis, & aurea Idola inter hujus peregrinationis impedimenta perquirimus? non quòd damnabile sit aliis Scientiis operam navare, præsertim solidioribus, & à pravo dogmate remotioribus: sed quòd nimia in eis comparandis solicitudo nos à melioribus abstrahit, qui cum Regio Psalmographo: quoniam non cognoscimus Literaturam, introimus in potentias Domini, & per Scripturarum studium appropinquamus altitudini divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei. Angustum erit os, quod ab Authoribus Sæculi satiari potest; Unicuique Nostrûm Dominus dicit: dilata os tuum, & implebo illud. Implet enim Deus mentem, quam possidet, repletque scientiæ bonis, ut nullo indigeat alieno, testante *Tertulliano*: [Porrò non ampliùs inveniri licet, quàm quod à Deo discitur. Quod autem à Deo discitur, Totum est.]

Illi præcipua studii opera adhibenda.

Quod à Deo discitur, Totum est.

Lib. de Anima cap. 2.

SECTIO IV.

Sacræ Scripturæ Quidditas, Author.

Sacræ Scripturæ Definitio.

1 Is coloribus Sacræ Scripturæ facie delineatâ, ampliùs ejus venustas apparet ex Definitione communiter tradita, nempè quod sit: *Epistola Dei ad Homines missa.* Quam insinuat *Augustinus*: [Scripturæ Divinæ, quasi *Literæ* de Patria nostra *ad nos transmissæ sunt*......Sed quia Rex noster, plusquàm cogitari, vel dici potest, pius, & misericors est, Scripturas Divinas ad nos invitatorias per Patriarchas, & Prophætas dignatus est mittere, quibus nos ad æternam Patriam invitaret.] Viam nãque demonstrant planam, ac tutam; omnes valles implent humanæ infirmitatis: montes, & colles humiliant operandi arduitatis: instruunt, nè erremus in inviis: urgent, nè subsistamus in itine-

Serm. 19. ad Frat. in Herem. to. 10.

Serm. 56. ad Frat. in Heremo.

itineribus: invitant, ut Patriæ bonis perfruamur. Apertiùs idem significat *Gregorius*, Theodorum Medicum negligentiæ in Sacrarum Scripturarum studio blandè coarguens: [Sed quia ille plùs diligit, qui plùs præsumit, ergà dulcissimam mentem gloriosissimi filii mei Domini Theodori habeo aliquam quærelam: quia donum ingenii, donum rarum, donum misericordiæ, atque Charitatis à Sancta Trinitate percepit: sed tamen Sæcularibus indesinenter causis adstringitur, assiduis processionibus occupatur, & quotidiè legere negligit Verba Redemptoris sui. Quid est autem Scriptura Sacra, nisi quædam *Epistola Omnipotentis Dei ad Creaturam suam*? Et certè sicubi esset Gloria Vestra alibi constituta, & scripta terreni Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi priùs quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator Cœli, Dominus hominum, & Angelorum pro vita tua, tibi *suas Epistolas transmisit*; & tamen, Gloriose Fili, easdem Epistolas ardenter legere negligis.]

Lib. 4. Epist. 40. — Epistola Dei ad Homines.

2 Productiori tamen lineâ Scripturæ quidditatem explicat *Pater Antonius à Matre Dei* Carmel. Excalc. in Præludiis Isagogicis ad Bibliorum intelligentiam: Eam sic diffinimus: Scriptura Sacra est, cujus Deus est proximus, & specialis Author: sivè quia Ipse eam immediatè scripsit; sivè mediatè: quia scilicet alicujus Scriptoris ministerio utens, ipsum ad scribendum impulit, ipsius mentem in singulis sententiis direxit, singulaque verba dictavit.] Equidem hæc definitio, Scripturæ quidditatem adæquans, ex Scriptura non incongruè colligitur. Ibi enim habetur: [Hoc primùm intelligentes, quod omnis Prophætia Scripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophætia, sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt Sancti Dei Homines. Hìnc quæ profert Scriptura, non humani ingenii inventa, sed dictantis Divinæ Sapientiæ mysteria sunt, Scriptoribus Canonicis, Amanuensium Sancti Spiritûs munere functis, nihil proindè de suo conantibus, sed Deo singula verba dicenti aurem cordis, & manûs ministerium præbentibus.

Prel. 1. dub. 1. Sect. 2. — Alia amplior, Definitio.

2. Petri cap. 1. — Scriptores Canonici Amanuenses Spiritûs Sancti.

3 Plures profectò ex Discipulis Gesta Domini in volumina redegisse probabile est; sed etsì vera scripsisse credantur, Evangelistæ gloriam non sunt adepti, quippè non à Spiritu Sancto inspirati, ideft assumpti ad scribendum, quod Ipse dictaret, non quod ipsi conarentur. Unde *S. Lucas* Theophilum supponens illis rerum eventibus instructum,

Plures ex Discipulis aliqua scripsisse verosimile est.

initio Evangelii, se ad scribẽdum dicit inductum, ut Theophilus earum rerum cognosceret veritatem: [Quoniam quidem multi conati sunt ordinare Narrationem, quæ nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt Nobis qui ab initio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt Sermonis; visum est, & mihi assequuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere, Optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.] Quia videlicet nequiret ille certò, & infallibiliter veritati assentiri, nisi ab Evangelista, ceù à Dei dictantis Amanuensi, proponeretur. Unde *Ambrosius*. [Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec implevit. Sine conatu sunt enim donationes, & gratia Dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet Scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas: sed Divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta compleverunt.]

Luc. cap. 1.

Canonici Scriptores sine conatu scribebãt suggerente Deo.

Lib. 1. in Luc in Explan. Proem.

4 Quamvis autem varius aspectus Novi, ac Veteris Testamenti (de quorum diversitate infrà) Una tamen facies Eloquiorum Castorum, quorum unus Author, nempè Deus, veluti Instrumentis quibusdam, Hominibus utens, illisque, ut scriberent suo Nomine, sententias, verbaque dictans. De quo nefas est dubitare, consentientibus innumeris Patribus, ut notat *Pater Antonius à Matre Dei*. Ejus autem Divinæ modum Operationis multiformiter sibi Scriptorum mentes subjicientis, non otiosum erit exponere. Ut enim loquitur *Nazianzenus*: [Quo modo se se Deus utcumque conspicandum præbebat, vocesque etiam quasdam, & impetus, atque actiones: sivè Divinum quoddam esset hoc spectrum, solis optimis, & Sanctissimis Viris conspicabile: sivè minimè fallax noctis visio: sivè mentis impressio quædam, & informatio, cum rebus futuris, quasi cum præsentibus commercium habens: sivè arcanum quoddam aliud Prophætiæ genus, dicere nequeo: novit hoc Prophætarum Deus, & qui hujusmodi afflatibus agitantur.] De Prophætis insuper loquens *Iræneus*, ait. [Res quasdam per visiones videbant, quasdam per verbum annunciabant, quasdam verò per operationem typicè significabant. Quæ quidem videnda erant, videntes: quæ verò audienda erant, sermone præconiantes: quæ verò agenda erant, operatione perficientes, universa verò prophæticè annunciantes.]

Authore principali Sacræ Scripturæ.

Prel. 1. dub. 2.

Diversimodè in illis ad hunc finem operante.

Orat. 2. de Theol.

Lib. 4. Advers. Hæres. cap. 23.

5 Quod probè percipitur, si ad hominum consuetudinem

nem respiciamus. Dicitur enim quis dictare scribenda, vel sua voce auribus Scribentis insonans verba: vel ejus animo inferens per oculos demonstrando, quæ scribi velit: præsupposita in scribente arte verba comb nandi, atque nectendi, & voluntate ad opus perficiendum, & manûs habilitate ad ministerium. Ampliùs si non habenti artem, aut voluntatem, aut habilitatem scribendi, quis exaranda paginis ostenderet, simùl characteres menti docendo imprimeret, voluntatem Scriptoris inclinaret, manum in scriptione moveret, applicaret, dirigeret ad opus, rem scribendam insinuando, vel repræsentando: utraque vocaretur vera dictatio; & Dictanti scriptura illa tanquàm principali Authori, jure optimo tribueretur.

Humana in dictando solertia.

6 Juvat comparatio ad percipiendum modum, quo Deus Canonicis Scriptoribus sua verba dictaverit. Remotis enim per Divinam assistentiam oblivione, mendacio, deceptione, negligentiâ, aliisque ex parte subjecti contrariis veritati dispositionibus: ad Mysteria, & Arcana explicanda, quæ in cor hominis non ascenderunt, interdùm Deus ea dictavit imprimendo species imaginarias, vel intelligibiles, vel intùs loquendo, vel quæ scribenda erant mentis obtutui præsentando: Voluntatem pariter movendo, non per impressionem alicujus formæ in eam, sed per actualem motionem interiorem, qua solus ipse Humanæ Conditor Voluntatis potest eam, cùm vult, & quò vult, movere: manui Scriptoris assistendo, nè verbum pro verbo, rem pro re, literam pro litera substitueret. Interdùm verò, licèt Scriptori verba, & res præsto essent: quia tamen species illæ existentes in Imaginativa, vel Intellectiva facultate, resque naturaliter repræsentantes, non sufficiebant ad significationem eorum, quæ Spiritus Sanctus intendebat: ideo perficiente Naturam Gratiâ, per specialem illustrationem, rerum, verborumque species Divinitùs coordinabantur, & Voluntas ad scribendum à Deo applicabatur in eum finem, quem intendebat: manus itidem dirigebatur, absque qualitatis alicuius impressione, per extrinsecam assistentiam, & virtuosam motionem ab errore præservata. Alterutro dictandi modo, quod homines scribebant, Divinissima, atque veracissima Spiritûs Sancti Scriptura meritò nuncupatur.

D. Thom. Qu. 12. de Verit. ar. 7. & 12. Et 2.2. qu. 172. ar. 2.

Non uniformiter Deus Sacram dictavit Scripturam.

7 Decalogus autem in prioribus Tabulis quod immediatè à Deo exaratus fuerit, non ab Angelo, vel Moyse, probabile nimìs est, ut in loquutionis rigore, & literaliter accipiantur verba Exodi Cap. 23. [Et reversus est Moyses de

Tabulæ Legis primitùs scriptæ immediatè à Deo.

de monte portans duas Tabulas Testimonii in manu sua scriptas ex utraque parte, *& factas opere Domini: Scriptura quoque Dei erat sculpta in Tabulis.*] Fractis continuò ad radicem montis, dum Populus ad aram Vituli nefandis tripudiis dissolvebatur; ut enim ait *Basilius Magnus*: [Quas Tabulas Dei digito conscriptas jejunium accepit, has ebrietas contrivit. Prophæta Sanctissimo indignum existimante, vinolentum Populum à Deo Legem accipere.] Hinc manifesta diversitate verborum significantur priores, ac posteriores Decalogi Tabulæ. De illis enim Moysi datis à Deo, dicitur: [*Deditque Dominus Moysi*, completis hujuscemodi Sermonibus in monte Sinai, duas Tabulas Testimonii lapideas, *scriptas digito Dei.*] De secundis verò non dicit Scriptura à Deo datas, sed jussum Moysen, ut scriberet. [Dixitque Dominus ad Moysen: *Scribe tibi Verba hæc*, quibus, & tecùm, & cum Filiis Israël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, *& scripsit in Tabulis Verba Fœderis decem.*]

Hom. 1. de Jejun.

Exod. 31.

Secundò à Moyse.

Exod. 34.

8 His autem non opponitur quod docet *D. Thomas*, videlicèt Veterem Legem datam Moysi non immediatè à Deo, sed mediantibus Angelis. Dicitur enim ad Gal. 3. Lex data est per Angelos in manu Mediatoris. Et Actorum 7. dixit Stephanus: Accepistis Legem in dispositione Angelorum: Nam S. Doctor asserit dumtaxàt, Angelos fuisse Ministros tradentes, non verò scribentes: Ipsi enim Moysi ex persona Dei loquebantur. Cujus congruentiam adducens subdit: [Et ideo conveniens fuit, ut Lex perfecta Novi Testamenti daretur immediatè per ipsum Deum Hominem factum: Lex autem Vetus per Ministros Dei, scilicèt per Angelos, daretur hominibus. Et per hunc modum Apostolus ad Hebr. 1. probat eminentiam Novæ Legis ad Veterem: quia in Novo Testamento loquutus est nobis Deus in Filio suo: in Veteri autem Testamento est Sermo factus per Angelos.]

1. 2. qu. 98. ar. 3. corp.

9 Quod cõfirmans *Augustinus*, profundè causam perpendit, cur Deus propriam Scriptionem frangi permiserit, Mosaicam verò servari voluerit: [Proinde magna oritur quæstio, quomodo illæ Tabulæ, quas erat Moyses, Deo utique præsciente, fracturus, non hominis opus esse dicantur, sed Dei: *nec ab homine scriptæ, sed scripta digito Dei.* Posteriores verò Tabulæ tandiù mansuræ, ac in Tabernaculo, & Templo Dei futuræ, jubente quidem Deo, tàm ab homine excisæ sint, quàm ab homine scriptæ. An fortè in illis prioribus Gra-

Lib. 2. Quæst. sup. Exod. quæst. 166. tom. 4.

Cur priores, nõ verò posteriores frangi permissæ.

Gratia Dei significabatur, non hominis opus: qua gratia indigni facti sunt revertentes corde in Ægyptum, & facientes Idolum, unde illo beneficio privati sunt, & propterea Moyses Tabulas fregit. Istis verò Tabulis significati sunt qui de suis operibus gloriantur: Unde dicit Apostolus: ignorantes Dei Justitiam, & suam volentes constituere, Justitiæ Dei non sunt subiecti. Et ideo Tabulæ humano opere insculptæ, & humano opere conscriptæ datæ sunt, quæ cum ipsis manerent, ad eos significandos de suis operibus gloriaturos, non de digito Dei, hoc est de Spiritu Dei? Certè ergo repetitio Legis, Novum Testamentum significat, illud autem Vetus significabat, unde confractum,& abolitum est. Maximè quoniam cùm secundò Lex datur, nullo terrore datur; sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium, & tubarum; unde tremefactus Populus dixit: non loquatur Deus ad nos, ne moriamur. Unde significatur timor esse in Veteri Testamento, in Novo dilectio. Quomodo igitur hæc solvitur Quæstio: quare illæ *Opus Dei*, istæ *Opus hominis*:& illæ *conscripta digito Dei*, istæ *scripta ab homine*? An fortè ideo magìs in illis prioribus Vetus significatum est Testamentum: quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit? Lex enim posita est in Veteri Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ subintravit, ut abundaret delictum:non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi Charitate. Et ideo dicitur *Opus Dei*, quia Deus Legem constituit.*Deus conscripsit*, nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, & eum potiùs reum Lex fecit. In secundis autem Tabulis,homo per adjutorium Dei Tabulas fecit,atque *conscripsit*: quia Novi Testamenti Charitas Legem facit.]

Illis Vetus, istis Novum Testamentum signatur.

10 Duplex hìc, memorato Moyse, incidit eruditio. Altera: Cur ejus tempore data sit Lex? Cui plenè satisfacit *D.Thomas*:[Convenientissimè Lex Vetus data fuit tempore Moysi. Cujus ratio potest accipi ex duobus,secundùm quod quælibet Lex duobus generibus hominum imponitur. Imponitur enim quibusdam duris, & superbis, qui per Legem compescuntur, & domantur. Imponitur etiam bonis, qui per Legem instructi,adjuvantur ad implendum,quod intendunt. Conveniens igitur fuit, tali tempore Legem dari, ad superbiam hominum convincendam. De duobus enim homo superbiebat, scilicet de Scientia, & de Potentia. De Scientia quidem, quasi Ratio naturalis ei posset sufficere ad salutem. Et ideo, ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini suæ Rationis, absque adminiculo

1.2.qu. 98. ar.6.

Lex vetus data tempore Moysi.

Ad superbiam hominum edomandam.

Per notitiam ignorantiæ, & infirmitatis.

culo

culo Legis scriptæ: & experimento homo discere potuit, quod patiebatur Rationis defectum per hoc, quod homo usque ad Idololatriam, & turpissima vitia circa tempora Abrahæ sunt prolapsi. Et ideo post hæc tempora fuit necessarium, Legem scriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ: quia per Legem est cognitio peccati, ut dicitur Roman. 5. Sed postquàm homo est instructus per Legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat, quod cognoscebat. Et ideo, sicùt Apostolus concludit ad Rom. 8. Quod impossibile erat Legi, in qua infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio Legis impleretur in nobis. Ex parte verò bonorum, Lex data est in auxilium, quod quidem tùnc maximè Populo necessarium fuit: quia Lex Naturalis obscurari incipiebat per exuperantiam peccatorum. Oportebat enim hujusmodi auxilium quodam ordine dari, ut per imperfecta ad perfectionem manuducerentur: & ideo inter Legem Naturæ, & Legem Gratiæ oportuit Legem Veterem dari.]

Data insupèr in auxilium Legis Naturæ, & dispositionem ad Legem Gratiæ.

11 Altera eruditio: Cur per Moysen Mundi conditi narratio tradi oportuit? Rationem reddit *Augustinus*. [Quid opus erat, per Moysen, & non antè, Exordium Mundi, & ordinem Creaturæ exponere? Priùs describi non debuit: quia adhùc causa, error tantus, non erat in hominibus. At ubi jam error creverat Generi Humano, itaut etiam Filii Israël contra hanc expositionem in Ægypto tradi audirent à Philosophis Ægyptiorum, à quibus etiam Moyses fuerat instructus omnem peritiam Ægyptiacam: quæ Apim quemdam Mundum istum asserit per malos Angelos condidisse: hunc quoque Principem Mundi videri, idest Sathanam. Quam sententiam Marcion sequutus ruit in mortem; nam & Manichæi ab eodem Sathana hominem dicunt factum, non Mundum istum, stultiores cæteris. Cum enim Mundum constet hominis causâ fabricatum, illi à Deo dicunt Mundum factum, licèt de alieno. Hominem verò ab Adversario creatum, ut in domo alterius alter posuerit dominium. Oportuit ergo Moysen, ut errorem istum proderet, & auferret, manifestare Mundi, & Hominis fabricati Deum esse authorem. Accepta enim authoritate per signa, & prodigia, quæ fecit, docuit, sine dubio id verum esse, quod testibus signis tradebat. Quis enim non crederet ei, cujus tanta signa in rebus gestis existerent?]

Mundi Creatio à Moyse scripta.

Lib. Quæst. Vet. & Novi Test. qu. 3. to. 4.

Ad convincendos Ægyptios falsò de Creatore opinantes.

Miracula Moysi credibilem reddebant ejus narrationem.

12 Veritatem Sacræ Scripturæ à Deo inspiratæ, à Sanctis Viris, Divino Spiritu calamum moderante, conscriptæ,

innu-

innumera sunt, quæ suadent. Præsertim ejus materia Deo Authore dignissima, continens Mysteria excedentia quidem captum, sed non repugnantia lumini Naturæ: omnem imaginabilem imperfectionis labem à Summo omnium perfectionum Actu purissimo relegans, & ad eum, ut ad ultimum finem omnia dirigens: humanarumque actionum rectissimas, & inaviabiles regulas præscribens: de futuris à solo Arbitrio pendentibus certissima promens vaticinia, nonnisi Deo notis, cui soli patet humani cordis abyssus, & quo operante, ex prænunciatis plurima fieri tantummodò, potuerunt. Tanta insuper efficacia, & potentia, ut nec fuco superinducto, nec arte lenocinante, ruditer à rudibus promulgata, ad obsequium Fidei totum subegerit Orbem.

Veritas Sacræ Scripturæ ex pluribus manifestatur.

13 Ea de re *S. Junilius* Episcopus Africanus, interroganti Discipulo: Unde probamus, Libros Religionis nostræ Divina esse inspiratione conscriptos? Respondet. [Ex multis: prius est ipsius Scripturæ veritas; deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus loquutionis sine ambitu, puritasque verborum. Additur Conscribentium, & Prædicantium qualitas, quod Divina homines, excelsa viles, infacundi subtilia, nonnisi Divino repleti Spiritu tradidissent. Tum prædicationis virtus, quam, dum prædicaretur, (licèt à paucis despectis) obtinuit. Accedunt his testificatio contrariorum, ut Poëtarum, vel Philosophorum, expulsio adversariorum, utilitas consequentium, exitus eorum, quæ per acceptationes, & figuras, & prædictiones prædicta sunt. Ac postremùm miracula jugiter facta, donec ipsa susciperetur à Gentilibus: De qua hoc nunc ad maximum miraculum sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur.] Et refellens *Augustinus* quamdam Epistolam Magni Alexandri ad Matrem Olympiadem, ait ad finem: [Porrò si hæc epistola Alexandri, quæ maximè innotuit, multùm abhorret in spatiis temporum à probabili fide rerum: quantò minùs credendum est illis Literis, quas plenas fabulosis velùt antiquitatibus proferre voluerunt contra authoritatem novissimorum, Divinorumque Librorum, quæ totum Orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus Orbis, sicùt ab ea prædictum est, credidit: Quæ, vera se narrasse præterita, ex his, quæ futura prænunciavit, cùm tanta veritate implentur, ostendit?]

Lib. 2. de Partib. Div. Legis cap. 29.

Quæ Deum illius probat Authorem.

Lib. 12. de Civit. Dei cap. 10. tom. 5.

Illi universus Orbis fidem præstat.

14 Nec immeritò; utilissimas namque continet cunctis Nationibus profuturas Leges, quæ à solo omnium Authore possent proficisci. Ideo Prætor quidam Sinarum, referen-

Sinarum Prætor illustre reddit de Decalogo testimonium.

te Possevino, cum Decalogum audisset: Divina, inquit, Lex est. Si enim à Rege aliquo condita fuisset, illius tantùm Regni usui foret. At hæc universalis est, omnibusque omnium Regionum hominibus consentanea; ideoque ab Orbis totius Authore est. Quam etiam efficaciam profert *Augustinus*: [Aut quis, nisi tu Deus noster fecisti nobis firmamentum authoritatis super nos de Scriptura tua Divina? Cœlum enim plicabitur, ut Liber, & nunc sicut pellis extenditur super nos. Sublimioris enim authoritatis est tua Divina Scriptura cum jam obierint istam mortem illi Mortales, per quos eam dispensasti nobis. Et tu scis Domine, tu scis quemadmodùm pellibus indueris homines, cum peccato mortales fierent. Unde sicut pellem extendisti Firmamentum Libri tui, concordes utique Sermones tuos, quos per Mortalium ministerium superposuisti nobis . . . . . Neque enim novimus alios Libros ita destruentes superbiam, &c.]

Lib. 9. Bibliot b. apud Ant. à Matre Dei lo. cit.

Illius authoritas, & efficacia.

Lib. 13. Conf. cap. 15.

SECTIO V.

Sacræ Scripturæ studium impendendum.

1 Ratori Sacro ad totum studium Divinis Literis impendendum, satìs, superque esse possent, quæ diximus, incitamento, & plura post sequentia: ad clavum tamen denuò refigendum nos urget plurimorum, & qui audiunt, & qui dicunt, Scripturarum vix non dixerim fastidium. De Auditoribus loquitur *Gregorius*: [Quæ tamen tempora jam nunc inchoasse ingemiscimus, cum multos intra Ecclesiam positos cernimus, qui aut nolunt operari quod intelligunt: aut hoc ipsum quoque Sacrum Eloquium intelligere, ac nosse contemnunt. A Veritate etenim avertentes auditum, ad fabulas convertuntur, dum omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Scripta Dei ubique reperta opponuntur oculis: sed hæc cognoscere homines dedignantur. Penè nullus quærit scire quod credidit.] Verùm cum Divini Eloquii suavitas gustari nequeat, nisi noscatur; nec nosci possit, ubi non ut est in seipsa, sed alterata proponitur: quod animæ nauseent super cibo isto, ut eis videtur, levissimo, in nos culpa refunditur, qui Scripturæ studium negligentes, ejus altissima Mysteria, & Testimonia Domini dulciora super mel, & favum,

Sacræ Scripturæ audiendæ in quibusdam fastidium.

Lib. 19. Mor. cap. 16. fi.

Quod tamen ex Concionatorum oritur negligentia.

favum, sub decore propriæ eorum majestatis proferre non novimus.

2 Monstruosum itaque judicabitur, Rhetorem Christianum totum non esse in Sacris Bibliis legendis, atque relegendis occupatum. Quod Sancto Job Sophar Naamathites
Job cap. 11. dixerat, Concionatori possumus reddere: [Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi, ut ostenderet tibi secreta Sapientiæ, & quod multiplex esset Lex ejus.] Posset enim Dominus secreta sapientiæ interna loquutione homini manifestare, sicut David profitebatur: incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi; sed ordinariè ea vult in Sacris Literis perquiri. Præsertim cum quæ nobis extra Scripturam, & internam revelationem de Deo ex effectibus nosse contingit, imperfectè nimis ipsum ostendunt; ideoque nec congruè Deum, ejusque perfectiones sic cognitas, Auditoribus pro dignitate possumus aperire; neque ejus multiplicem Legem, seu diversa præcepta ad salutem necessaria inculcare, nisi ex Scriptura discamus Legem Domini immaculatam convertentem animas. *Deus occulta Sapientiæ suæ vult in Sacris Scripturis vestigari.*

In cap. 11. Job. Lect. 1. 3 Hinc *D. Thomas*: [Et potest dici, quod Deus simpliciter loquitur homini cum ejus cordi aliquid de sua Sapientia inspirat, secundum illud Psal. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Labia autem sua aperit, cum per alios effectus, hominibus aliquid revelat. Labiis enim formantur voces exteriùs, quibus interiores conceptus cordis exprimimus. Considerandum est autem quòd ab intellectu Divinorum dupliči ratione deficimus. Primò quidem, quia cum invisibilia Dei cognoscere non possimus, nisi per ea, quæ facta sunt, quæ multùm deficiunt à Virtute Factoris, oportet, quod remaneant multa in Factore consideranda, quæ nobis occultantur; & hæc vocantur secreta Sapientiæ Dei, de quibus dixit: ut ostenderet tibi secreta Sapientiæ suæ. Secundò etiam, quia ipsum Creaturarum ordinem ad plenum comprehendere non possumus, secundùm quod à Divina Providentia dispensatur, &c.] Oportet igitur, ut hæc secreta Deus ipse nobis aperiat. Quæ autem apertior Dei loquutio, quàm in Scripturis? Et quid de Deo aptè loquetur qui quæ dicit, à Deo non audivit, quia ejus verba scripta, oculis percurrere, menti recondere negligit? *Quomodo homini loqui dicatur.*

Cap. 58. 4 Nonne sibi impositum, quod dictum est Isaiæ, arbitrabitur Christianus Orator? [Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam & annuncia populo meo scelera eorum, & Domui Jacob peccata eorum.] Rectam convenientiam

Prædicatio Tubæ comparata.

Prædicationis ad Tubam exponit ibi *D. Thomas*: [Nota super illo verbo, quasi tuba exalta. Quia Prædicatio est Tuba. Primò quia excitat ad vitæ statum: 1.Cor.15. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Secundò quia hortatur ab bellum. 2.Cor.14. Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Tertiò quia nunciat viri incessum. Supra 27.clangetur in tubis. Quartò quia vocat ad consilium. Oseæ 8.in gutture tuo sit tuba. Quintò, quia invitat ad festum. Psal. Buccinate in Neomenia tuba.] Nec enim aliter Deus mœnia Jericho, idest peccatorum obduratam resistentiam, dejicere voluit, nisi clangentibus Sacerdotalibus buccinis. Unde *Ambrosius*: [Denique non æratas acies (*Jesus Nave*) in bella produxit, nec ariete, cæterisque tormentorum machinis, sed tubarum septem Sacerdotalium sono, murorum hostilium septa deposuit. Ita bellum immane confecit tubæ clangor, & infula Sacerdotis.] Quænam verò efficacia Tubæ Apostolicæ, nisi de Spiritu Sancto, qui Prædicatoribus Veritatis per Sacram Scripturam insufflat, eos induit virtute ex alto, datque Evangelizantibus verbum virtute multa?

In Isa. cap. 58.

Jericho Sacerdotalibus tubis excisa.

Lib. 5. de Fide cap. 5.

Concionatoris Symbola.

5 Accedit observatio *D. Thomæ*, à quo Concionator comparatur Militi, Agricolæ, Pastori, Bovi, Aratori, Trituratori, Seminatori, & Architecto Templi. Sed nec Miles sine armis lucis, quæ in Scripturis fabricantur. Nec Agricola, nisi Sacrarum Literarum instrumento vineam Domini Sabaoth spinis purget. Nec Pastor, nisi ovibus veræ Doctrinæ pascua proponat. Nec Bos, nisi ad utrumque paratus, & ut jugum laboris perferat instruendo, & meditando in mandatis Domini se offerat in holocaustum. Nec Arator, nisi Dei verbo exacuat vomerem sermonis. Nec Triturator, nisi priùs ipse ruminet quæ contemplatus est. Nec Seminator, nisi ex Evangelio semen bonum spargat. Nec Architectus, nisi limpidissimis lapidibus, & quadratis, quales è Scripturis eruuntur, ædificium erigat salutis. Nisi denique à Deo discat, quod populum doceat.

In 1. ad Cor. 9. Lect. 1. med.

Negligens Sacræ Scripturæ studiū.

6 Sanè unam vel alteram Bibliorum paginam oculis percurrere, fastidientis Lectoris est; & nihilominùs nimiùm à Nobis exigi existimabit, qui repertâ sententiâ, vel historiâ expetitâ, Biblia damnat ad pulverem, tinearumque labori seponit. Cum tamen in omnibus Libris, cunctisque in eisdem contentis, tanta assiduitate perlegendis, meditandisque, replicata lectione, impendenda Concionatoris opera sit: ut ditissimam hanc, verèque inexhauribilem Cœlestium Depositi-

positorum Gazam scrutetur: altitudinem divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei commendabili aviditate, & audenti reverentiâ diripiat: manè rapiens prædam, idest priùs in seipso ditescens, & ad vesperam, idest opportuno post tempore, proximis dividens, dispertire non renuens, quod dum aliis erogat, sibi non subtrahit. Dicit enim *Augustinus*: [Unusquisque Sancti Evangelii Concionator usqueadeò abundantissimus, & doctrinâ dives in prædicatione sua esse debet, quod similis sit Viro illi sapienti, de quo Redemptor noster Matth. cap. 13. asserit, de thesauro suo nova, & vetera produxisse.]

Avidè illam legat.

Lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 1.

Ut doctrinâ abundet.

7 Quod Sanctus Pater validiùs firmat humanæ sagacitatis exemplo in perituris terrarum divitiis aggerendis: [Si enim Negociatoribus non sufficit, de una tantùm merce lucra conquirere; sed plures merces comparant, quibus substantias suas augeant. Et Agricolæ diversa genera seminum conantur serere, unde sufficienter sibi, & suis cibum valeant præparare. Quantò magìs in spiritualibus lucris, non vobis debet sufficere, quod in Ecclesia Lectiones Divinas audiatis, sed in domibus, & in conviviis vestris, & quando dies breves sunt, etiam aliquot horis in noctibus, Lectioni Divinæ debetis insistere, ut in horreo cordis vestri spirituale possitis triticum comparare: & in thesauris animarum vestrarum, Scripturarum margaritas recondere?] Eunuchus equidem ille Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes Gazas ejus, thesaurum longè pretiosiorem in Sacro Bibliorum Codice nactus, etiam in curru sedens, ad propria è Jerosolymitani Templi veneratione revertens, adeò in Isaia legendo oculis hærebat, animisque defixus, ut de eo dixerit *Tertullianus*: [Spado, & ipse inventus est non otiosus, nec qui subitò tingi concupisceret, sed ad Templum orandi gratiâ profectus, *Scripturæ Divinæ* * *impressus*, sìc oportebat deprehendi, cui ultrò Deus Apostolum miserat.]

Ser. 56. ad Frat. in Herem. to. 10.

Nec terreno cedat Negotiatori, sæpiùs Divinæ Sapientiæ divitias perquirens.

Eunuchus Candacis etiam curru vectus Sacra Biblia legebat.

Lib. de Baptis. cap. 12.

* *Emphasis in verbo.*

8 Adigitur ultrà ad continuum totius Scripturæ studium Concionator ratione inducta à *Gregorio*. Eo quod nonnunquàm diversis in locis opposita enunciari videntur: repugnantia tamen eorum ex alia authoritate alterius Libri resolvitur. Ideoque nonnisi cognitione, & attenta lectione totius Scripturæ (cujus saltem peregrina quædam, & à communioribus factis remota, sicut, & sententiæ singularis animadversionis haud facilè memoriâ excidunt) implicatio apparens poterit enodari. Idque apto exemplo S. Pontifex declarat: [Quæ nimirum Veritatis intelligentia,

Lib. 4. Mor. cap. 1.

Loca Scripturæ quandoque sibi apparentèr opposita.

cum

cum per cordis humilitatem quæritur, *assiduitate legendi penetratur*. Sicut enim ignotorum hominum facies cernimus, & corda nescimus: sed si familiari eis loquutione conjungimur, usu colloquii, eorum etiam cogitationes indagamus. Ita cum in Sacro Eloquio sola Historia aspicitur, nihil aliud quàm facies videtur: Sed si huic *assiduo usu* conjungimur, *ejus nimirùm mentem*, quasi ex colloquutionis familiaritate penetramus.]

Assiduo studio intelligitur.

9 Omnium itaque Scripturæ Voluminum comparata notitia, Incircumscriptæ Divinæ Mentis consilia in Bibliis occultata humilis fidelisque Lectoris captui accomodat: ut si non pervia; (quis enim cognovit sensum Domini?) saltem reddat accessibilia. Imò Cor Dei, quod Scripturæ Spiritus, & vita est, aperit, & exponit, dicente eodem *Gregorio*: [Stude ergo quæso, & quotidiè Creatoris tui verba meditare. Disce Cor Dei in verbis Dei, ut ardentiùs ad æterna suspires, ut mens vestra ad æterna gaudia majoribus desideriis accendatur.] Nil igitur mirum, si qui his Libris affecti sunt, dicere cum Apostolo queant: nostra conversatio in Cœlis est; Cœlum namque pro Sacra Scriptura accipi nos docuit adductus suprà *Gregorius*. Nec ad tantæ celsitudinis Cœlum homines ferri possunt, nisi per nubes, ideſt per Prædicatores, qui sublimes adeò Cœlos ad terram inclinant, occultas Veritates exponendo, & terrenos ad Cœlum levant, dum eorum tarda erudiunt ingenia, ut arcana tàm grandia capiant.

In Scriptura Cor Dei.

Lib. 4. Epist. 40.

Cœlo comparata.

Ad quod ducit Prædicatores.

10 Comparatione eadem utitur *Augustinus* in illud: ponis nubem ascensum tuum: [Habes nubem ascensum Cœli hujus, ideſt Divinarum Scripturarum. Quid est hoc Fratres? Utinam me Dominus Deus meus inter illas qualescumque Nubes numerare dignetur; viderit quàm nebulosa Nubes sim. Omnes tamen Prædicatores verbi Veritatis, Nubes accipi possunt. Quicumque ergò infirmi non possunt ascendere in hoc Cœlum; ideſt ad intellectum Scripturarum, per Nubes ascendant. . . . . . Quàm altum erat Cœlum in Psalmo isto? Nemo enim vestrûm videbat quod erat in figura. Extendit Cœlum sicut pellem, qui protegit in aquis superiora ejus: hoc ipsum, quod dictum est: qui ponit nubem ascensum ejus. Ecce jam intellectum est, quantùm Dominus donavit prædicantibus Nobis; non enim nubes de suo munere pluunt.] Quoniam igitur, *si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent*: & Concionatores, nisi Justitias Dei, videlicèt Legem, docti fuerint, ad Justitiam

Significati per Nubes.

Enarr. in Psal. 103. tom. 8.

Eccle. cap. 11.

tiam non erudient plurimos, nec fulgebunt sicut Stellæ in perpetuas æternitates: perpendant qui non totâ diligentiâ, & assiduitate Divinis Literis incumbunt, quanto se committant discrimini, dum per os suum Testamentum Dei assumunt; & tamen Sapientiæ in altissimis habitantis, sed inter humiles Sacrorum Bibliorum Libros diversantis, & parvulos, magnosque ad se invitantis, intimos sensus, arcana profunda vestigare non norunt: Quinimò in Sæcularium Authorum lectione, importunæ curiositatis stimulo vellicante, senes elementarii veterascunt. Illos terreat *Hieronymi* rugitus: [Quos, omissis Evangeliis, & Prophætis, videmus Comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium; & id, quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.]

Epist. 146. ad Damas.

Prophanis Libris operam dantes arguuntur.

CAPUT IV.

De Sacræ Scripturæ Persistentia, Translationibus, Testamentorum differentia.

SECTIO I.

Sacræ Scripturæ Persistentia.

1 Aximè Æterni Numinis Providentia suspicienda est, quæ Sacram Scripturam, Ecclesiæ suæ munimentum inexpugnabile contra innumeros omni Ævo ingruentes errores, & per quam Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam, illæsam semper, (proùt saluti omnium præscierat consulturam) servavit. Primò quidem Vetus Testamentum in ipsa Arca Fœderis, summâ Levitici Ordinis vigilantiâ. Inde cum Moyses omnia à Deo audita, & Populo proposita in Tabulas redegisset, ad latus Arcæ condenda præcepit, potestate nonnisi Sacerdotibus facta tangendi, ea tantùm occasione, ut ad improperandam Hebræis pervicaciam, in eorum auribus legerentur. [Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in Volumine, atque

Vetus Testamētum Dei Providentiâ servatum.

Deuter. cap. 31.

atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant Arcam Fœderis Domini, dicens: tollite Librum illum, & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. Ego enim scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam. Adhùc vivente me, & ingrediente vobiscùm, semper contentiosè egistis contra Dominum, quantò magìs cum mortuus fuero?]

2 Moysi autem in Populi Ducatu Jesus Nave suffectus, nedùm jussionem implevit, verba Legis multitudine coràm legens; verùm, & lapideis tabulis impressit *Deuteronomium*, idest secundariam Legem, non quod alia esset ab ea, quæ in Monte Sina data est, sed quod denuò repetita fuerit, novo pacto per ministerium Moysi coram jis, qui priorem in Monte Sinai non perceperant. Idem proinde fuit, ac Librum anteà scriptum, exactè transcribere, velùt transumptum lapidibus insculpendo. Hìnc de Josve dicitur: [Et scripsit super lapides Deuteronomium Legis Moysi, quod ille digesserat coràm Filiis Israël . . . . Post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ scripta erant in Legis volumine. Nihil ex his, quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coràm omni multitudine Israël.]

Deuteronomiū quid significet.

Josve cap. 8.

3 Non inhibitum erat, ex Legis archetypo Libro plura scribi transumpta, ut Proceribus saltem essent ad manus; obligati enim ad plebem erudiendam, conveniens erat, ut die, nocteque in Lege Domini meditarentur. Nam de Legalibus Præceptis, ac Cæremoniis Deus Populo jussit: Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea Filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & in ostiis domûs tuæ.] Et de integro Legis Libro per Sacerdotes transcribendo, ac futuris quandoque Gentis Judaicæ Regibus exhibendo, Moyses præmandavit: [Postquàm autem sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribûs, & habebit secùm, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & Cæremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt.]

Plura ex Legis Exemplari transumpta.

Deuter. cap. 6.

Deuter. cap. 17.

4 Quod autem de Pentateucho dicitur, de aliis universìm Canonicis Scripturis antiqui Testamenti intelligendum

est:

est: nempè in abditiore Templi loco, ac propè Arcam, ad quam cuicumque prohibebatur accessus, diligentissimè custoditas fuisse, nè procùl quidem prophanis manibus in eas audentibus; ex quibus plurimi fuere exscripti Codices; ita ut adhùc illis deperditis, alia Exemplaria superessent. Quamvìs authographa illa admodùm verisimile est singulari Dei Providentia non perijsse. Si enim Arcam è Philistinorum finibus reductam ubi aspexerunt Bethsamitæ, quinquaginta millium de plebe, & septuaginta Majorum morte, curiositatis pœnas dederunt: eamque triumphali pompâ à domo Abinadab asportatam, ut inferretur in Civitatem David, extenso brachio, eoquod boves calcitrarent, substinens Oza Sacerdos, percutiente Domino cecidit: quis non trepidaret hostilem manum contra Arcam extendere, nè dicam Templi adita perrumpere, ut Sacros Libros vel suffuraretur, vel pessundaret?

Libri Veteris Testamenti diligenter servati.

1. Reg. cap. 6.

2. Reg. cap. 6.

5 An verò in direptione Hierosolymorum à Chaldæis facta, Templum, Templique Oracula, proindeque Divinorum Voluminum originalia eodem igne fuerint absumpta, vel aliò asportata, & occulto Dei judicio à Barbaris excisa, ut plures ex Catholicis censent, non hìc assumimus disputandum, aliis stantibus ex adverso. Dici nihilominùs verosimili propiùs potest, saltem unum illum Codicem in Arca, ut moris erat, servatum: aut alios extantes penès particulares Personas, præsertìm Sacerdotes, & Judices, non communi jacturæ fuisse subjectos. Quos à Nehemia Esdræ coætaneo reparatos, Sacræ Paginæ testantur: [Inferebantur autem in Descriptionibus, & Commentariis Nehemiæ hæc eadem: & ut construens Bibliorum, congregavit de Regionibus Libros, & Prophætarum, & David, & Epistolas Regum, & de Donariis.]

A Chaldæis deperditi.

Deuter. cap. 31.

Lib. 2. Mach. cap. 2.

Priùs tamen à Nehemia comparati.

6 Reversis porrò de prædura captivitate Judæis, ipsamet Sacra Biblia, fideliter ab Esdra Sacerdote, præ omnibus Sacras Literas callente, & usque ad apicem memoriâ retinente, restituta in integrum fuisse, plurium Patrum authoritate docemur; præterquamquod innuitur in eisdem Sacris Paginis, ubi habetur: [Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse Scriba velox in Lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israël...... Esdras autem paravit cor suum, ut investigaret Legem Domini, & faceret, & doceret in Israël Præceptum, & Judicium.] Et rursus: [Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem coràm multitudine Virorum, & Mulierum, cunctisque, qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi.

1. Esdræ cap. 7.

Inde ab Esdra restituti.

2. Esdræ cap. 8.

ptimi. Et legit in eo apertè in platea, quæ erat ante portam aquarum de mane usque ad mediam diem in conspectu Virorum, & Mulierum, & Sapientium, & aures omnis Populi erant erectæ ad Librum.]

7 Exinde *Athanasius*: [Cum Libri Sacri per incuriam Populi, ac diuturnam captivitatem perjissent: cum ipse Vir esset justus, & Lector, apud se omnes custodivit, & tandem protulit, omnibusque tradidit.] Et ad idem *Chrysostomus*. [Et attendite, ut discatis antiquitùs Dei in nos misericordiam. Inspiravit Moysi, & Tabulas lapideas scripsit: detinuit eum quadraginta diebus in monte, & iterùm totidem, ut daret illi Legem. Post hæc autem Prophætas misit, qui innumera mala passi sunt. Irruit bellum quosvis sústulit, & trucidavit: incensi sunt Libri. Inspiravit iterùm alii Viro, ut mirabiles illas Scripturas repararet, Esdram dico, & ex reliquiis illarum componere fecit.]

In Synopsi.

Dei Providentia in Sacris Bibliis servandis.

To. 4. Hom. 8. in Epist. ad Hebr.

8 Meminit quoque ejusdem *Tertullianus* loquens de Scriptis Henoch, quæ per Noë reparari potuisse probat: [Hoc si non tàm expeditè haberet, illud quoque assertionem Scripturæ illius tueretur. Proinde potuit abolefactam eam violentiâ cataclysmi, in spiritu rursùs reformare, quemadmodum Jerosolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne Instrumentum Judaicæ Literaturæ per Esdram constat restauratum.] Ad quem locum Jacobus Pamelius observat: [Similiter Irenæus: In ea, inquit, captivitate Populi, quæ facta est à Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, & post septuaginta annos Judæis descendentibus in Regionem suam: & post deinde temporibus Artaxersis Persarum Regis, inspiravit Deus Esdræ Sacerdoti Tribûs Levi præteritorum Prophætarum omnes rememorare Sermones, & restituere Populo eam Legem, quæ data esset per Moysen. Hinc etiam B. Hieronymus: Esdram restauratorem Pentateuchi nuncupat. Et alibi scribit, quod Scripturas Sacras jam dispersas, eodem Spiritu, quo ante scripta erant, restituit. Eòdem pertinet illud B. Isidori: Hebræi, inquit, Vetus Testamentum, Esdra authore, juxtà numerum Literarum Sacrarum, in viginti duos Libros accipiunt, dividentes eos in tres ordines, Legis scilicèt, Prophætarum, & Agiographorum, &c.]

Lib. de Habitu Mul. cap. 3.

Lib. 3. adver. Hæres. cap. 25.

Lib. adver. Helvid.

Lib. 6. Etymol. cap. 1.

9 Sed quam fortasse Sacris Scripturis irreverentiam non intulere Gentiles, infrunita fronte irrogarunt Hæretici, earum Libros vel respuentes, vel mutilantes, præsertìm plurimis in Novo Testamento obliteratis. Cujus sceleris Marcionem arguit *Tertullianus*: [His, opinor, consiliis, tot

Hæretici Canonicis Libris injurii, plura in eis obliterantes.

Lib. de Carne Christi cap. 2.

Ori-

Originalia Instrumenta Christi delere Marcion ausus est, ne caro ejus probaretur.] Et infrà eamdem temeritatem omnibus Hæreticis tribuit: [Licèt propterea abstulerint Hæreses ista de Evangelio, quod, & creditum Patrem ejus Joseph fabrum, & Matrem Mariam, & Fratres, & Sorores ejus optimè notos sibi esse dicebant, qui mirabantur doctrinam ejus.] Quod sæpiùs repetit, ut advertit Pamelius.

Ibid. cap. 7. — De Evangelio tollentes.

Annot. ad eum Lib. nu. 18. & 66.

10 Epistolis etiam Pauli nonnulla Hæreticos detraxisse, aut immutasse idem author est *Tertullianus*: [Tantum Veritati obstrepit adulter sensus, quantum, & *corruptor stylus*: variæ præsumptiones: necessariò nolunt agnoscere ea, per quæ revincuntur: his nituntur, quæ *ex falso composuerunt*.] Et loquens de Lucano Marcionis asseclâ: [Hic carnis resurrectionem negat, solo utitur, & Apostolo, sed *Marcionis, idest non* toto.] Ipsius enim Epistolas Marcion in multis mutilaverat. Ideoque loquens de Epistola Pauli ad Philemonem, à qua nihil Marcion abstulerat, feriò ludit: [Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet.] Insuper *Ambrosius* notat, Arrianos de Evangelio abolevisse ea verba: quoniam Deus Spiritus est: [Quem locum ita expressè Arriani testificamini esse de Spiritu, ut eum de vestris Codicibus auferatis; atque utinàm de vestris,& non etiam de Ecclesiæ Codicibus tolleretis. Eo enim tempore, quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem Ecclesiam armis, exercituque occupaverat, vel à Valente, atque Ursacio,nutantibus Sacerdotibus suis,incursabatur Ecclesia Sirmiensis, falsum hoc, & sacrilegum simulacrum tamen in Ecclesiasticis Codicibus deprehensum est. Et fortassè hoc etiam in Oriente fecistis: & Literas quidem potuistis abolere, sed Fidem non potuistis auferre.]

Lib. de Præscriptio. cap. 17. — De Epistolis Pauli.

Ibid. cap. 51.

Lib. 5. Cont. Marc. cap. ult.

Lib. 3. de Spir. San. cap. 11.

11 Concors nihilominùs Patrum, & Expositorum sententia, plures Scripturas Canonicas ex integro periisse demonstrat. Præsertim *Athanasius* hæc fatus: [Qui Nathan, Addo, Ahiæ Silonitæ, Semei, & Jehu in Libro Regum Libri esse scribuntur, non habentur. Prophætæ verò, qui quæ prophætaverunt scriptis quidem mandaverunt, sed non inveniuntur, hi sunt: Psalmorum Davidis trium millium numerum fuisse in Paralipomenis scribitur; è quibus tamen centum quinquaginta tantùm ab amicis Ezechiæ Regis selecti; reliqui verò absconditi sunt. Quinque millia Parœmiarum à Salomone edita esse Scriptura in Paralipomenis tradit: nunc verò non sunt, nisi Ecclesiasticæ illæ, & Canticum Canticorum ex pluribus, quæ mysticæ sunt, selectas esse,

Synops. Div. Scriptu. ad Oper. calcem. — Plures Canonici Libri periere. — Plura David Cantica. — Salomonis Parabolæ.

esse, scriptum est. Quin, & quinque millia Canticorum Salomonis fuerunt. Et loquutus est de arboribus à Cedro, quæ in Libano est, ad hysopum usque, quæ in muro nascitur. Locutus est etiam de jumentis, de volucribus, de reptilibus, & de piscibus: & hæc tamen nusquàm in Hebraicis Literis reperiuntur. Josephus, Prophætam Ezechielem duos Prophætiæ Libros scripsisse narrat: nos verò jam unum dumtaxàt inveniri scimus. Itaque hæc omnia per impiorum Judæorum amentiam, & incuriam interiisse manifestum est.]

Ezechielis Prophætia altera.

12 De celebri autem Scriptura Henoch aliqua hìc non dissimulanda censemus. Et *Tertullianus* quidem, non modò authoritates quasdam ex illa desumpsit: [Antecesserat enim hoc prædicens Henoch, omnia Elementa, omnem mundi sensum, quæ Cœlo, quæ mari, quæ terrâ continentur, in Idololatriam versuros Dæmonas, & Spiritus desertorum Angelorum, ut pro Deo adversùs Dominum consecrarentur.] Et loquens de Gentilium superstitiosa collocatione Lucernarum præ foribus domorum: [Hæc igitur ab initio prævidens Spiritus Sanctus, etiam ostia in superstitionem ventura præcecinit per antiquissimum Prophætam Henoch. . . . . Denique idem Henoch, simul, & cultores Idoli, & fabricatores in comminatione prædamnat. Et rursùs: juro vobis peccatores, quod in diem sanguinis perditionis pœnitentia parata est: qui servitis lapidibus, & qui Imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & lapideas, & fictiles, & servitis Phantasmatibus, & Dæmoniis, & Spiritibus infamibus, & omnibus erroribus non secundùm scientiam, nullum ab jis invenietis auxilium.]

Scriptura Henoch.

Lib. de Idolol. cap. 4.

Ibid. cap. 15.

13 Verumetiàm hujusmodi Scripturam adversùs inficiantes apertè tuetur. [Scio, Scripturam Henoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibusdam: quia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam, ante cataclysmum editam, post eum casum Orbis omnium rerum abolitorem salvam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur, Pronepotem ipsius Henoch fuisse superstitem cataclysmi, Noë, qui utique domestico nomine, & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de Proavi sui penès Deum gratia, & de omnibus prædicatis ejus: Cum Henoch Filio Matusalæ nihil aliud mandaverit, quàm, ut notitiam eorum Posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse: vel quia, & aliàs non tacuisset tàm de Dei Conservatoris sui dispositione, quàm de ipsa Domûs suæ gloria . . . . . . Sed cum Henoch

Quam verè extitisse censet Tertullianus.

Lib. de Habitu Mulieb. cap. 3.

Henoch eadem Scriptura etiam de Domino prædicavit, à Nobis quidem nihil omninò rejiciendum est, quod pertinet ad Nos. Et legimus, omnem Scripturam ædificationi habilem divinitùs inspirari, à Judæis posteà jam videri propterea rejectam, sicut; & cætera ferè, quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperunt de eo loquutas, quem & ipsum coràm loquentem non erant recepturi. Eò accedit quod Henoch apud Judam Apostolum testimonium possidet.]

14 Quanti rursùs hanc Scripturam Henoch fecerint Irenæus, Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Athenagoras Tertulliano antiquiores, Methodius Martyr, Cyprianus, Lactantius, Severus Sulpitius, aliique; sicut quo modo de ea dubitent Hieronymus, Chrysostomus, Epiphanius, consule Pamelium in Adnotationibus ad nuper citatum locum Tertulliani. *Augustinus* autem illam fuisse non negat, sed cur in Judaico Canone relata non fuerit, rationem assignat: [Scripsisse quidem nonnulla Divina Henoch illum septimum ad Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat. Sed non frustrà non sunt in eo Canone Scripturarum, qui servabatur in Templo Hebræi Populi succedentium diligentiâ Sacerdotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem, suspectæ fidei judicata sunt: nec utrùm hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri, nùm talibus proferentibus, qui eam per seriem successionis reperirentur ritè servasse?]

Illi attestantur SS. Patres.

Num. 30.

Lib. 15. de Civita. Dei cap. 23.

Cur in Hæbræo Canone non apposita.

15 Et de eisdem Scriptis agens, generaliter de aliis in seriem non digestis, nec custoditis, sententiam profert: [Quorum Scripta ut apud Judæos, & apud Nos in authoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam, & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim quod volunt credunt. Sed ea castitas Canonis non recipit: non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur authoritas: sed quòd ista esse non credantur ipsorum. Nec mirum debet videri, quod suspecta habeantur, quæ sub tantæ antiquitatis nomine proferuntur. Quandoquidem in ipsa Historia Regum Juda, & Regum Israël, quæ res gestas continet, de quibus eidem Scripturæ Canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in Libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophætæ scripserunt, & alicubi eorum quoque Prophætarum nomina non tacentur; nec tamen

Lib. 18. de Civit. cap. 38.

Sicut nec alii, quæ nùnc censentur apocrypha, eo quod dubium est an omnia à Canonicis Scriptoribus prodierint.

men

men inveniuntur in Canone, quem Populus Dei recepit: Cujus rei, fateor, causa me latet: nisi quod ego existimo, etiam ipsos, quibus ea, quæ in authoritate Religionis esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat: alia, sicùt homines, historicâ diligentiâ: alia, sicut Prophætas, inspiratione Divina, scribere potuisse. Atque hæc ita fuisse distincta, ut illa, tanquàm ipsis, ista verò tanquàm Deo per ipsos loquenti judicarentur esse tribuenda: ac sìc illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad Religionis authoritatem.]

SECTIO II.

Quo idiomate Vetus Testamentum sit conscriptum.

1 Oquendo autem de Scripturarum Volumine, quarum per Librorum seriem in Concilio Tridentino digestus fuit Elenchus; Vetus Testamentum Hebraicâ Linguâ scriptum pro certo habetur; non tamen quoad omnes ejus partes. Nam *Hieronymus* in Prologo Galeato ait: [Machabæorum primum Librum Hebraicum reperi, secundus Græcus est: quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.] Et transferens Librum Job, ait: [Hæc autem translatio nullum de veteribus sequitur Interpretem: sed ex ipso Hebraico, Arabicoque Sermone, & interdùm Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simùl utrumque resonabit.] Liber quoque Tobiæ Chaldaico Sermone, ut testatur *Hieronymus*, scriptus primò fuit, Hebræo admodùm affini. [Exigitis enim, ut Librum Chaldæo Sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham, Librum utique Tobiæ, quem Hebræi de Cathalogo Divinarum Scripturarum secantes, his quæ Agiographa memorant, manciparunt....... Et quia vicina est Chaldæorum Lingua Sermoni Hebraico, utriusque Linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui, &c.]

(Vetus Testamentum Hebraicè scriptum.)

(Aliqua pars Arabicè.)

(Aliqua Chaldaicè, aliqua Græcè.)

(*P. [illegible] in Lib. Job.*)

(*Pref. in Lib. Tob.*)

2 Libros insuper Danielis, Esdræ, Nehemiæ, Judith, Chaldaico Sermone conscripta asseruntur à Patribus. Redux enim ex Babylonica captivitate, non Hebraicâ purâ Israël, sed Chaldaica Linguâ usus est, usque ad Imperium Alexandri: sub cujus Monarchia, Nobiliores Græcâ, Vulgus

(*Apud Gravinam To. 2. lib. 4. contr. 1.*)

gus Græco-Chaldaicâ loquelâ utebatur. Inde orta diversitas scriptionis, ut Libri Sacri ad Hebræos sub noto, & familiari Idiomate pervenirent. Cæterùm reliqua Sacrorum Bibliorum Hebraicè scribi congruentissimum fuit: ut ad unius cultum Religionis, unitas conduceret Linguæ: cum idem Dei verbum traditum per Patriarcharum successiones, scriptum exprimeretur per Scriptores Canonicos: eademque Linguâ Populus sibi, & Deus Populo loqueretur. Quare *Augustinus*: [Cùm enim legitur, unam fuisse Linguam primitùs omnium, & ante omnes Filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quintus oriatur: & Hebræa vocatur Lingua, quam Patriarcharum, & Prophætarum non solùm in Sermonibus suis, verumetiàm in Literis Sacris custodivit authoritas.]

Major Veteris Testamenti portio cur Hebraicè conscripta.

Lib. 16. de Civit. Dei cap. 11.

3 Hebrææ denominationem Lingua ista ab Heber filio Sale, & Pronepote Noë sortita est: Non quòd ab eo originem duxerit, sed in ejus Familia, divisis cæteris, remanserit. Nam eâ loquutus est Adam, Posterique Orbe toto ante Babelicam confusionem, ut communi omnibus Idiomate. Propterquod dicitur; *Erat autem Terra labii unius, & Sermonum eorumdem*. Hinc *Augustinus* loquens de Heber: [Quia ergo in ejùs Familia remansit hæc Lingua, divisis per alias Linguas cæteris Gentibus: quæ Lingua priùs Humano Generi non immeritò creditur fuisse communis; ideo deinceps Hebræa est nuncupata: Tunc enim opus erat, eam distingui ab aliis Linguis nomine proprio, sicùt aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud, quàm Humana Lingua, vel Humana Loquutio vocabatur, qua sola universum Genus Humanum loquebatur.]

Hebraica Lingua, à quo sic denominata.

Genes. cap. 11.

Lib. 16. de Civit. Dei cap. 11.

4 Notam porrò Linguarum divisionem non opus est hìc afferre. Nec tamen dissimulanda verba *Ambrosii*: [Jam verò procurrente Humanæ propagationis augumento, cum ipsa Mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundùm elationis suæ altitudinem, Cœlo cuperet molem immodicæ instructionis inserere: quàm mirabilis ergà cohibendam hanc insolentiam fuit Divinæ censura Justitiæ? Quæ unam illorum Populorum Loquelam, notis sibi invicem significationibus consonantem, septuaginta, & duarum Linguarum varietate confudit: ut, & inter dissonas voces Operantium pereunte concordia, insanæ molitionis machina solveretur: & habitando Orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio.]

Lib. 2. de Vocat. Gen. cap. 4.

Linguarum confusio, & divisio.

5 Ex

5 Ex eo autem, quod Sacra hæc Lingua confusionem passa non fuerit, nedùm colligitur, quod communitèr sentiunt Dogmatici, eâ loquutum ordinariè Redemptorem, cum Verbum Caro factum, nostris verbis non dedignatum est uti; & loquuturos Beatos, quando Mortale hoc induerit immortalitatem, & absorpta fuerit Mors in victoria: sed etiam infert *Augustinus* Familiæ Heber, (in qua remansit) innocentiam, superbiæ reliquarum Gentium minimè participantem, & ait: [Profectò itaque cum quæritur, in divisione Linguarum ubi Lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis: quæ sine ulla dubitatione ubi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione Linguarum, quid aliud occurrit, nisi quod in ejus Gente remanserit, à cujus Nomine Nomen accepit? Et hoc justitiæ Gentis hujus non parvum apparuisse vestigium, quòd cum aliæ Gentes plecterentur mutatione Linguarum, ad istam non pervenit tale supplicium.]

D. Th. 3. q. 176. a. 1. ad 3.

Familia Heber innocens à culpa ædificantium Turrim Babel, primum Idioma retinuit.

Lib. 16 de Civ. cap. 11.

SECTIO III.

De Sacræ Scripturæ Translationibus.

1 HAc itaque Sacrâ, & ab ipsa Mundi conditione Divinis laudibus dedicatâ Linguâ conscriptum Vetus Testamentum, varias subiit Versiones. De quo nonnisi integrum erit *Athanasium* legere testantem: [Prima Versio est LXXII. Interpretum. Hi cum Hebræi essent, elegerunt ex unaquaque Tribu sex Viros, qui Divinam Scripturam sub Ptolemæo Philadelpho, ducentis triginta annis ante Incarnationem Domini Nostri Jesu Christi, interpretati sunt. Altera est Aquilæ, qui cum Synopæ Ponti ortus, & Græcus esset, Jerosolymis baptizatus est. Postea verò reprobato Christianismo, Judæis se se conjunxit, & Divinam Scripturam, perversa ratione, sub Hadriano Rege, trecentis triginta post LXX. Versionem, annis, intepretatus est. Tertia est Symmachi: Hic cum Samaritanus esset, nec Populo suo acceptus propter ambitionis morbum haberetur, ad Judæos se recepit, ac secundò circumcisus est: & ut Samaritanos subverteret, vertit, & ipse Divinas Literas sub Severo Rege, annis, post Versionem Aquilæ, quinquaginta sex. Quarta Theodotionis Ephesii est:

Translatio LXXII. Interpretum.

In Synop. Sacræ Scripturæ.

Et alia aliorum.

est: Hic cum primùm Hæresi Marcionis Pontici favisset, postea Affectatoribus hæresis illius succensens, & ipse Sacram Scripturam sub Commodo Rege, eo ipso tempore, quo Symmachus, ad subversionem prædictæ Hæresis interpretatus est. Quinta Interpretatio cum abscondita fuisset, Pithis inventa est, & sub Antonino Rege Caracalla dicto, in Jericho à quodam ex illis, qui Jerosolymis pietati vacaverant, conflata. Sexta, & ipsa Pithis inventa, antea sub Alexandro Mammeæ Filio, Nicopoli Septemtrionali à quodam Origenis familiari composita. Septima, & postrema Sancti Luciani magni Religiosi, & Martyris est, qui, & ipse, cum in prædictas Versiones, & Hebraicos Libros incidisset, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel superflua aderant, inspexisset, ac suis quæque locis correxisset, Versionem hanc Christianis Fratribus edidit: quæ sanè post ipsius certamen, & martyrium, quod sub Diocletiano, & Maximiano Tyrannis sustinuit, Libro videlicèt propria ipsius manu scripto comprehensa, Nicomediæ sub Constantino Rege Magno, apud Judæos in pariete armarii calce circumlito, quæ custodiæ gratiâ posita fuerat, inventa est.]

Prol. in Job. 2 Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis meminit cum improbatione *Hieronymus*: [Quod si apud Græcos, post LXX. editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus, ac Theodotió Judaizantes Hæretici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris, subdolâ interpretatione cælarunt, & tamen in ἐξαπλοῖς habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis Viris: quantò magis ego Christianus, & de Parentibus Christianis natus, & vexillum Crucis in mea fronte portans, (cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Ecclesiæ puro, & fideli aperire sermone) vel à fastidiosis, vel à malignis Lectoribus non debeo reprobari?]

Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis à Hieronymo improbata.

3 Sed verò LXX. Versionem communi calculo Sanctorum Patrum probatam nullus ibit inficias, præsertìm cum eâ usi sint iidem ante, & nonnulli etiam post Hieronymum. Nam Sancti Spiritûs, ut creditur, opitulatione prodigiosum, & viribns propriis impar aggressi Opus, unanimi sensu, nec in apice quidem diversi, utriusque Linguæ, alterius à natura, alterius à studio peritissimi, ex Hebraico Idiomate in Græcum Sermonem Sacra Biblia Veteris Testamenti transtulere. Imò si quid aliter in Hebræis authographis, aliter in apographis Græcis habetur; hoc ipsum, quod quædam mutaverint, speciali Spiritûs motioni attribuit *Augustinus*:

Translatio LXX. celebris apud SS. Patres.

 [Quam-

De ea Augustini testimonium.

[Quamobrem etiamsi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus invenitur, quàm isti posuerint, cedendum est arbitror Divinæ dispensationi, quæ per eos facta est: ut Libri, quos Gens Judæa cæteris Populis vel Religione, vel invidiâ prodere nolebat; crediturus per Dominum Gentibus, ministrâ Ptolemæi potestate, tantò ante proderentur. Itaque fieri potest, ut sic illi interpretati sint, quemadmodùm congruere Gentibus, ille, qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat, Spiritus Sanctus judicavit.]

Lib. 2. Doctr. Chr. cap. 15.

4 Quod repetens S. Pater, clarè indicat, Translationem illam à Spiritu Sancto directam: [Meritò enim creduntur Septuaginta Interpretes accepisse Prophæticum Spiritum, ut si quid ejus authoritate mutarent, atque aliter, quàm erat quod interpretabantur, dicerent, neque hoc Divinitùs esse dictum dubitaretur.] Et infrà idem argumentum resumens, ait: [Spiritus enim, qui in Prophætis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat in Septuaginta Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profectò authoritate Divina, & illud dicere potuit, tanquam Prophæta ille utrumque dixisset: quia utrumque idem Spiritus diceret, & hocipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus benè intelligentibus dilucesceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam, ut hinc ostenderetur, non humanam fuisse in illo Opere servitutem, quam verbis debebat Interpres, sed Divinam potiùs potestatem, quæ mentem replebat, & regebat Interpretis. &c.]

Lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. n. 5.

Lib. 18. de Civ. cap. 43.

Propter specialem Spiritûs gratiam in eis elucentem.

5 Quid autem de ea *Hieronymus* senserit, diffinire haud facile est. Certè aliquandò protestatur, LXX. in multis erasse, adeoque Sancto Spiritui neutiquàm nisos: [Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omninò tacuerunt, ut & Regi satisfacerent, & arcanum Fidei non vulgarent.] Et alibi acerbiùs: [Neque enim fieri potest, ut quos plura intermisisse susceperint, non eosdem etiam in quibusdam errasse fateantur, præcipuè in Job, &c.] Aliquando autem eos commendans, quamvis propriè Prophætas fuisse neget, gratiâ tamen Interpretationis Sermonum præditos affirmat: [Aliud est enim esse Vatem, aliud est esse Interpretem. Ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio, & verborum copia, ea quæ intelligit transfert...... Non damno, non reprehendo Septuaginta, sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero. Per istorum os Christus mihi sonat, quos ante Prophætas inter spiritualia charismata

Eam Hieronymus non plenè probat.

Prol. in Pent.

Tanquàm in nonnullis suspectam.

Prol. in Job.

Gratiâ Interpretationis Sermonum illi Seniores donati.

Ibid.

posi-

positos lego, in quibus *ultimum penè gradum Interpretes tenent.*] Vera quidem Hieronymus. Inter enim Ecclesiæ ministeria Paulus Prophætis Apostolos anteponit: [Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophætas.] Ubi *D. Thomas*: [Et ideo Primus Gradus inter Ecclesiastica Ministeria est Apostolorum, quibus specialiter competit Ecclesiæ regimen, &c.]

1. Cor. cap. 12.

Ibid. Lect. 3.

Apostoli Prophætis præpositi.

6 Non videtur autem neganda illis LXX. Viris hæc gratia gratìs data, quæ dicitur Interpretatio sermonum, quam Apostolus inter Spiritûs Charismata recenset: [Alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ: alii autem sermo Scientiæ secundùm eumdem Spiritum: alteri verò Fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii Prophætia: alii discretio Spirituum: alii genera Linguarum: alii Interpretatio sermonum.] Cur autem Apostolus Generibus Linguarum Interpretationem sermonum adnectat, congruentiam affert *D. Thomas* ad ea verba: [Facultas autem persuasionem pronunciandi consistit in hoc, quod homo possit loqui intelligibiliter aliis. Quod quidem impeditur dupliciter: Uno modo per diversitatem Idiomatum. Contra quod remedium adhibetur per hoc, quod dicit: alii datur gratia Linguarum: ut scilicèt possit loqui diversis Linguis, ut intelligatur ab omnibus, sicut de Apostolis legitur Actor. 2. quod loquebantur variis Linguis. Alio modo per obscuritatem Scripturæ inducendæ. Contra quod remedium datur per id, quod subditur: alii Interpretatio Sermonum, ideſt difficillium Scripturarum. Daniel. 5. Audivi de te, quod possis obscura interpretari. Genes. 40. Nunquid non Dei est Interpretatio?]

Ibid.

Ibid. Lect. 2.

Interpretatio Sermonum jungitur Dono Linguarum.

7 Igitur præsentem Dei opem habuisse LXX. Interpretes certum videtur, imò, & quemdam Spiritûs Prophætici instinctum. Nam *D. Thomas* loquens de Interpretatione sermonum, eam ad donum Prophætiæ reducit: [Interpretatio sermonum potest reduci ad donum Prophætiæ, inquantum scilicèt mens illuminatur ad intelligendum, & exponendum quæcumque sunt in sermonibus obscura, sivè propter difficultatem rerum significatarum, sivè etiam propter ipsas voces ignotas, quæ proferuntur, sivè etiam propter similitudines rerum adhibitas, secundùm illud Dan. 5. Audivi de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissolvere.] Et invicèm comparans duas istas gratias gratìs datas, subdit: [Unde Interpretatio sermonum est potior, quàm donum

2. 2. qu. 176. a. 2. ad 4.

Reducitur ad Donū Prophetiæ.

Est potior Dono Lingnarum.

Linguarum, ut patet per illud, quod Apostolus dicit 1. ad Cor. 14. Major est, qui prophætat, quàm qui loquitur Linguis, nisi fortè interpretetur. Postponitur autem Interpretatio sermonum dono Linguarum: quia etiam ad interpretandum diversa Linguarum genera, Interpretatio sermomonum se extendit.] Consistit verò hujusmodi donum in singulari auxilio Spiritûs Sancti, quo mens Interpretantis illustratur ad elucidanda obscura rerum, aut vocum, ut locis nùnc citatis indicat D.Thomas: & ad sermones transferendos (ut appositè advertit P. Antonius à Matre Dei) ex una Lingua in aliam, ita ut à Loquentis mente Interpres non recedat: sed id Oratione, vel scripto suo exprimat, quod Author intendit exprimere.

In quo cõsistat.

Prel. 2. dub. 1. Sect. 3.

8 Proindè hoc Spiritu in Versione sua LXX. Interpretes imbuti, ex Hebræo in Græcum Scripturas Veteris Testamenti transtulere, in quas non LXX. Virorum errore, sed transcribentium vitio menda aliqua irrepsisse idem *Hieronymus* autumat: [Nec hoc LXX. Interpretibus, *qui Spiritu Sancto pleni, ea quæ vera fuerunt transtulerunt*: Sed Scriptorum culpæ adscribendum est, dum de emendatis inemendata scriptitant: & sæpè tria nomina, &c.] Primam etiam Præfationem in eosdem Libros sìc exorditur: Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, Editio permaneret, superfluè me, Chromati Episcoporum Sanctissime, atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi Volumina Latino Sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & *nascentis Ecclesiæ roboraverat Fidem*: justum erat, etiam nostro silentio comprobari. Nunc verò, cum pro varietate Regionum diversa ferantur Exemplaria, & germana illa, antiquaque Translatio corrupta sit, atque violata, nostri arbitrii putas, &c.]

Errores in Trãslatione LXXII. ex Scriptorum culpa irrepserunt.

Præf. 2. in Lib. Paral.

9 Ipsam tamen à mendis purgasse, & Fratribus explicasse idem fatetur *Hieronymus* loco nùnc relato: [Cæterùm memini, Editionem Septuaginta Translatorum olìm de Græco emendatam tribuisse me Nostris: nec inimicum debere existimari eorum, quos in Conventu Fratrum semper edissero.] Magna denique Versionis hujus authoritas est, ad cujus lydium Latina Exemplaria corrigenda censuit *Augustinus*, fortasse hoc Scribens ante Editionem Hieronymianam: [Et Latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus Septuaginta Interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit authoritas: qui jam per omnes peritiores Ecclesias tantâ præsentiâ Spiritûs Sancti inter-

Quam Hieronymus à mẽdis purgavit.

Aliud Augustini de ea testimonium.

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 15.

pre-

pretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Quod si, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli, cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum Codice inventum est, quod non jisdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic authoritati conferre aliquid, nedùm præferre audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu, judicioque vox fieret: nec sìc quidem quemquam unum hominem, qualibet peritiâ, ad emendandum tot Seniorum, Doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet.]

Qualiter Vetus Testamentum Græcè reddiderint, LXXII.

10 Singularem Divinæ Providentiæ dispositionem in eo advertit *Eusebius*, quod [cum jam Salvatoris Nostri tempora viderentur propiùs advenire: conducebatque maximè saluti omnium Gentium quæcumque à Prophætis scripta fuerunt intelligere, per Linguam Græcam, quam ferè omnes Gentes intelligunt, Judaicam Scripturam universis proposuit. Salvator ergo noster, qui ut Deus omnia prævidebat, optima dispositione usus, Ptolemæo Ægyptiorum Regi traducendorum Librorum cupiditatem injecit. &c.] Nulli autem calumniæ subjectam eam Versionem suadet *Hilarius*: [Quòd ante adventum Domini corporalem transtulerunt: nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur tantò anterioris interpretationis ætate. Dehìnc, quòd illi ipsi Principes, Doctoresque Synagogæ, & præter scientiam Legis per Moysem, doctrina quoque secretiore perfecti, non potuerunt non probabiles esse Arbitri interpretandi, qui certissimi, & gravissimi erant Authores docendi.] Gravissimum denique huic Versioni dignitatis pondus addidere Apostoli, & Evangelistæ, illâ usi etiam in jis locis, in quibus differt ab Hebraica. Quale illud Pauli: Qui credit in eum, non confundetur. In Hebræo autem est: Qui crediderit, non festinet. De quo plura eruditè Noster Magister Gravina, plenè, & accuratè de Sacræ Scripturæ Translationibus disserens.

Lib. 8. de Præp. Evang. cap. 1.

Speciali Divinæ Providentiæ nutu.

In Psal. 2.

Septuaginta Seniorum Doctrina.

Eorum Versionẽ sequuti pluries Evangelistę, & Apostoli.

Ad Rom. cap. 9. Ex Isa. cap. 28. To. 2. lib. 4. contr. 7.

11 Nunc verò omnes retrò Versiones ad unam referre oportet, Vulgatam Editionem, cur sìc dictam tradit *D. Thomas* exponens Psalmi verba: Sepulchrum patens, &c. [Hieronymus dicit, quod Apostolus utitur testimonio istorum versuum, (*Sepulchrum patens, &c.*) Et invenitur alibì in Sacra Scriptura. Roman. 3. ubi dicit, quod aliquam partem accepit ex Esajæ 59. aliam ex aliis partibus Psalterii, & non ex isto Psalmo tantùm, cum ipse Hebræus esset, & sciret,

Comment. in Psal. 13.

Editio vulgata. Cur sic dicta.

ret, hoc in Hebræo non haberi: habetur tamen in Editione Vulgata, *qua Vulgus utitur: vel qua non attribuitur certa Persona. &c.*] In ea tamen plurimùm incorruptæ Fidei reddenda desudavit Divus Hieronymus, quem Deus Ecclesiæ suæ in exponendis Sacris Scripturis Doctorem maximum providere dignatus est. De eo quid præsumet nullius penna volatûs? Quid rudi, egenoque stylo, tanti Viri, tantumque de Sancta Ecclesia meriti laudes prosequi nitar? Satius est tacere, quàm pauca, & inepta dicere. Moysi Dominus quondàm ait: [Congrega mihi septuaginta Viros de Senibus Israel, quos tu nosti, quod Senes populi sint, ac Magistri: & duces eos ad ostium Tabernaculi Fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi: & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis.] Verè nihilominùs asserere possumus, nedùm LXX. Interpretum, (si in ipsis fuisse firmum sit) sed, & omnium Prophætarum transfusum fuisse Spiritum in unum Hieronymum, ut quæ illi, Deo dictante scripserunt, hic Spiritu Sancto illustrante (Et non quidem ut Scriptori Canonico, sed ut Interpreti assistente) servatâ fideliter Dei Authoris intentione, diligentiâ summâ transferret.

Numer. cap. 15.

Hieronymus Divinâ Providentiâ datus S. Scripturæ Interpres.

12 Non quod Vulgatæ Author fuerit, qui cum reperiri non possit, nec designari, ut advertit Xistus Senensis, benè colligitur, antiquissimam, & de Apostolica traditione manantem Vulgatam Editionem: quam nedùm testatur *Augustinus* unicam, & solam fuisse, factam ex illa LXX. in Latinam: [Hanc tamen, quæ Septuaginta est, tanquàm sola esset, sic recepit Ecclesia, eâque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrùm alia sit aliqua, ignorant. Ex hac Septuaginta Interpretatione etiam in Latinam Linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent.] Et superiùs Vulgatam appellat LXX. propter eamdem rationem, quod ex LXX. Versione translata sit. [Fiunt itaque anni à diluvio usque ad Abraham, mille septuaginta, & duo, secundùm Vulgatam Editionem, hoc est Interpretum Septuaginta. In Hebræis autem Codicibus, longè pauciores annos perhibent inveniri. &c.]

Lib. 5. Bibl. annot. 116.

Vulgata Editio facta ex Versione LXX.

Lib. 18. de Civ. cap. 43.

Lib. 16. de Civ. cap. 10.

13 Quinimò *Hieronymus* ipse Vulgatę meminit non semel, præsertim ajens: [Satis miror, quomodo Vulgata Editio fortissimum contra Judæorum perfidiam testimonium, alia interpretatione subverterit dicens: Congregabor, conglorificabor Domino.] Et alibi profitetur, Cōmunem Editionem, sivè Vulgatam ipsam esse, quæ est LXX. Similiter *Gregorius*, & novam Translationem, scilicèt Hieronymi, ex Hebræo, & ve-

In cap. 49. Isa.

Communis in Latina Ecclesia.

Epist. ad Princip.

Præfat. in Lib. Moral. & veterem, sivè Vulgatam ex LXX. memorat: [Novam Translationem differo; sed cum probationis causa exigit, nunc veterem, nunc novam pro testimonio assumo: ut quia Sedes Apostolica, cui, Authore Deo, præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.]

14 Vulgata igitur Editio ante Augustinum, & Hieronymum, Tertulliano, Cypriano, aliisque Latinis Patribus familiaris, quæque Itala etiam (ex Latii nuncupatione) appellabatur, eadem nunc attribuitur Hieronymo. Vetus quidem Testamentum, quia (ut priùs ex Græco LXX.) Ipse ex Hebræo Latinum fecit, testante *Augustino*: [Quamvìs non defuerit temporibus nostris Præsbyter Hieronymus, Homo doctissimus, & omnium trium Linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum Eloquium easdem Scripturas converterit.] Novum verò Testamentum quamvìs non verterit ex Græco, translatum tamen in Latinum ab immemorabili tempore, (quod est Traditionis Apostolicæ vestigium) Græcæ fidei reddidit, ut ipse testatur, & pristino candori restituit. Quod & alibi fatetur. [Novum Opus me facere cogis ex Veteri: ut post Exemplaria Scripturarum toto Orbe dispersa, quasi quidam Arbiter sedeam: & quia inter se variant: quæ sint illa, quæ cum Græca consentiant veritate, decernam...... Codicum Græcorum emendata collatione, sed Veterum, quæ nè multùm à Lectionis Latinæ consuetudine discreparent: ita calamo imperavimus, ut his tantùm, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.]

Lib. 18. de Civ. cap. 43. — *Lib. de Script. Eccl.* — *Epist. ad Damas.*

Ante Hieronymum.

Cui rectè tribuitur, & quarè?

Vetus Testamentum vertenti ex Hebræo. Novum ex Græco, Græcæ puritati reddenti.

15 Hieronymianam diligentiam, & Versionis veritatem variis Patres coronant elogiis. *Augustinus* enim postquam ejus extulerat Translationem Veteris Testamenti ex Hebræo, subdit: [Cujus tamen Literarum laborem Hebræi fatentur esse veracem.] *Aurelius Cassiodorus*, Hieronymum dicit, [ingenti curâ in Latinum Sermonem de Hebræo fonte transfudisse, & ad vigintiduarum Literarum modum, qui apud Hebræos manet, competenter adduxisse.] Idem asserunt Gregorius, Isidorus, Beda, Julianus Archiepiscopus Toletanus, Rupertus Abbas, & tandem Hugo affirmans: [Hieronymi Translatio, quia Hebraicæ Veritati concordare magìs probata est: idcircò Ecclesia Christi per universam Latinitatem, præ cæteris omnibus Translationibus, quas vitiosa interpretatio, sivè prima de Hebræo in Græcam: sivè secunda de Græco in Latinam facta corruperat, hanc solam legendam, & in authoritate habendam cōstituit.]

Lib. 18. de Civ. cap. 43. — *Lib. 1. Div. Instit. cap. 12.* — *De Script. cap. 9.*

Commendantibus SS. Patribus.

Ecclesia acceptante.

6 Cu-

16 Cujus evidens ſignum eſt, quod Sacroſancta OEcumenica Tridentina Synodus, Spiritu Sancto congregata, & recta, Vulgatam Editionem omnibus Chriſtianis uſui, & lectioni propoſuerit, elegeritque, ita in authoritatis culmine conſtituens, ut illi, poſt Concilii Decretum, contradici non poſſit. Talis autem fuit Hieronymus, & Sanctiſſimus, & eruditiſſimus, ut, & Dei Spiritu regeretur, & emendatiſſima proferret Sacræ Scripturæ Exemplaria. Ad ipſum enim, tanquàm ad Oraculum ex omnibus Orbis terræ partibus Divinæ Scripturæ quæſtiones explicandæ referebantur. Et Auguſtinus, qui, ut vidimus, LXX. Verſionem laudibus effert, Hieronymum de locis Scripturæ difficillimis ſæpè conſuluit, propter ejus ſingularem doctrinam, & Linguæ non ſolùm Latinæ, & Græcæ, ſed Hebraicæ etiam, & Chaldaicæ intelligentiam: & quòd omnes penè Scriptores, ejuſdem Auguſtini teſtimonio, legerat, infatigabili ſtudio in legendo, ac ſcribendo perpetuò uſus. *Seſſ. 4.*

Univerſis Fidelibus ejus uſum præcipiente.

17 Neque verò dumtaxàt Vetus Teſtamentum ex Hebræo convertit: Novum, juſſu Damaſi, Græcæ fidei reddidit: ſed quædam in Hebræis Codicibus obſervata, in Græcis non reperta, editis Exemplaribus reſtituit. Unde idem *Hieronymus*: [Ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophætam dicentem: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Reſpondeant qui Hebræorum Voluminum denegant veritatem, ubi hoc in Septuaginta legatur Interpretibus. Quod cum non invenerint, nos eis dicemus, in Oſee Prophæta ſcriptum, ſicut, & Exemplaria probare poſſunt, quæ nuper edidimus.] Et alibi: [Si igitur, & aliis licuit non tenere, quod ſemel ſuſceperant: & poſt ſeptuaginta cellulas, quæ vulgò ſine authore jactantur, ſingulas cellulas aperuere, hocque in Eccleſiis legitur, quod LXX. neſcivere: cur me non ſuſcipiant Latini mei, qui inviolatâ Editione Veteri, ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, & quod his majus eſt, Apoſtolis authoribus comprobem? Scripſi nuper Librum de Optimo genere interpretandi, oſtendens illa de Evangelio: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, & *quoniam Nazaræus vocabitur*, &: *Videbunt in quem compunxerunt*; Et illud Apoſtoli: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus illum*: ceteraque his ſimilia in Hebræorum Libris inveniri. Certè Apoſtoli, & Evangeliſtæ Septuaginta Interpretes noverant: & undè eis hæc, quæ in Septuaginta Interpretibus non habentur? Chriſtus Dominus Noſter utriuſ-

Hieronymi labores in tranſferendis S. Scripturæ Libris.

Quædam Teſtimonia Divina non inveniūtur in Tranſlatione LXX.

Ea tamen ſunt in Hebraicis Voluminibus.

Comm. in cap. 2. Matth.

Præf. 1. in Paral.

Matth. 2. Matth. 2. Joan. 19. 1. Cor. 2.

Joan. 7. utriusque Testamenti conditor, in Evangelio secundùm Joannem: Qui credit, inquit, in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Utique scriptum est quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est? Septuaginta non habent: apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebræos igitur revertendum est, unde, & Dominus loquitur, & Discipuli exempla præsumunt.]

SECTIO IV.

Veteris Testamenti Quidditas.

1 

3.p.q. 78.a. 3. ad 3. Bservanda doctrina *D. Thomæ* rationem afferentis, cur in Consecratione Calicis dicatur: *Novi Testamenti*: [Testamentum est dispositio hæreditatis; hæreditatem autem Cœlestem disposuit Deus hominibus dandam per virtutem Sanguinis Jesu Christi; quia, ut dicitur Hebr. 9. ubi est Testamentum, mors necesse est intercedat Testatoris. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus. Primò quidem in figura, quod pertinet ad Vetus Testamentum; & ideo Apostolus ibidem concludit: unde nec primum Testamentum sine Sanguine dedicatum est. Quod patet ex hoc; quod sicut dicitur Exodi 24. lecto omni mandato Legis à Moyse, omnem Populum aspersit dicens: hic est Sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Secundò autem est exhibitus in rei veritate, quod pertinet ad Novum Testamentum. Et hoc est, quod Apostolus ibidem præmittit dicens: ideo Novi Testamenti Mediator est Christus, ut morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Dicitur ergo hic Sanguis Novi Testamenti: quia jam non in figura, sed in veritate exhibetur.]

Hæreditas Cœlestis disposita per Christi Sanguinem.

In Veteri, & Novo Testamento.

2 Rursus idem *S. Doctor* Nomen Testamenti distinguens super illa Apostoli verba: *Similiter, & Calicem, postquam cænavit, dicens: hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine*: [Unde considerandum est, quod Testamentum dupliciter sumitur in Scripturis. Uno modò communiter pro quolibet pacto, quod quidem testibus confirmatur. Et sic considerandum est, quod Deus dupliciter pactum iniit cum humano Genere: uno modo promittendo bona temporalia, & à malis temporalibus liberando; & hoc vocatur

In 1. ad Cor. cap. 11. Lect. 6. me.

Testamenti duplex acceptio.

Vetus Testamentum, vel Pactum. Alio modo promittendo bona spiritualia, & à malis oppositis liberando, & hoc vocatur Testamentum Novum. Unde dicitur Jerem. 31. Feriam Domui Israël, & Domui Juda Fœdus Novum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus vestris, ut educerem eos de terra Ægypti; sed hoc erit pactum: dabo Legem meam in visceribus eorum, & ero eis in Deum. Est autem considerandum, quod apud Antiquos erat consuetudo, ut alicujus victimæ sanguinem funderent ad confirmationem pacti. Unde Gen. 31. legitur, quod postquàm injerunt fœdus Laban, & Jacob, immolatis victimis in monte, vocavit fratres suos. Unde, & Exodi 24. legitur, quod Moyses sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum. Sicut ergo Vetus Testamentum, seù Pactum confirmatum est sanguine figurali taurorum; ita Novum Testamentum, seù Pactum confirmatum est in Sanguine Christi, qui per passionem est effusus. Et in hoc calice Sacramentum taliter continetur. Alio modo Testamentum accipitur magìs strictè pro dispositione hæreditatis percipiendæ, quam necesse est secundùm Leges certo numero testium confirmare. Non autem Testamentum sìc acceptum confirmatur, nisi per mortem: quia, ut Apostolus dicit Hebr. 9. Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquìn nondùm valet dùm vivit qui testatus est. Deus autem primò quidem dispositionem fecerat de Æterna hæreditate percipienda, sed sub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad Vetus Testamentum: sed postmodùm fecit Novum Testamentum, expressè promittens hæreditatem Æternam, quod quidem confirmatum est per Sanguinem mortis Christi.]

Sanguis victimæ fusus ad pacti cõfirmationem apud Antiquos.

In Veteri Testamento promissa Æterna Hæreditas sub figura bonorum temporalium.

3 Testamentum itaque Vetus pluribus nominibus exprimitur, nam dicitur etiam Testimonium, Fædus, Pactum. Circa quod dignè referenda hic ponderatio *Angelici Doctoris* ad ea Psalmodi verba: *Requirentibus Testamentum ejus, & Testimonia ejus*: [Sed quid est Testamentum ejus, & Testimonia ejus? Testamentum generaliter est omne pactum Dei: Testimonia verò sunt omnis Dei promissio: Deus autem promittit adjutoria, & adhùc adhibet miracula. Vel Testamentum accipitur pro Novo Testamento, in quo omnes promissiones sunt impletæ. Testimonia autem Vetus Testamentum, quod est testimonium Novi. Actor. 10. Huic omnes Prophætæ testimonium perhibent. Vel Testimonium dicitur quasi testata Veritas. Deuter. 7. Custodivit Testamen-

Pluribus nominibus exprimitur.

Testamentum, & Testimonia quomodò differant.

In Psal. 24. ме.

mentum, quod juravit Patribus vestris. Vel Testamentum dicitur Testificatio Legis mentis, secundùm Juristas: Testatio autem potest dici manifestatio, vel certificatio, vel certitudo: testes enim manifestant, & certificant. Et sic Testamentum dicitur quasi manifestatio, & certificatio Mentis Divinæ, sivè quod aliquid velit Deus. Vel secundùm Papiam, Testamentum in Sacra Scriptura dicitur esse Pactum, vel Placitum: Testimonium autem dicitur omne, quod ab extranea re sumitur ad faciendum fidem.]

4 Diversis igitur vocibus idem Testamentum Vetus sonantibus, Quidditas illius in dispositione hæreditatis Filiis dispensandæ consistit. Et Novo quidem apertissimè æternam repromittente, Vetus ad eamdem ordinabat; ut enim ait *D.Thomas*: [Finis Legis Divinæ est perducere hominem ad finem felicitatis Æternæ.] Ad quod mandatorum observatio dirigebatur. Sed in Veteri promittebantur implentibus bona temporalia. Unde *D. Thomas*, ad ea verba: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum Cœlorum: [Et nota, quod nunquàm in Scriptura Veteris Testamenti invenitur promissum Regnum Cœlorum. Sed primò Joannes nunciat, quòd pertinet ad dignitatem ejus . . . . Ante tempus autem Joannis non fiebat mentio, nisi de regno Jebusæorum, Exodi 3. Sed modò promittitur Regnum Cœlorum, sivè Cœleste.]

1.2. q. 98. a. 1. cor.

Matth. 3. D. Thom. ibid.

In Novo Testamento æterna Hęreditas expresse promissa est.

5 Cur verò non Æternæ Beatitudinis, sed terrenæ felicitatis, præcepta Legalia servantibus, expressa mentio fieret, triplicem convenientiam *D.Thomas* adducit; primam, dum docet, quod Divina Lex etiam de interioribus actibus disponit, utpote ordinans hominem ad finem supernæ Beatitudinis: [Qui quidem finis impeditur per quodcumque peccatum, & non solùm per actus exteriores, sed etiam per interiores. Et ideo illud, quod sufficit ad perfectionem Legis humanæ, ut scilicèt peccata prohibeat, & pœnam apponat, non sufficit ad perfectionem Legis Divinæ: Sed oportet, quod hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis Æternæ, quod quidem fieri non potest, nisi per gratiam Spiritûs Sancti, per quam diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ Legem adimplet: Gratia enim Dei Vita æterna, ut dicitur Rom. 6. Hanc autem gratiam Lex Vetus conferre non potuit; reservabatur enim hoc Christo, quia, ut dicitur Joan. 1. Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Et inde est, quod Lex Vetus bona quidem est, sed imperfecta, secundùm il-

1. 2. q. 98. a. 1. cor.

Quare in Veteri Testamento Cœlestia bona obscurè promissa.

Q 2 lud

lud Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit Lex.]

Lex Vetus ordinabatur ad Christum, in cujus Fide homines justificabantur.

6 Altera congruentia, quia id quod principaliter intendebatur, in Lege erat ordinatio, seù relatio ad Christum, cui ad habendam gratiam conjungebantur populi per fidem, non ex operibus Legis. Unde ad indicandum, quod impletio illa præceptorum, non secundùm se, sed ob fidem Christi venturi, spirituali præmio digna esset, exprimitur in Lege retributio temporalium, velùt per se respondens illi. Unde ait *D. Thomas*: [Circa quod considerandum est, quod sicùt etiam Philosophi dicunt, intentio cujuslibet Legislatoris est facere homines justos. Unde multò magìs Lex Vetus hominibus Divinitùs data, ordinabatur ad faciendum homines justos. Hanc tamen justitiam Lex per semetipsam facere non poterat, quia neminem ad perfectum adduxit Lex, ut dicitur Hebr. 7. Sed ordinat homines in Christum, quem promittebat, & præfigurabat. Ad Gal. 3. Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex Fide justificemur. Et hoc est quod dicit, Christus enim est Finis Legis, ad quem scilicèt tota Lex ordinatur. Psal: Omnis consummationis vidi finem. Finis, inquam, ad justitiam, ut scilicèt homines per Christum justitiam consequantur, quam Lex intendebat. Suprà 8. Quod impossibile erat Legi, mittens Deus Filium suum, damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis.]

In cap. 10. Epistol. ad Rom. Lect. 1.

Intendebat Justitiam dandam per Christum.

7 Tertia tandem ex eodem *D. Thoma*, propter imperfectionem statûs Judæorum: [Unde sicùt oportet ordinatè in Scientiis procedere, ut ex notioribus disciplina incipiat, ita etiam oportet, eum qui vult inducere hominem ad observantiam præceptorum, ut ex illis eum movere incipiat, quæ sunt in ejus affectu: sicùt pueri provocantur ad aliquid faciendum aliquibus puerilibus munusculis. Dictum est autèm suprà, quod Lex Vetus disponebat ad Christum, sicùt imperfectum ad perfectum; unde dabatur populo adhùc imperfecto in comparatione ad perfectionem, quæ erat futura per Christum: & ideo populus ille comparatur puero sub pædagogo existenti, ut patet ad Gal. 3. Perfectio autem hominis est, ut contemptis temporalibus, spiritualibus inhæreat, ut patet per illud, quod Apostolus dicit ad Phil. 3. Quæ quidem retro sunt oblivifcens, ad ea, quæ priora sunt, me extendo: quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Imperfectorum autem est, quod temporalia bona desiderent in ordine tamen ad Deum: perversorum autem est, quod in temporalibus bonis finem constituant. Unde Legi

1. 2. q. 99. a. 6. cor.

Ad quem disponebat sicùt imperfectum ad perfectum.

Ad temporalia bona quomodo se habeant Perfecti, Imperfecti, Perversi.

Ve-

Veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum.]

SECTIO V.

De Contentis in Veteri Testamento.

1 Quandoquidem Finis Divinæ Legis erat perfecta hominis justitia, ad hanc per media apta conduci oportebat. Ideoque memorantur Præcepta, Justificationes, Mandata, Testimonia, & alia, quæ expendit *D. Thomas*, eorum exponens diversitatem: [In Lege ponuntur aliqua tanquàm præcepta, aliqua verò tanquàm ad præceptorum impletionem ordinata. Præcepta quidem sunt de his, quæ sunt agenda, ad quorum impletionem ex duobus homo inducitur, scilicèt ex authoritate præcipientis, & ex utilitate impletionis, quæ quidem est consequutio alicujus boni utilis, delectabilis, vel honesti, aut fuga alicujus mali contrarii. Oportuit igitur in veteri Lege proponi quædam, quæ authoritatem Dei præcipientis indicarent, sicut illud Deuter. 6. Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est; & illud Gen. 1. In principio creavit Deus Cœlum, & terram: & hujusmodi dicuntur Testimonia. Oportuit etiam, quod in Lege proponerentur quædam præmia observantium Legem, & pœnæ transgredientium, ut patet Deuter. 28. Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te excelsiorem cunctis Gentibus. Et hujusmodi dicuntur Justificationes, secundùm quod Deus aliquos justè punit, vel præmiat. Ipsa autem agenda sub præcepto non cadunt, nisi inquantum habent aliquam debiti rationem. Est autem duplex debitum: unum quidem secundùm regulam Rationis: aliud autem secundùm regulam Legis determinantis: sicut Phil. in 5. Ethic. distinguit duplex justum, scilicèt Morale, & Legale. Debitum autem Morale est duplex: dictat enim Ratio aliquid faciendum, vel tanquàm necessarium, sine quo non potest esse ordo Virtutis: vel tanquàm utile ad hoc, quod ordo Virtutis meliùs conservetur; & secundùm hoc quædam moralium præcisè præcipiuntur, vel prohibentur in Lege, sicut: Non occides, non furtum facies; & hæc propriè dicuntur Præcepta. Quædam verò præcipiuntur,

[Margin: 1. 2. q. 89. a. 5. cor.]

[Margin: Diversitas inter Præcepta.]

[Margin: Testimonia.]

[Margin: Justificationes.]

tur, vel prohibentur, non quasi præcisè debita, sed propter melius, & ista possunt dici Mandata: quia quamdam inductionem habent, & persuasionem, sicut illud Exodi 22. Si pignus acceperis vestimentum à proximo tuo, ante Solis occasum reddas ei, & aliqua similia. Unde Hieronymus dicit, quod in præceptis est Justitia, in mandatis verò Charitas. Debitum autem ex determinatione Legis, in rebus quidem humanis pertinet ad judicialia: in rebus autem Divinis ad Cæremonialia: quamvis etiam ea, quæ pertinent ad pœnam, vel præmia, dici possunt Testimonia, inquantum sunt protestationes quædam Divinæ Justitiæ. Omnia verò præcepta Legis possunt dici Justificationes, inquantum sint quædam exequutiones Legalis Justitiæ. Possunt etiam aliter Mandata à Præceptis distingui: ut Præcepta dicantur, quæ Deus per seipsum jussit: Mandata autem, quæ per alios mandavit, ut ipsum nomen sonare videtur. Ex quibus omnibus apparet, quod omnia Legis præcepta continentur sub Moralibus, Cæremonialibus, & Judicialibus: alia verò non habent rationem præceptorum, sed ordinantur ad præceptorum observationem.]

Mandata.

2 Præcepta autem Moralia Decalogo continentur: Judicialia insuper in aliis Libris, & Cæremonialia. Populus namque ordinabatur per Legem, ut cultum Dei servaret, & justitiam ad alios, proinde doceri debuit tria hæc genera Præceptorum. Porrò cultus Dei specialiter consistit in Sacrificiis, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta autem colendi pertinent ad Sacra, sicut est Tabernaculum, & Vasa, & alia hujusmodi. Insuper ex parte colentium consideratur eorum institutio facta per quamdam consecrationem vel Populi, vel Ministrorum, & ad hoc pertinet Sacramenta: & iterùm eorum singularis conversatio, per quam distinguuntur ab his, qui Deum nō colunt, & ad hoc pertinent Observantiæ, putà in cibis, & vestimentis, & alia hujusmodi.

Præcepta Moralia, Cæremonialia, & Judicialia.

D.Thom. ibid. q. 101. ar. 4.

3 Neque hìc prætereunda Præceptorum moralium in Decalogo contentorum convenientia. Oportet enim, quod in Lege Divina primò ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum: & inde alia ordinantia hominem ad alios homines sub Deo. Principi autem debet homo fidelitatem, reverentiam, famulatum. Primam scilicet, ut honorem Principatûs ad alium non deferat: pro quo ponitur præceptum: Non habebis Deos alienos. Secundam, ut nihil injuriosum in eum committat; & ad hoc datur secundum præceptum: Non assumes Nomen Domini Dei tui in va-

Moralium Præceptorum conveniens positio in Decalogo.

D.Thom. ibid. q. 100. a. 5.

vanum. Tertium debet in recompensationem beneficiorum, & ad hoc pertinet præceptum de Sanctificatione Sabbathi in memoriam Creationis rerum. Ad proximos autem aliquis benè se habet, & specialiter, ut eis debitum reddat, qua ratione ponitur præceptum de honoratione parentum. Et generaliter, ut nulli nocumentum inferat, sivè opere, sivè ore, sivè corde. Opere quidem infertur nocumentum, vel in propriam personam proximi, & propter hoc ponitur: Non occides. Quandoque in personam illi conjunctam quantum ad propagationem prolis; & hoc prohibetur, cum dicitur: Non mœchaberis. Quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque. Et ideo præcipitur: Non furtum facies. Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Similiter nocumentum cordis per illud præceptum: Non concupisces. Et secundùm hanc differentiam possent distingui tria præcepta ordinantia ad Deum, quorum primum pertinet ad opus: Non facies sculptile. Secundum ad os: Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Tertium ad cor: quia in Sanctificatione Sabbathi, secundùm quod est morale præceptum, mandatur quies cordis in Deum.

Proximo nocumentum infertur corde, ore, opere.

4 Omnia autem præcepta, & singulariter Cæremonialia, figurativa erant eorum, quæ in Nova Lege geruntur. Quorum plura qui noscere cupit, ad manum habet *D. Thomam*, sæpiùs ea mysticis significationibus explicantem. Illud hìc producere sufficiat, quod affert de Sacerdotalibus Vestibus: [In speciali autem sciendum est, quod Pontifex habebat octo ornamenta. Primò enim habebat vestem lineam. Secundò habebat tunicam hyacinthinam, in cujus extremitate versùs pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, & mala punica facta ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto. Tertiò habebat Superhumerale, quod tegebat humeros, & anteriorem partem usque ad cingulum, quod erat ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta: & super humeros habebat duos onychinos, in quibus erant sculpta Nomina Filiorum Israël. Quartum erat Rationale ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & conjungebatur Superhumerali. Et in hoc Rationali erant duodecim lapides pretiosi distincti per quatuor ordines, in quibus etiam sculpta erant Nomina Filiorum Israël: quasi ad designandum, quod ferret onus totius Populi per hoc, quod habebat nomina eorum in humeris: & quod jugiter de-

Præcepta Cæremonialia figurabant ea, quæ in Nova Lege geruntur.

1. 2. q. 102. a. 3. ad 2. Et ad 5. Et ad 8. ad 12. Et ar. 4. ad 2. Et ad 3. & 4. Et 6. 7. 8. 9. Et ar. 5. ad 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. Et ar. 6. ad 1. 4. 6. 8. 9.

Vestium Sacerdotalium descriptio.

debebat de eorum salute cogitare per hoc, quod portabat eos in pectore, quasi in corde habens. In quo etiam Rationali mandavit Dominus poni Doctrinam, & Veritatem: quia quædam pertinentia ad veritatem justitiæ, & doctrinæ scribebantur in illo Rationali. Judæi autem fabulantur, quod in Rationali erat lapis, qui secundùm diversos colores mutabatur secundùm diversa, quæ debebant accidere Filiis Israël, & hoc vocant Veritatem, & Doctrinam. Quintùm erat Baltheus, idest cingulus quidam factus ex prædictis quatuor coloribus. Sextum erat Tiara, idest Mitra quædam de bysso. Septimum autem erat lamina aurea pendens in fronte ejus, in qua erat scriptum Nomen Domini. Octavum autem erant femoralia linea, ut operirent carnem turpitudinis suæ, quando accederent ad Sanctuarium, vel ad altare. Ex istis autem octo ornamentis, Minores Sacerdotes habebant quatuor, scilicèt Tunicam lineam, femoralia, baltheum, & tiaram .... Per ornamenta verò designantur virtutes Ministrorum Dei, sunt autem quatuor, quæ sunt necessariæ omnibus Ministris, scilicèt Castitas, quæ significatur per femoralia: Puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam: Moderatio discretionis, que significatur per cingulum: & rectitudo intentionis, quæ significatur per tiaram protegentem caput. Sed præ his Pontifices debent quatuor habere. Primò quidem jugem Dei memoriam in contemplatione: & hoc significat lamina aurea habens Nomen Dei in fronte. Secundò, quod supportent infirmitates Populi, quod significat superhumerale. Tertiò, quod habeant Populum in corde, & in visceribus per solicitudinem Charitatis: quod significatur per Rationale. Quartò, quod habeant conversationem cœlestem per opera perfectionis: quod significatur per tunicam hyacinthinam. Unde, & tunicæ hyacinthinæ adjunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ significatur doctrina Divinorum, quæ debent conjungi cœlesti conversationi Pontificis. Adjunguntur etiam mala punica, per quæ significatur Unitas Fidei, & concordia in bonis moribus: quia sìc conjuncta debet esse ejus doctrina, ut per eam Fidei, & pacis unitas non rumpatur.]

Et sensus Tropologicus.

In Vestibus Pontificalibus.

5 Nec tantummodò quæ præmissa sunt in Veteri Testamento continentur, verumetiàm omnes Sacræ Scripturæ, quarum syllabus habetur in Tridentino ante seriem Librorum pertinentium ad Novum Testamentum. Tractant autem de Dei Sapientia, Virtute, Bonitate, Justitia, Æternita-

Libri Canonici Veteri Testamento comprehensi.

nitate, aliisque perfectionibus, velùt ad Deum discendum prima Elementa innotescentis Divinitatis inter umbras, caliginesque futurorum, ac Lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies Evangelii elucesceret, & Lucifer matutinus orietur in cordibus nostris ad illuminationem Scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Jesu, quem incomprehensibili processione Pater ante Luciferum genuit, & ineffabili puerperio Virgo intacta permanens, vergente mundi vespere, novo genere immaculati partûs effudit.

SECTIO VI.

Quæ in Novo Testamento contineantur.

1 
Ovi Testamenti vocabulum pars illa Sacræ Scripturæ sortitur, quæ Libros continet de statu Populi Christiani in Fide, Spe, & Charitate collecti, prioris non tàm solutio, quàm adimpletio, & consummatio: Mandata nova Mundi auribus tùncusque ignota per Æternam Sapientiam in Carne, inter homines conversatam, humanâ linguâ universis promulgata, describens. Unde *Gregorius*: [Quia Dominus, ac Redemptor Noster, novus Homo venit in Mundum, nova præcepta dedit Mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ.] Et utriusque Testamenti discretionem innuit, inter cæteros, *Augustinus*: [Omnis Scriptura bipartita est secundùm id, quod Dominus Matth. 13. significat, dicens, Scribam eruditum in Regno Dei similem esse Patrifamilias, proferenti de thesauro suo nova, & vetera: quæ duo etiam dicuntur Testamenta.]

Novum Testamentum quæ contineat.

Hom. 32. in Evang.

Lib. 1. de Genes. cap. 1.

2 Et certè Vetus, quasi uterus Legis, ut loquitur *Augustinus*, quæ de Christo gravida erat, Novum Testamentum præfigurando continebat, & hoc in illo erat, quasi fructus in spica, juxtà sensum Chrysostomi, de quo *D. Thomas*: [Dictum est enim, quod Nova Lex comparatur ad Veterem sicut perfectum ad imperfectum. Unde Chrysostomus exponens illud, quod habetur Marci 4. Ultrò terra fructificat, primùm herbam, deindè spicam, deindè plenum frumentum in spica, sìc dicit: Primò herbam fructificat in Lege Naturæ, postmodùm spicas in Lege Moysi, postea plenum frumentum in Evangelio. Sìc igitur est Lex Nova in Veteri,

Ser. 20. de Sanct.

Præfiguratum in Veteri.

1. 2. q. 107. a. 3. cor.

In quo continetur, sicùt frumentum in spica.

ri, sicùt fructus in spica.] Ideoque antequam Dominus daret benignitatem, implendo præfinitum tempus Redemptionis, & terra nostra daret fructum suum, gignendo ex Virgine Salvatorem, regiones non adhùc albę erant ad messem: crescentibus culmis, spica frumentum claudens Electorum, ideſt Lex Christum continens, tenera erat, & immatura, sed fructum promittebat in Lege Gratiæ.

3 Quemadmodùm verò utriusque Testamenti idem fuit Author, ita in utroque sibi consonantem instituit harmoniam: priùs in Cæremonialibus præbens Sacramenta, quibus ob recipientium Fidem in Christum venturum, gratia sanctificans conferretur, eisque aliqua responderent in Lege Nova, licèt physicæ efficientiæ. Unde *D. Thomas*: [Quædam Sacramenta Novæ Legis habuerunt in Veteri Lege Sacramenta figuralia sibi correspondentia. Nam Circumcisioni respondet Baptismus, qui est Fidei Sacramentum; unde dicitur ad Coloss. 2. Circumcisi estis in Circumcisione Domini Nostri Jesu Christi, consepulti ei in Baptismo. Convivio verò Agni Paschalis respondet in Nova Lege Sacramentum Eucharistiæ. Omnibus autem purificationibus Veteris Legis respondet in Nova Lege Sacramentum Pœnitentiæ. Consecrationi autem Pontificis, & Sacerdotum respondet Sacramentum Ordinis. Sacramento autem Confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ non potest respondere in Veteri Lege aliquod Sacramentum: quia nondùm advenerat tempus plenitudinis, eo quod neminem ad perfectum adduxit Lex. Similiter autem, & Sacramento Extremæ Unctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ; cum aditus nondùm patebat in Veteri Lege, pretio nondùm soluto. Matrimonium autem fuit quidem in Veteri Lege proùt erat in officium Naturæ, non autem proùt est Sacramentum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondùm erat facta. Unde, & in Veteri Lege dabatur Libellus repudii, quod est contra Sacramenti rationem.]

Sacramentis Veteris Legis alia Novę Legis correspondent.

1. 2. q. 102. ar. 5. ad 3

4 Verùm consummatis per Christum Veteris Testamenti figuris, Cæremonialia illa cessare necessum fuit, ordinabantur enim ad protestandam Fidem in Redemptorem venturum. Unde *D. Thomas*: [Mysterium Redemptionis humani Generis completum fuit in passione Christi; unde tunc Dominus dixit: Consummatum est, ut habetur Joan. 19. Et ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata. In cujus signum, in passione

Cæremonialia Præcepta cessare oportuit Christo veniente.

1. 2. q. 103. a. 3. ad 2.

ſione Chriſti velum Templi legitur eſſe ſciſſum Matth. 27.] Quod latiùs explicat ſuper citatum Matthæum dicentem: Et ecce velum Templi ſciſſum eſt. [Et notandum, quod in Templo duplex velum erat, ſicut in Tabernaculo: quia erat velum intra Sancta Sanctorum, & erat velum aliud, quod non erat in Sanctis. Et iſta duo duplicem velationem ſignificabant: quia velum interius ſignificabat velationem myſteriorum Cœleſtium, quæ nobis revelabuntur; tunc enim ſimiles ei erimus, cum apparuerit gloria ſua. Aliud, quod exterius erat, ſignificabat velationem myſteriorum, quæ ad Eccleſiam pertinent. Unde iſtud exterius fuit ſciſſum, alterum non; ad ſignandum, quod myſteria manifeſtabantur per mortem Chriſti, quæ ad Eccleſiam pertinent: ſed aliud non fuit diviſum: quia ſecreta Cœleſtia adhùc remanent velata. Unde Apoſtolus 2.Cor. 3: Cum autem Iſraël converſus fuerit ad Deum, amovebitur velamen. Unde per paſſionem omnia myſteria, quæ in Lege, & Prophætis ſcripta ſunt, aperta fuerunt, ut habetur Lucæ ultimo: Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophætis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. Vel ſignificabat diſperſionem Populi Judæorum. Et quia gloria eorum erat in velo, quod in paſſione Domini ſciſſum eſt, ſignificabatur, quod tota gloria dividebatur ab eis.]

D. Thom. in cap. 27. Matth.

Gemini Veli in Téplo Hebraico.

Senſus Anagogicus, & Allegoricus.

Velum extra Sancta ſciſſum in Chriſti Paſſione.

Significavit revelationem myſteriorum ad Eccleſiam pertinētium.

5 Ejuſdem ſciſſionem veli ad Synagogæ deſtructionem, & Eccleſiæ elevationem alii referunt Sancti Patres. Hinc *Auguſtinus*: [Velum Templi ſcinditur, quia Synagoga honore nudatur: obſervatio antiqua deſtruitur, Eccleſiæ unitas præmonſtratur.] Et *Ambroſius*: [Velum ſcinditur, quo myſteriorum Synagogæ profanatio declaratur. Sciditur velum vetus, ut Eccleſia, nova Fidei ſuæ vela ſuſpendat: Synagogæ velamen aufertur, ut Religionis interna myſteria revelato mentis cernamus obtutu.] Et *Cæſarius Arelatenſis*: [Velum Templi ſcinditur: velum ornamentum Tabernaculi eſt. Coruſcante igitur gratia, Eccleſia ædificatur, Synagoga deſtruitur.]

Ser. 140. de temp.

Lib. 10. in Luc. cap. 23.

Hom. 6. in Paſc.

Et S... probatio...

6 Præcepta nihilominùs Moralia Decalogo comprehenſa neutiquàm, abolita Veteri Lege, ceſſarunt. Erant enim communiſſima Inſtituta Naturæ ex primis illis, quæ omnibus nota ſunt, derivata; imò nedùm non ablata, ſed nec diſpenſabilia ſunt, & ideo remanſerunt in Nova Lege, expoſita ulteriùs, modo infra afferendo, cum de differentia Teſtamentorum agemus. Præter quæ addita ſunt alia in Nova Lege, de quibus dilucidè *D. Thomas*: [Habet tamen

Præcepta Moralia non ceſſarunt.

Nec diſpenſari poteſt in eis.

1. 2. q. 106. a. 1. Cor.

Lex Nova quædam ficut difpofitiva ad gratiam Spiritûs Sancti, & ad ufum hujus gratiæ pertinentia, quæ funt quafi fecundaria in Lege Nova, de quibus oportuit inftrui Fideles Chrifti, & verbis, & fcriptis tàm circa credenda, quàm circa agenda.] Et poft: [In Scriptura Evangelii non continentur, nifi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritûs Sancti, vel ficut difpofitiva, vel ficut ordinativa ad ufum hujus gratiæ. Sicùt difpofitiva quidem pertinent ad intellectum per Fidem, per quam datur Spiritûs Sancti gratia, continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad manifeftandum Divinitatem, vel Humanitatem Chrifti. Secundùm affectum verò continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad contemptum mundi, per quem homo fit capax Spiritûs Sancti gratiâ; Mundus enim, ideft amatores Mundi, non poteft capere Spiritum Sanctum, ut habetur Joan. 14. Ufus verò fpiritualis gratiæ eft in operibus Virtutum, ad quæ multipliciter Scriptura Novi Teftamenti homines exhortatur.]

Alia Præcepta in Nova Lege.

Ibid. ad 1.

7 Sufficientiffimè autem Lex Nova hominem ordinat ad gratiam Spiritûs Sancti, dirigendo nedùm quoad exteriora per Sacramenta, & moralia præcepta fimpliciter neceffaria ad confequutionem falutis; verùm, & interiores actus illius regulando per præcepta pertinentia ad motus animi, & à Chrifto expofita in eo Sermone, quem ad Difcipulos, & turbas habuit fedens in monte, ut teftatur *Auguftinus*: [Confiderandum eft, quia cum dixit: Qui audit verba mea hæc, fatis fignificat, Sermonem iftum Domini omnibus præceptis, quibus Chriftiana vita formatur, effe perfectum.]

Sermo Domini in monte omnia contin'et ad vitæ fanctimoniã neceffaria.

Apud D. Thom. 1. 2. q. 108. a. 3.

8 Cuius proinde plenitudinem diftinctè explicat *D. Thomas*: [Sermo, quem Dominus in monte propofuit, totam informationem Chriftianæ vitæ continet, in quo perfectè interiores motus hominis ordinantur. Nam poft declaratum Beatitudinis finem, commendata Apoftolica Dignitate, per quos erat Doctrina Evangelica promulganda, ordinat interiores hominis motus. Primò quidem quantùm ad feipfum, & deinde quantùm ad proximum. Quantùm autem ad feipfum dupliciter, fecundùm duos interiores hominis motus circa agenda, quæ funt voluntas de agendis, & intentio de fine. Unde primò ordinat hominis voluntatem fecundùm diverfa Legis præcepta: ut fcilicèt abftineat aliquis non folùm ab exterioribus operibus, quæ funt fecundùm fe mala, fed etiam ab interioribus, & ab occafionibus malorum, Deindè ordinat intentionem hominis dicens, quod

Ibid.

Ordinans interiores hominis motus.

quod in bonis, quæ agimus, neque quærimus humanam gloriam, neque mundanas divitias, quod est thesaurizare in terra. Consequenter autem ordinat interiorem hominis motum quoad proximum, ut scilicèt eum non temerariè, aut injustè judicemus, aut præsumptuosè; neque tamen sic simus apud proximum remissi, ut eis Sacra committamus, si sint indigni. Ultimò autem docet modum adimplendi Evangelicam doctrinam, scilicèt implorando Divinum auxilium, & conatum apponendo ad ingrediendum per angustam portam perfectæ Virtutis, & cautelam adhibendo, ne à Seductoribus corrumpamur, & quod observatio mandatorum ejus est necessaria ad Virtutem: non autem sufficit sola confessio Fidei, & miraculorum operatio, vel solus auditus.]

9 Proindè ut arctam perfectionis viam, quæ ducit ad vitam tutiùs ambulemus: præceptis necessariis ad consequendum finem Beatitudinis, addita sunt in Nova Lege Consilia ad expeditiùs assequendum. Nec tædeat ab *Angelico Præceptore* adductam audire convenientiam illorum: [Est autem homo constitutus inter res mundi hujus, & spiritua- Consilia addita Præceptis in Nova Lege.
1.2.q.108. a.4. cor. lia bona, in quibus Æterna Beatitudo consistit: ita quod quantò plùs inhæret uni eorum, tantò plùs recedit ab altero, & è converso. Qui ergo totaliter inhæret rebus hujus Mundi, ut in eis finem constituat, habens eas quasi rationes, & regulas suorum operum, totaliter excidit à spiritualibus bonis: & ideo hujusmodi inordinatio tollitur per Præcepta. Sed quod homo totaliter ea, quæ sunt Mundi, abjiciat, non est necessarium ad perveniendum in finem prædictum: Ut Homines expeditiùs perveniant ad Beatitudinem.
quia potest homo utens rebus hujus Mundi, dummodò in eis finem non constituat, ad Beatitudinem Æternam pervenire: sed expeditiùs perveniet, totaliter bona hujus Mundi abdicando; & ideo de hoc dantur Consilia Evangelii. Bona autem hujus Mundi, quæ pertinent ad usum humanæ vitæ, in tribus consistunt, scilicèt in divitiis exteriorum bonorum, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum: & in deliciis carnis, quæ pertinent ad concupiscentiam carnis: & in honoribus, quæ pertinent ad superbiam vitæ, sicut patet 1.Joan.2. Hæc autem tria totaliter derelinquere, secundùm quod possibile est, pertinet ad Consilia Evangelica. In quibus etiam tribus fundatur omnis Religio, quæ statum perfectionis profitetur. Nam Divitiæ abdicantur per Paupertatem, deliciæ carnis per perpetuam Castitatem, superbia vitæ per Obedientiæ servitutem. Hæc autem simpliciter observata pertinent ad Consilia simpliciter proposita: sed observa-

Bona hujus vitæ consistunt in divitiis, deliciis, & honoribus.

tio

tio uniuscujusque eorum in aliquo speciali casu, pertinet ad Consilium secundùm quid, scilicèt in casu illo, putà cum homo dat aliquam eleæmosynam pauperi, quando dare non tenetur, Consilium sequitur quantùm ad factum illud. Similiter etiam quando aliquo tempore determinato à delectationibus carnis abstinet, ut orationibus vacet, Consilium sequitur pro tempore illo. Similiter etiam quando aliquis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quod licitè posset facere, Consilium sequitur in illo casu, putà si benefaciat inimicis suis, quando non tenetur: vel si offensam remittat, cujus justè posset exigere vindictam. Et sic etiam omnia Consilia particularia ad illa tria generalia, & perfecta reducuntur.]

Alia Consilia ad illa tria de Paupertate, Castitate, & Obedientia reducuntur.

10 Hæc igitur in Nova Lege, sed præterea omnis alia Scriptura post Christum, nempe Evangelia quatuor, Actus Apostolorum, Apocalypsis, Epistolæ Pauli, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ Zelotis, Novum constant Testamentum.

SECTIO VII.

Utriusque Testamenti differentia.

Tres status hominis, quo ad spiritualia.



1 Notanda Sancti Dionysii Areopagitæ doctrina, quam affert D.Thomas, triplicem videlicèt esse hominum statum: primum Veteris Legis: secundum Novæ Legis: tertium succedentem in Patria. Sed sicut primus status est figuralis, & imperfectus respectu status Evangelii: ita hic status est figuralis, & imperfectus respectu status Patriæ, quo veniente, iste status evacuatur, sicùt dicitur 1. ad Cor. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Absolutè tamen status Gratiæ perfectus est per Christi mortem, per quam evacuavit Mosaicæ Legis instituta. 1.2. q. 106. a. 4. ad 1.

Lex Vetus data per Angelos. Nova per Christum.

2 Pluribus autem Veteri Testamento Novum supereminet, quorum præcipua seligemus. Primò ex modo, quo utrumque datum fuit; Vetus enim traditum Moysi fuit per Angelos Ministros, per quos Deus Duci loquebatur Israëlitici Populi. Novum verò per ipsum Deum in assumpta Humanitate. Unde Apostolus: Multifariàm multisque modis olìm Deus loquens Patribus in Prophætis: novissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio &c. Similiter ex alia di- 1. 2. q. 98. ar. 3. cor. Ad Hebr. cap. 1.

ver-

1.2. q. 106. a. 2. ad 3. versitate, quam adducit *S.Doctor*: [Legem Novam, & Veterem unus Deus dedit, sed aliter, & aliter. Nam Legem Veterem dedit scriptam in tabulis lapideis: Legem autem Novam dedit scriptam in tabulis cordis carnalibus, ut Apostolus dicit 2. ad Cor. 3. Proinde sicut Augustinus dicit in Libro de Spiritu, & Litera, Literam istam extra hominem scriptam, & ministrationem mortis, & ministrationem damnationis Apostolus appellat. Hanc autem, scilicèt Novi Testamenti Legem, ministrationem Spiritûs, & ministrationem Justitiæ dicit: quia per donum Spiritûs operamur justitiam, & à prævaricationis damnatione liberamur.] Inter utramque differentia.

3 Alia insuper ratio perfectionis Novæ Legis supra Veterem adducitur à *D. Thoma* ex majori propinquitate illius ad ultimum finem: [Successit enim status Novæ Legis statui Veteris Legis, tanquàm perfectior imperfectiori: nullus autem status præsentis vitæ potest esse perfectior, quàm status Novæ Legis. Nihil enim potest esse propinquius fini ultimo, quàm quod immediatè in finem ultimum introducit: hoc autem facit Nova Lex; unde Apostolus dicit ad Hebr. 10. Habentes itaque Fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, accedamus ad eum. Unde non potest esse aliquis perfectior status præsentis vitæ, quàm status Novæ Legis: quia tantò est unumquodque perfectius, quantò est ultimo fini propinquius.]

1.2. q. 106. a. 4. — Lex Nova ultimo fini propinquior.

4 Possemus etiam Novæ Legis eminentiam probare ex eo, quod Veteris arcana, & continet, & referat, perfusâ per Evangelicos Scriptores luce claritatis super multa, quæ admodùm obstrusa erant, & impervia; & de sola Epistola Pauli ad Hebræos testatur *D. Thomas* ad ea verba: *Etenim perpaucis scripsi vobis*: [Quod verum est respectu mysteriorum, quæ in ipsa continentur. In ista enim Epistola ferè omnia mysteria Veteris Testamenti continentur.] Verùm clariùs ejus perfectio apparet in hoc, quod Nova Lex Veterem implet.

Ad Hebr. cap. ult. D. Thom. ibid. lect. 3. f. — In Epistola Pauli ad Hebræos continentur ferè omnia Mysteria Veteris Legis.

5 Modus autem, quo id præstat, explicatur à *Doctore Angelico* hoc discursu: [Omne perfectum adimplet id, quod imperfecto deest, & secundùm hoc Lex Nova adimplet Veterem Legem, inquantùm supplet illud, quod Veteri Legi deerat. In Veteri autem Lege duo possunt considerari, scilicèt finis, & præcepta contenta in Lege. Finis verò cujuslibet Legis est, ut homines efficiantur justi, & virtuosi, ut suprà dictum est. Unde, & finis Veteris Legis erat justificatio

1.2. q. 107. a. 2. — Lex Nova adimplet Veterem.

tio hominum, quam quidem Lex efficere non poterat, sed figurabat quibusdam cæremonialibus factis, & promittebat verbis. Et quantum ad hoc Lex Nova implet Veterem Legem, justificando per virtutem passionis Christi: & hoc est, quod Apostolus dicit ad Rom. 8. Quod impossibile erat Legi, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis. Et quantum ad hoc Lex Nova exhibet quod Lex Vetus promittebat, secundùm illud 2. Cor. 1. Quotquot promissiones Dei sunt, in illo est, idest in Christo. Et iterùm quantùm ad hoc complet etiam quod Vetus Lex figurabat; unde ad Colos. 2. dicitur de Cæremonialibus, quod erant umbra futurorum, corpus autem Christi, idest veritas pertinet ad Christum; unde Lex Nova dicitur Lex veritatis, Lex autem Vetus, umbræ, vel figuræ. Præcepta verò Veteris Legis adimplevit Christus, & opere, & doctrinâ. Opere quidem, quia circumcidi voluit, & alia Legalia observare, quæ erant tempore illo observanda, secundùm illud ad Gal.4. Factus sub Lege. Suâ autem doctrinâ adimplevit præcepta Legis tripliciter. Primò quidem verum intellectum Legis exprimendo, sicut patet in homicidio, & adulterio, in quorum prohibitione Scribæ, & Pharisæi non intelligebant, nisi exteriorem actum prohibitum. Unde Dominus Legem adimplevit, ostendendo, etiam interiores actus peccatorum cadere sub prohibitione. Secundò adimplevit Dominus præcepta Legis, ordinando quomodo tutiùs observaretur, quod Lex Vetus statuerat. Sicut Lex Vetus statuerat, ut homo non perjuraret, & hoc tutiùs observatur, si omninò à juramento abstineat, nisi in casu necessitatis. Tertiò adimplevit Dominus præcepta Legis, superaddendo quædam perfectionis Consilia, ut patet Matth. 19. ubi dicenti, se observasse præcepta Veteris Legis, dicit: Unum tibi deest, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.]

Justificando homines per virtutem passionis Christi.

Christus opere adimplevit præcepta Legis, & doctrinâ.

Eorum veram intelligentiam tradendo.

Modum observantiæ ordinando.

Quædam perfectionis addēdo.

6 Ampliùs explicat *S. Doctor* quomodo Christus per Novam Legem, præcepta moralia Veteris adimpleverit, quorum Hebræos recta intelligentia latebat: [Dominus circa illa Legis præcepta adimpletionem apposuit, in quibus Scribæ, & Pharisæi non rectum intellectum habebant: & hoc contingebat præcipuè circa tria præcepta Decalogi. Nam circà prohibitionem adulterii, & homicidii existimabant, solùm exteriorem actum prohiberi, non autem interiorem appetitum; quod magìs credebant circà homicidium,

1.2. q. 108. a. 3. ad 1.

Pharisæi existimabant non prohibitos interiores actus ad homicidium, & adulterium.

dium, & adulterium, quàm circà furtum, vel falsum testimonium: quia motus iræ in homicidium tendens, & concupiscentiæ motus tendens in adulterium, videntur aliqualiter nobis à Natura inesse, non autem appetitus jurandi, vel falsum testimonium dicendi. Circà primum verò (præceptum) habebant falsum intellectum, credentes, perjurium quidem esse peccatum, juramentum autem per se esse appetendum, & frequentandum, quia videtur ad Dei reverentiam pertinere. Et ideo Dominus ostendit, Juramentum non esse appetendum, tanquàm bonum, sed melius esse absque juramento loqui, nisi necessitas cogat.]

Et Juramentum esse per se appetendum.

7 Fallebantur etiam Hebræi circà Præcepta Judicialia quantùm ad motivum ea servandi. Unde *D. Thomas*: [Circà Judicialia Præcepta dupliciter Scribæ, & Pharisæi errabant. Primò quidem, quia quædam, quæ in Lege Moysi erant tradita tanquàm permissiones, æstimabant esse per se justa, scilicèt repudium uxoris, & usuras accipere ab extraneis; & ideo Dominus prohibuit uxoris repudium Matth.5. & usurarum acceptionem Luc.6. dicens: Date mutuum, nihil inde sperantes. Alio modo errabant, credentes, quædam, quæ Lex Vetus instituerat facienda propter Justitiam, esse exequenda ex appetitu vindictæ, vel ex cupiditate temporalium rerum, vel ex odio inimicorum: Et hoc in tribus præceptis. Appetitum enim vindictæ credebant esse licitum propter præceptum datum de pœna talionis, quod quidem fuit datum, ut Justitia servaretur, non ut homo vindictam quæreret: & ideo Dominus ad hoc removendum docet, animum hominis sic debere esse præparatum, ut si necesse sit, etiam paratus sit plura sustinere. Motum autem cupiditatis æstimabant esse licitum propter præcepta judicialia, in quibus mandabatur restitutio rei ablatæ fieri etiam cum aliqua additione; & hoc quidem Lex mandavit propter Justitiam observandam, non ut daret cupiditati locum: & ideo Dominus docet, ut ex cupiditate, nostra non repetamus, sed simus parati, si necesse fuerit, etiam ampliora dare. Motum verò odii credebant esse licitum propter præcepta Legis data de hostium interfectione; quod quidem Lex statuit propter Justitiam implendam, non propter odia exsaturanda: & ideo Dominus docet, ut ad inimicos dilectionem habeamus, & parati simus, si necesse fuerit, etiam benefacere: hæc enim præcepta secundùm præparationem animi sunt accipienda, ut Augustinus exponit.]

Ibid. ad 2.

Pharisæi errantes circà repudium, & usuras.

Circà appetitum vindictæ, cupiditatis, & odii,

8 Exindè *Hieronymus* hanc completionem Legis Ve-

teris affert super Christi verba: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere*: breviter modò dicta perstringens: [Sivè quod de se per alios prophætata compleverit: sivè quod ea, quæ antè propter infirmitatem audientium, rudia, & imperfecta fuerant, sua prædicatione compleverit, iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiscentiam damnans.]

Per Christi doctrinam convincebantur.

Lib. 1. Cōm. in cap. 5. Matth.

SECTIO VIII.

Alia Novæ Legis suprà Veterem prærogativa.

1 E aliis utriusque Testamenti differentiis legendus *Noster Segobiensis* fusè agens. Eam prætermittere non licet, quam sæpè exaggerat Apostolus, & propositâ præsertim allegoriâ de duobus Filiis Abrahæ, magnificè explanat: [Scriptum est, quoniam Abraham duos Filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera: sed qui de Ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de Libera, per repromissionem, quæ sunt per Allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta; unum quidem in Monte Sina in servitutem generans: quæ est Agar, (Sina enim Mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem) & servit cum filiis suis. Illa autem, quæ sursùm est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra .... Itaque Fratres non sumus Ancillæ filii, sed Liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.] Vetus enim Lex homines sub servitutis jugo posuerat: quod intelligi potest in eis verbis: *Juga bovum emi quinque*, si per ea quinque Libros Moysi figuratos non incongruum est explicare. Et juga quidem *bovum*: quia nedùm infirmos, sed robustiores premebant.

De Præd. Evang. lib. 2. cap. 8. usque ad cap. 12.

Lex Nova præsignata per Isaac: Vetus per Ismaël.

Ad Gal. 4.

Lex Vetus, Lex Servitutis.

2 Sicut enim cum ex Allophylorum finibus Arca Fœderis, in qua Decalogi Tabulæ, remitteretur: [Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes, & *mugientes*: & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.] Velùt lamentabundæ vitulorum absentiam domi conclusorum: Ita jugo Legis pressi homines arcam Veteris Testamenti *trahebant*, idest præceptorum observantiam coactè exhibentes, non

1. Reg. cap. 6.

Etiam Justis gravis.

modò

modò perversi, sed & qui pietate celebres, & à recto non aberrantes: ponderis tamen gravamen vix substinere posse querebantur. Quod in primo OEcumenico Concilio Jerosolymis celebrato Petrus expressit, dum ageretur, num Gentiles, qui baptismo lustrabantur, ad Cæremonialia Mosaica obligari oporteret: [Nunc ergo quid tentatis Deum imponere *jugum* super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum, & illi.]

Actor. cap. 15.

3 In locum autem citatum Apostoli *D. Thomas* conditionem servitutis in Veteri, libertatis in Novo Testamento exponit, dicens: [Secundò verò proponit ad quid sit datum, quia non ad faciendum liberos, sed filios matris ancillæ, generans in servitutem: quæ est Agar, idest significatur per Agar, quæ quidem in servitutem generat, scilicèt Vetus Testamentum. Et hoc tripliciter, scilicèt quantùm ad affectum, quantùm ad intellectum, & fructum. Quantùm ad intellectum quidem secundùm cognitionem, quia in homine est duplex cognitio: una libera, quando scilicèt rerum veritatem secundùm seipsam cognoscit: alia verò ancilla, idest subiecta velaminibus figurarum; & talis fuit cognitio Veteris Testamenti. Quantùm ad affectum verò: quia Nova Lex generat affectum amoris, qui pertinet ad libertatem: nam qui amat, ex se movetur. Vetus autem generat affectum timoris, in quo est servitus: qui enim timet, non ex se, sed ex alio movetur. Rom.8: Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, &c. Et quantùm ad fructum: quia Lex Nova generat filios, quibus debetur hæreditas: sed illis, quos Vetus generat, debentur munuscula, sicut servis. Joa.8: Servus non manet in domo in æternum, filius manet in domo in æternum. . . . Quæ servit cum filiis suis, servitute scilicèt Legalium observantiarum, à qua redemit nos Christus, & servitute diversorum peccatorum.]

In Epist. ad Gal. cap. 4. Lect. 6.

In homine duplex cognitio, libera, & ancilla.

Nova Lex generat amoris affectum. Vetus autem affectum timoris.

4 Nè autem quod D. Thomas ex Apostolo explanavit servitute pressos à Veteri Lege homines, à Nova libertate donatos, difficilè quis sibi persuaderi putet: quomodò Evangelium quoque speciem servitutis præseferat, explicabimus. Nam Christianorum tùm Intellectus, tùm Voluntas maximè compediri videntur. Ille obligatus ad adhærendum rebus Fidei, omni seposito discursu, & indagatione, dicente Apostolo: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Namque, ut ait Gregorius: [Divina operatio

Etiam servitus in Evāgelio, sed decens, & nobilis.

2. Cor. 10.

Qua captivatur Intellectus.

ratio si Ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec Fides habet meritum, cui humana Ratio præbet experimentum.] Et de Mysterio Nativitatis Christi loquens *S. Leo Papa*: [Cum ergo ad intelligendum Sacramentum Nativitatis Christi, qua de Matre Virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ Fidei oculo, mundanæ sapientiæ fumus abscedat.]

Hom. 26. in Evang.

Ser. 7. de Nat.

Et coërcetur affectus.

5 Quàm verò Evangelium hominis affectum liget, & coarctet, eo claret, quod cum in potestate, & indifferentia ad utrumlibet agendum humana constituatur libertas: hæc utique Evangelico præcepto, à sequendo malum oppositum, velut habenis quibusdam retrahitur, indictâ appetitui à delectabilibus abstinentiâ; ut illud Psalmi hùc congruat: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis*. Plura siquidem in Lege Moysis permissa, in Nova prohibentur, ut nulli hominum non notum est.

Psal. 149.

Differentia inter servitutē inductam ab utraque Lege.

6 Sed verè Dominus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & Legis olìm servituti subiectos, in libertatem gloriæ Filiorum Dei asseruit. Quoniam etsì Fidei arcana occultissima: quia Sacramentum Regis absconsum est: nè appropiet ad visionem magnam, ne audactèr ingrediatur in interiora velaminis, humanæ sit inhibitum menti, quam utique altissimis Fidei articulis, humiliatam sub potenti manu Dei se submittere justum est: eorum tamen obscuritas, sine qua Fides evacuatur, nùnc quidem auget Fidei meritum, tùnc arguebat cognitionis servitutem: quæ in nobis servitutem exuit, remotis imaginum velamentis. Illud enim Incarnati Verbi Mysterium, quod Sacramentum absconditum à Sæculis in Deo appellavit Apostolus, principibus Sanctimoniæ Viris sub prophæticarum involucro visionum præostensum, consummatis dispensationibus, quas antiqui Testamenti Eloquia nunciabant, omnibus Gentibus lumen suum invexit: Viderunt enim omnes fines terræ salutare Dei nostri. Quare nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, illi dicimus: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus.

Ad Ephes. cap. 3.

Lex Vetus, & Nova per Arcturum, & Plejades designatæ.

* Allegoria.

7 Ad hoc optimè facit nobilis *Gregorii* ponderatio verborum Job: Numquid conjungere valebis micantes stellas Plejades, aut girum Arcturi poteris dissipare? [Potest igitur per Arcturum, qui à plaga frigoris nascitur, Lex: per Plejades verò, quæ ab Oriente surgunt, Testamenti Novi gratia designari. * Quasi enim ab Aquilone Lex venerat, quæ tantâ subditos rigiditatis asperitate terrebat. Nam dùm pro culpis

Cap. 38.

Lib. 29. mor. cap. 16.

culpis suis alios præciperet lapidibus obrui, alios gladii morte mulctari, plaga torpens, & velùt à sole Charitatis aliena, præceptorum suorum semina plùs premebat ex frigore, quàm ex calore nutriebat..... Plejades verò Testamenti Novi gratiam tantò apertiùs indicant, quantò cuncti liquidò cernimus quod per illud Fideles suos Spiritus Sanctus septiformis muneris lumine illustrat. Quaquà igitur se Arcturus vertit, Plejades ostendit: quia per omne, quod Testamentum Vetus loquitur, Testamenti Novi opera nunciantur. Sub textu enim literæ tegit mysterium prophætiæ. Et quasi inclinat se Arcturus, & demonstrat: quia dum ad spiritalem intellectum flectitur, significata per illum lux gratiæ septiformis aperitur. Et propinquante diei luce, stellarum ejus ordo distenditur: quia postquam per semetipsam nobis Veritas innotuit, ab obsequiis carnalibus literæ præcepta laxavit..... At verò Conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per Divinitatis suæ potentiam simul se habere omnes Sancti Spiritûs Virtutes edocuit, micantes proculdubio Plejades junxit. Dum verò Plejades jungit, Arcturi girum dissipat: quia dum semetipsum factum hominem habere cunctas Sancti Spiritûs operationes innotuit, in Testamento Veteri literæ laborem soluit: ut Fidelis quisque jam cum libertate Spiritûs illud intelligat, cui priùs in formidine inter tot discrimina serviebat.]

Lex Vetus Novam præmonstrabat.

Christus laborem soluit Veteris Legis intelligendæ.

8 Non igitur pretio æxtimanda libertas carnis, sed Spiritûs: illa, potestate quodlibet agendi constat, quam homo si jactet, comparabitur jumentis insipientibus, similis factus illis. Alia verò secundùm humanæ nobilitatis conditionem, Rationis ordine operans, inordinatos motus appetitûs sensitivi coërcet: ut non quæ sunt carnis sapiant, sed quæ sunt spiritûs sentiant. Neque hoc Evangelicæ Libertati sat est, sed hominem supra se levat; nam animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt: ideoque per difficillium præceptorum (effræni sensuum dissolutione cohibitâ, passionum restibus à bono sequendo non præpeditus) arctam viam alacriter currit, cum dilatat Charitas cor ejus, & maximè disponitur ad specialem Spiritus Sancti impressionem, quæ (ut mystica Animalia illa Ezechieli ostensa) ubi est impetus Spiritûs, illùc liberè gradiatur; nam ut ait Apostolus. *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

Libertas vera conveniens homini.

Elevata per Evangelium.

Cap. 1.

Liberè properat ad perfectionē.

2. Cor. cap. 3.

9 Ad quæ verba perpendenda est animadversio *D. Thomæ* dicentis: [Sciendum autem, quod occasione istorum verborum, scilicèt: ubi Spiritus Domini, ibi libertas; & illorum,

Ibid. lect. 3.

lorum, scilicèt: Justo Lex non est posita ; aliqui erroneè dixerunt, quod Viri spirituales non obligantur præceptis Legis Divinæ. Sed hoc est falsum : nam præcepta Dei sunt regula Voluntatis humanæ. Nullus autem homo est, nec etiam Angelus, cujus Voluntatem non oporteat regulari, & dirigi Lege Divina. Unde impossibile est, aliquem hominem præceptis Dei non subdi. Hoc autem quod dicitur : Justo Lex non est posita, exponitur, idest: propter justos, qui interiori habitu moventur ad ea, quæ Lex Dei præcipit, Lex non est posita; sed propter injustos, non quin etiam justi ad eam teneantur. Et similiter : ubi Spiritus Domini, ibi libertas, intelligitur: quia liber est, qui est causâ sui : Servus autem est causâ Domini. Quicumque ergo agit ex seipso, liberè agit: qui verò ex alio motus, non agit liberè. Ille ergo, qui vitat mala, non quia mala, sed propter mandatum Domini, non est liber: Sed qui vitat mala, quia mala, est liber. Hoc autem facit Spiritus Sanctus, qui mentem interiùs perficit per bonum habitum, ut sic ex amore caveat, ac si præciperet Lex Divina: & ideo dicitur liber, non quin subdatur Legi Divinæ, sed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum, quod Lex Divina ordinat.]

Viri Spirituales etiam Legi subjecti.

Et tamen perfectè liberi.

10 Parùm aliter alibi id explicat *Doctor Sanctus* : [Ratio illa procedit de subiectione, quæ est per modum coactionis: Sìc enim justo non est Lex posita: quia ipsi sibi sunt Lex, dum ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, sicut Apostolus ad Rom. 2. dicit; unde in eos non habet Lex vim coactivam, sicut habet in Injustos.] Et paulò post : [Lex Spiritus Sancti est superior omni Lege humanitùs positâ; & ideo Viri spirituales secundùm hoc, quod Lege Spiritus Sancti ducuntur, non subduntur Legi quantum ad ea, quæ repugnant ductioni Spiritus Sancti. Sed tamen hoc ipsum est de ductu Spiritus Sancti, quod homines spirituales Legibus humanis subdantur, secundùm illud 1. Pet. 2. Subditi estote omni humanæ Creaturæ propter Deum.]

1. 2. q. 96. a. 5. ad 1.

In quos Lex nō habet vim coactivam, sed directivam.

Ibid. ad 2.

11 Libertatem itaque nobis Nova Lex adstruxit, veteri servitute solutâ, cum Apostolus loquens de homine Spiritûs Sancti gratiâ adoptato, dicat: *Itaque jam non est Servus sed Filius*. Ubi *D. Thomas*: [Ponit fructum hujus beneficii; & primò quantùm ad remotionem omnis mali, à quo liberamur per adoptionem Spiritus Sancti, & hæc est liberatio à servitute. Et quantum ad hoc dicit: Itaque, scilicèt quia Spiritus clamat Pater, jam à tempore Gratiæ, non est aliquis Nostrûm, qui in Christum credimus, Servus, in timo-

Ad Gal. 4.

Ibid. lect. 3. ad fi.

Utpotè Filios adoptatos gratiâ Spiritus Sancti.

re

re scilicèt serviens. Joan. 15. Jam non dicam vos servos, sed amicos, &c. Sed est filius. Rom. 8: Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei. Licèt enim conditione Servi simus, quia dicitur Lucæ 17: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; tamen non sumus servi malivoli, ex timore scilicèt servientes: quia tali servo debentur tortura, & compedes: Sed sumus servi boni, & fideles, & amore servientes, & ideo libertatem per Filium consequimur.]

Licèt naturali conditione Servos Dei.

12 Meritò proindè Vetus dicitur *Lex Timoris*, Nova autem *Lex Amoris*, quod clarè explicat *D. Thomas*: [Omnes differentiæ, quæ assignantur inter Novam Legem, & Veterem accipiuntur secundùm perfectum, & imperfectum. Præcepta enim Legis cujuslibet, dantur de actibus Virtutum: ad operanda autem Virtutum opera aliter inclinantur Imperfecti, qui nondùm habent Virtutis habitum, & aliter illi, qui sunt per habitum Virtutis perfecti. Illi autem, qui nondùm habent habitum Virtutis, inclinantur ad agendum Virtutis opera ex aliqua causa extrinseca, putà ex comminatione pœnarum, vel ex promissione aliquarum extrinsecarum remunerationum, putà honoris, vel divitiarum, vel alicujus hujusmodi. Et ideo Lex Vetus, quæ dabatur imperfectis, idest nondùm consequutis gratiam spiritualem, dicebatur *Lex Timoris*, inquantum inducebat ad observantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promissa. Illi autem, qui habent Virtutem, inclinantur ad Virtutis opera agenda propter amorem Virtutis, non propter aliquam pœnam, aut remunerationem extrinsecam: & ideo Lex Nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur *Lex Amoris*, & dicitur habere promissa spiritualia, & æterna, quæ sunt objecta Virtutis, præcipuè Charitatis: & ita per se in ea inclinantur, non quasi in extranea, sed quasi in propria.]

1. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

Lex Vetus Lex Timoris: Nova verò Amoris.

Illa inducens ad observantiam timore pœnæ.

Hæc autem amore Virtutis.

13 Nec mirum, ut enim ait in Epistola sua Joannes: *Timor non est in Charitate, sed perfecta Charitas foràs mittit timorem*. De quo autem timore intelligendus veniat, audiamus *D. Thomam*: [Notandum, quod quadruplex est Timor: unus servilis, qui est solius gehennæ: alius initialis, qui est timor gehennæ, & offensæ Divinæ: alius est filialis, qui est timor solius offensæ Divinæ: quartus est reverentiæ, qui est Majestatis Divinæ, resiliens in suam propriam parvitatem. Primus non est in Charitate, sed præparat ei locum, & cum

1. Joan. cap. 4.

Ibid.

Timor quadruplex, Servilis, Initialis, Filialis, reverentiæ. Quinam perfectior.

& eam tandem introducit, sicut seta, vel acus filum, ut dicit Augustinus. Secundus non est in perfecta Charitate, de qua loquitur hìc secundùm Glossam. Tertius major est in magìs perfectis: quia magìs perfecta Charitate viæ, sed non Patriæ. Quartus manet cum Charitate perfecta Patriæ, de quo Psal. 18: Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi. Sed perfecta Charitas perfectione excellentiæ, non solùm sufficientiæ, foràs mittit timorem gehennæ, scilicèt initialem: aliud est enim timere Deum, nè te in gehennam mittat: aliud nè te deserat, ut ait Augustinus.]

14 Claudatur nunc Sectio hæc alia observatione *D.Thomæ* ad ea Apostoli verba: *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterùm in timore*: [Timor habet duo objecta, scilicèt malum, quod quis timendo refugit, & illum à quo sibi hoc malum imminere videt: dicitur enim homo timere, & occisionem, & Regem, qui potest occidere. Contingit autem, quod malum, quod quis refugit, est contrarium bono corporali, vel temporali, quod quis interdùm inordinatè amat, & refugit pati ab aliquo homine temporali. Et hic est timor humanus, vel mundanus, & non est à Spiritu Sancto: & hunc prohibet Dominus Matt. 10: nolite timere eos, qui occidunt corpus. Alius autem est timor, qui refugit malum, quod contrariatur Naturæ creatæ, scilicèt malum pœnæ; sed tamen non refugit hoc pati à causa spirituali, scilicèt à Deo: & hic timor est laudabilis quantum ad salutem in eo, qui Deum timet. Deuter. 5: Quis det, eos talem habere mentem, ut timeant me? Et secundùm hoc à Spiritu Sancto est; sed in quantum talis timor non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicèt peccatum, sed solùm pœnam, non est laudabilis; & istum defectum non habet à Spiritu Sancto, sed ex culpa hominis: sicut, & Fides informis, quantum ad id, quod est Fidei, est à Spiritu Sancto, non autem ejus informitas. Unde etsì per hujusmodi timorem aliquis bonum faciat, non tamen benè facit, quia non facit spontè, sed coactus metu pœnæ, quod propriè est Servorum: & ideo timor iste propriè dicitur Servilis, quia serviliter facit hominem operari. Est autem tertius timor, qui refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicèt peccata, vel separationem à Deo, & hoc quidem timet incurrere ex justa Dei vindicta; & sìc quantum ad utrumque objectum respicit rem spiritualem, sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam. Et hic timor dicitur initialis, quia solet esse in hominibus in initio suæ conversionis. Timent enim pœnam

Ad Rom. cap. 8.

Ibid. lect. 3.

Timor humanus, mundanus, & servilis.

Timor humanus, bonus, qui, & unde deficiēs.

Timor initialis qui solet esse in initio conversionis ad Deum.

nam propter peccata præterita, & timent separari à Deo per peccatum, propter gratiam Charitatis infusam. Et de hoc dicitur in Psal. Initium Sapientiæ timor Domini. Est autem quartus timor, qui ex utraque parte oculum habet solùm ad rem spiritualem, quia nihil timet, nisi à Deo separari: & ille timor est sanctus, qui permanet in sæculum sæculi, ut in Psal. dicitur.] Ex quo discursu conjicere Lector poterit quem timorem, & quam servitutem Nova Lex à suis eliminet Asseclis, & cujus conditionis timorem, ac servitutem in Charitate conservet. Timor Filialis, sanctus, & perfectus.

CAPUT V.

De Sacræ Scripturæ Sensibus, præcipuè de Literali.

SECTIO I.

Qui, & quotuplex Sensus Sacræ Scripturæ.

1 

I Magni Gregorii superiùs relata authoritas memoriæ obversetur, Sacram videlicèt Scripturam ipso loquutionis suæ more cunctis supereminere Doctrinis: quia eodem sermone gestum narrat, & mysterium prodit; perspicuum erit, non ea tantummodò, quæ verbis sonant in Sacris Literis; sed & quæ arcanis significationibus celant, dirigentibus Catholicæ Ecclesiæ, & Patrum regulis, vestiganda. Ideo *Augustinus*: [Tùm demùm, quod per Spiritum Dei Scripturæ conscriptæ sint, & *Sensum* habeant, *non eum solum*, qui in manifesto est, sed alium quemdam *latentem* quamplurimos. *Formæ* enim sunt hæ, quæ describuntur, *Sacramentorum* quorumdam, & Divinarum rerum *imagines*: de quo totius Ecclesiæ una sententia est, esse quidem omnem Legem *Spiritalem*, non tamen ea, quæ *spirat Lex* esse omnibus hominibus *nota*, nisi jis solùm, quibus gratia Spiritus Sancti in verbo Sapientiæ, ac Scientiæ condonatur.]

Lib. de Incarn. Verbi ad Januar. cap. 5. tom. 4.

Sensus multiplices in Sacra Scriptura.

2 Quod per analogiam ad Verbum incarnatum aptissimè explicat *Cyrillus*: [Sicùt in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria carne vestitum processit in hunc Mundum: & aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur ...... Ita & cum per Prophætas, vel per Legislatorem Verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicùt ibi carnis, ita hic Literæ velamine tegitur: ut Litera quidem aspiciatur tanquàm caro, latens verò intrinsecùs Spiritalis Sensus, tanquàm Divinitas sentiatur.] Et quemadmodum Filii Hominis contemplatio ad confitendum, Patre ostendente, Dei Filium, Petri fidelem intuitum acuit, dicente *Hilario*: [Beatus hic est, qui *ultra humanum*, oculos intendisse,& vidisse laudatus est: non id, quod ex carne, & sanguine erat contuens, sed Dei Filium, Cœlestis Patris revelatione conspiciens.] Ita qui Sacri verbi scripti non extimam dumtaxàt faciem, Sensum videlicèt Literalem, sed Spiritalem quoque, velùt interiorem ejus aspectum perquirit, est maximè commendandus.

Lib. 1. in Levit.

Mysticus latens in Literali.

Commendandi eorum vestigatores.

Comm. in cap. 16. Matth.

3 Sensus in communi Sacræ Scripturæ definiri potest: *Manifestatio Veritatis, vel immediatè habita ex verbis significantibus res: vel mediatè ex rebus significatis per verba, quæ res, alias etiam res significant.* Quæ definitio utrumque sensum in prima divisione adequatè complectitur, Literalem videlicèt, & Spiritualem. De quo *D. Thomas*: [Sacra Scriptura ad hoc Divinitùs est ordinata, ut per eam nobis *Veritas manifestetur* necessaria ad salutem. Manifestatio autem,vel expressio alicujus veritatis potest fieri de aliquo rebus, & verbis: inquantùm scilicet *verba significant res, & una res potest esse figura alterius*. Author autem rerum non solùm potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figura alterius. Et secundùm hoc in Sacra Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundùm quod res significatur per verba, & in hoc consistit Sensus Literalis: alio modo secundùm quod res sunt figuræ aliarum rerum, & in hoc consistit Sensus Spiritualis.]

Sensûs Sacræ Scripturæ Definitio.

Deus potest accommodare nedùm verba ad significandum res per sensum Literalem.

Quodl. 7. ar. 17. cor.

Sed etiàm res ad significandas alias res per sensum mysticum.

4 Et quamvìs uterque in plures subdividatur, ut infra dicemus de jis, qui reducuntur ad Literalem; hic tamen singularis remansit: Spiritualis verò in Allegoricum, Tropologicum, Anagogicum subsectus, celebres cum Literali quatuor Scripturæ Sensus confirmat. Cujusmodi divisionis *Noster Segobiensis* authorem censet *Augustinum* (quem etiam

Sensus Literalis unus.

Spiritualis triplex.

Lib. 2. cap. 12.

D. Thom. Quodl. 7. a. 15. in 1. arg. Sedc.

Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 3.

Sensus Scripturæ divisio ex Augustino.

etiam citat D. Thomas) dicentem: [Id, quod in Divinis Scripturæ Libris maximè illorum Lectorem animadvertere decet, est nempè, quod quatuor modis utplurimùm Scriptura Sancta loqui consuevit. Aliquando enim Historias narrat, & hic Sensus *Historicus* appellatur, qui alio nomine *Literalis* dicitur. Quandoque verò Virtutum opera nobis proponit, & suadet, quæ animæ nostræ salutem respiciunt: & hic Sensus *Tropologicus* appellatur, qui aliàs *Moralis* denominatur, quia ipsos hominum mores concernit. Aliquando autem per ea, quæ nobis proponit, quæ ventura sunt illuminat, sicuti veritatem per figuram: & hic Sensus *Allegoricus* vocatur. Quandoque tandem nobis Cœlestia præsentat, atque Regni Cœlorum superna intimat: & hunc Sensum *Anagogicum* appellamus.]

Apud D. Thom. loco cit. in 2. arg. Sedc.

Lib. Spirit. Formular.

Beda, & Eucherio.

5 Consentit *Beda*: [Quatuor sunt Sensus Sacræ Scripturæ: Historia quæ res gestas loquitur: Allegoria, in qua aliud ex alio intelligitur: Tropologia, idest Moralis loquutio, in qua de moribus ordinandis tractatur: Anagogia, per quam de summis, & Cœlestibus tractaturi ad superiora reducimur.] Sed & *Sanctus Eucherius*: [Quatuor sunt Divinarum expositionum genera: Historicum, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. Historica expositio est, quæ veritatem nobis factorum, ac fidem relationis inculcat. Tropologica, sivè Moralis expositio est, quæ ad vitæ emendationem mysticos intellectus refert. Allegorica expositio est, quæ gestorum narrationem, futurorum umbram prætulisse demonstrat: Anagogica expositio est, quæ ad sacratiora Cœlestium figurarum secreta perducit.]

Rhet. Chr. Par. 3. cap. 13.

Lib. de util. cred. ad Honor. cap 3.

Lib. de Gen. ad lit. imperf. cap. 2. tom. 3.

6 Licèt verò *P. Valades* Seraphici Instituti nimiùm eruditus censeat, aliter quatuor Sensus traditos fuisse ab Augustino, scilicèt secundùm Historiam, Allegoriam, Analogiam, & Ethyologiam; ibi tamen apertè loquitur in quorumdam sententia, quod & alibi repetit, dicens: [Quatuor modi a quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur Legis exponendæ, secundùm Historiam, secundùm Allegoriam, secundùm Analogiam, secundùm Ethyologiam. Historia est, cum sivè Divinitùs, sivè humanitùs res gesta commemoratur: Allegoria, cum figuratè dicta intelliguntur, Analogia, cum Veteris, & Novi Testamentorum congruentia demonstratur: Ethyologia, cum dictorum, factorumque causæ redduntur.] Quod clariùs constabit infra agendo de divisione Sensûs Literalis.

7 Congruit huic in quatuor Sensus divisioni, Litera-

 lem,

lem, Tropologicum, Allegoricum, Anagogicum, ratio assignata à *D.Thoma*: [Distinctio istorum quatuor Sensuum hoc modo accipi debet. Sicut enim dictum est, Sacra Scriptura veritatem, quam tradit, dupliciter manifestat, per verba, & per rerum figuras. Manifestatio autem, quæ est per verba facit *Sensum Historicum, sivè Literalem*: unde totum id ad Sensum Literalem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione rectè accipitur. Sed *Sensus Spiritualis*, ut dictum est, accipitur, vel consistit in hoc, quod quædam res per figuras aliarum rerum exprimuntur: quia visibilia solent esse figuræ invisibilium, ut Dion. dicit. Inde est, quod Sensus iste, qui ex figuris accipitur, spiritualis vocatur. Veritas autem, quam Sacra Scriptura per figuras rerum tradit, ad duo ordinatur, scilicèt ad rectè credendum, & ad rectè operandum. Si ad rectè operandum, sìc est Sensus Moralis, qui alio nomine Tropologicus dicitur. Si autem ad rectè credendum, oportet distinguere secundùm ordinem credibilium: ut enim Dion. dicit 4. cap. Cœl. Hierar. Status Ecclesiæ medius est inter statum Synagogæ, & statum Ecclesiæ triumphantis. Vetus ergo Testamentum figura fuit Novi: Vetus simùl, & Novum figura sunt Cœlestium. Sensus ergo Spiritualis ordinatus ad rectè credendum potest fundari in illo modo figurationis, quo Vetus Testamentum figurat Novum; & sìc est Allegoricus Sensus, vel Typicus, secundùm quod ea, quæ in Veteri Testamento contigerunt, exponuntur de Christo, & Ecclesia: vel potest fundari in illo modo figurationis, quo Novum simul, & Vetus significant Ecclesiam triumphantem, & sìc est Sensus Anagogicus.]

Quodl. 7. ar. 15. cor.

Hujus Divisionis congrua ratio.

Et quatuor Sensuum explanatio.

SECTIO II.

Definitur, & exponitur Sensus Literalis.

1 

X allatis D.Thomæ verbis, sicut etiam ex Hieronymo, & Augustino optimam eruit *P. Antonius à Matre Dei* Sensûs Literalis definitionem hujusmodi: *Sensus Literalis est, qui per verba scripta, sivè in acceptione propria, sivè in metaphorica, sumptus, ex intentione Spiritûs Sancti immediatè significatur.* Quæ definitio facilè capitur, si observetur doctrina D. *Thomæ* dicentis: [De aliquo Nomine dupliciter convenit loqui. Uno modo

Sensûs Literalis Definitio.

Hieron. Epist. 150.

Aug. lib. de util. cred. cap. 3.

P. à Mat. Dei Prel. 3. dub. 3. §. 1.

1.p. q. 67. a.1.cor. modo secundùm primam ejus impositionem: alio modo secundùm usum nominis. Sicùt patet in nomine visionis, quod primò impositum est ad significandum actum sensûs Visûs: sed propter dignitatem, & certitudinem hujus sensûs extensum est hoc nomen secundùm usum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sensuum. Dicimus enim: vide quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum. Et ulteriùs etiam ad cognitionem Intellectûs, secundùm illud Matth. 5. cap: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.]

Nomen considerat secundùm primam impositionem, & secundùm usum.

Visio significat etiam cognitionem intellectivam.

2 Nimìs ergo formalis est brevis illa definitio Sensûs Literalis tradita à S. Doctore, nempe: *Sensus Literalis est, quem Author intendit*: quia ratio propriæ, & impropriæ in nuper adducta definitione attenditur tantummodò quo ad nos percipientes significationem illius nominis, verbi gratia, *Leo*, apud quos proinde eo nomine propriè accepto significatur *animal*, impropriè autem, *Christus*. Respectu verò Dei ponentis illud nomen *Leo* ad exprimendum Christum, propriè significat Christum, quia hæc fuit intentio Authoris omnia intelligentis, & comprehendentis, ut illud nomen *Leo* significaret literaliter *Christum*, propter ejus fortitudinem. Unde quantùm ad Spiritum Sanctum dictantem, Leo, qui est animal, est id, à quo nomen *Leo* sumitur, non autem id, ad quod significandum à Spiritu Sancto imponitur, intendente significare Christum, metaphoricè quidem quo ad nos, quibus nomen Leo propriè significat *animal*, non verò quoad Deum Authorem, penès quem illud nomen accipitur secundùm id, quod significare Deus vult. Unde *D. Thomas*: [In nomine aliquo est duo considerare, scilicèt illud, ad quod significandum nomen imponitur, & illud, à quo imponitur ad significandum. Frequenter enim imponitur nomen aliquod ad significandum rem aliquam ab aliquo accidente, aut actu, aut effectu illius rei, quæ tamen non sunt principaliter significata per illud nomen, sed potiùs ipsa rei substantia, vel natura: Sicut hoc nomen lapis sumitur à læsione pedis, quam tamen non significat, sed potiùs corpus quoddam, in quo tale accidens frequenter invenitur. Unde læsio pedis magìs pertinet ad etymologiam hujus nominis, lapis, quam ad ejus significationem.]

1.p. q.1. a. 10.cor.

Alia formalis definitio Sensûs Literalis exponitur.

Verba metaphorica quomodò in Scriptura à Spiritu Sancto posita.

Quæst.3. de Pot. ar. 3. ad 1.

Id à quo Nomen imponitur, non sèper principaliter significatur per Nomen.

3 Proinde nomen *Leo* (in quibusdam Scripturis intellectum de Christo) quoad nos exprimit metaphoricè Christum, penès Deum Authorem, & volentem, ut illud nomen ibi non exprimat animal brutum, significat immediatè non

Leo-

Vox *Leo* (dum dicitur: vicit Leo &c.) immediatè significat Christum.

Leonem, sed Christum; itaut dicere videatur: *Vicit Christus fortis*: quia tamen nos singularem generoso illi ferarum regi attribuimus fortitudinem, Christum fortissimum significavit Spiritus Sanctus per *Leonem* nobis, ob præcipuam fortitudinem, notissimum. Hoc autem sedulò ponderandum duxi, quia aliud est, quod vox ex primæva impositione hominum immediatè significat; & aliud quod immediatè significat ex intentione loquentis, aut scribentis, super res, & voces potestatem habentis, qui vocem illam à prima, idest à propria penès homines significatione, trahit ad aliam significationem, seù eam ita instituit ex propria potestate, ut primò exprimat non id, quod nobis communiter significat, sed id, quod ipse intendit, & vult ut nobis significet. Atque adeò Sensus Literalis Sacræ Scripturæ semper ille est, quem immediatè significant verba ex intentione Spiritûs Sancti: sed non semper ille, qui exprimitur per voces juxtà earum impositionem, nisi accipiantur metaphoricè. Cujus ratio petitur ex eo, quod, ut docet D. Thomas, Sensui Literali Divinæ Scripturæ nequit subesse falsum: si autem in illa sententia: *Vicit Leo de Tribu Juda*, & in alia: *Ecce Agnus Dei*, nomina *Leo*, & *Agnus* acciperentur in significatione nobis propria, hoc esset falsum; ideò voces illæ literaliter significant ex immediata intentione Spiritus Sancti, non Leonem, & Agnum, sed Christum; quamvìs pluries in aliis Scripturæ locis verba ultrà propriam, alias significationes habeant, secundùm quod in eisdem vocibus plures Sensus Literales continentur, de quibus mox.

Sensus Literalis semper est, quem immediatè significat verba, sed ex institutione Dei.

1. p. q. 1. a. 10. ad 3. Et Qu. 4. de Pot. a. 1. ser.

Redarguuntur qui prætermisso Literali, sensus spirituales rimātur.

4 Interìm non ferenda quorumdam negligentia Concionatorum, qui in mysticis Sensibus eruendis toto incumbunt conatu, Literali omisso, quo sine, & argumenta titubent, & Spiritualis corruat necesse est: hujus enim ille basis est, & fundamentum. Hinc *D. Thomas*: [Illa verò significatio, qua res significata per voces iterùm res alias significat, dicitur Sensus Spiritualis, qui super Literam fundatur, & eam supponit.] Et alibi: [Unde Spiritualis expositio semper debet habere fulcimentum ab aliqua Literali expositione Sacræ Scripturæ: & ita vitatur omnis erroris occasio.] Quod quidem docuerat *Hieronymus*: [Post Historiæ veritatem, intelligenda sunt omnia.] Et super illud Isaiæ 13: *Et erit Babilon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicùt subvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham*; erroris arguit, Literalem Sensum dissimulantes: [Nolumus intelligere quod fuit, & quærimus audire quod non fuit

Qui in Literali fundantur.

1. p. q. 1. a. 10. cor.


Præf. in Isa.

fuit. Et hoc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus; sed quòd Spiritualis Interpretatio sequi debeat ordinem Historiæ: quod plerique ignorantes, lymphatico in Scripturis vagantur errore.] *Et ipsum sequi debent?*

Hom. 2. in Ezech. ini. 5 Docet hoc ipsum *Gregorius*: [Usus Prophæticæ locutionis est, ut priùs Personam, tempus, locumque describat, & postmodùm dicere mysteria prophætiæ incipiat: quatenùs ad veritatem solidiùs ostendendam, ante historiæ radicem figat, & post fructus Spiritûs per signa, & Allegorias proferat.] Nec semèl inculcat *Augustinus*, præsertim: [Cur *Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 7. to. 3.* non potiùs authoritatem Scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res verè gestas priùs intelligentes, demùm quidquid aliud significant perscrutantes?] Cujus Sancti sui Præceptoris authoritate statuit *D. Thomas*, Terrestrem Paradisum non purè mysticè in Scripturis accipi, sed esse locum in orientali plaga, cujus vocabulum à Græco Παράδεισος in latinum vertitur *Hortus*: [Sicut Au- *Paradisus in Genesi propriè accipitur.* *1. p. q. 102. a. 1. cor.* gustinus dicit 13. de Civ. Dei, quæ commodè dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur: dum tamen illius historiæ fidelissima veritas, rerum gestarum narratione commendata, credatur. Ea enim, quæ de Paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicæ proponuntur. In omnibus autem, quæ sìc Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ, & desuper spirituales expositiones fabricandæ.]

SECTIO III.

Sensus Literalis quam subeat Divisionem.

1 

I quando Augustinus Sensum Sacræ Scripturæ in *Historicum*, *Ætyologicum*, *Analogicum*, *& Allegoricum* divisit, priores tres ad Sensum Literalem pertinere, ultimum alios duos complecti, docet *D. Thomas*: [Illa tria, Historia, Ætyologia, Ana- *Sensus Historicus, Ætyologicus, Analogicus, unus sunt Literalis.* *1. p. q. 1. a. 10. ad 2.* logia ad unum Literalem Sensum pertinent. Nam Historia est, ut ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur: Ætyologia verò cum causa dicti assignatur: sicùt cum Dominus assignavit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicèt propter duritiam cordis ipsorum, Matth. 19. Analogia verò est, cum veritas

unius

Item Sensus Parabolicus.

unius Scripturæ ostenditur, veritati alterius non repugnare.] Sensum quoque *Parabolicum* ad Literalem idem Sanctus Doctor reducit. Est autem Parabola in Scripturis frequens, eâque Dominus sæpè utebatur accommodans doctrinam celsissimam infimo turbarum captui. Unde *Hieronymus*: [Familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur. Præcepit itaque Dominus Petro sub comparatione Regis, & Domini, & Servi, qui debitor decem millium talentorum à Domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat Conservis suis minora peccantibus.] Describit verò Parabolam *D.Thomas* exponens illud Prophætæ: *Sumes parabolam istam contra Regem Babylonis*: [Sumes parabolam, idest *Sermonem similitudinarium, qui aliud dicit, & aliud significat*. Per eam enim, quæ dicuntur, significatur conditio Nabuchodonosor quantùm ad potentiam, culpam, & pœnam, propter quæ potuerunt hæc contingere.]

Ibid. a.d 3.

Lib. 3. Cõm. in Matth.

Seù Similitudinarius.

In cap. 14. Isa.

Sensus Literalis divisus in Proprium, & Figurativum, qua regula dignoscendus.

2 Ulteriùs dividi potest Sensus Literalis in *Proprium*, & *Figurativum*, quos appositâ regulâ discernendos docet *D.Thomas*: [Ex ipso enim modo loquendi, quo Scriptura utitur, datur intelligi, quid significetur, ut res gesta, & quid per modum Prophæticæ Visionis. Cum enim aliqua apparitio per modum Visionis debet intelligi, ponuntur aliqua verba ad Visionem pertinentia. Sicut quod dicitur Ezech. 8. Elevavit me Spiritus inter Cœlum, & terram, & adduxit me in Hierusalem in visionibus Domini. Unde patet, quod illa, quæ fieri simpliciter narrantur, simpliciter etiam intelligi debent esse gesta.] Et alibi id confirmans ait: [In his, quæ in Veteri Testamento dicuntur, primò quidem observanda est Veritas Literalis. Sed quia Vetus Testamentum est figura Novi, plerumque in Veteri Testamento sìc aliqua proponuntur, ut ipse modus loquendi aliquid figuratè designet.] Ubi postquam explicasset causas Iridis, ratione quarum in Sensu proprio Literali de Iride dicitur: *Arcum meum ponam in nubibus, & non erunt ultra aquæ diluvii*, subdit, nomine *arcûs*, in Sensu Literali, sed figurativo intelligi Christum: [Ideo autem Scriptura tali modo loquendi utitur, quia per Iridem significatur Christus, per quem protegimur à spirituali diluvio.]

Qu. 6. de Pot. a. 1. cor.

Quodl. 3. a. 30. cor.

Arcûs nomine Christus intelligitur.

Genes. cap. 8.

3 Differentiam autem assignans inter Sensum Figurativum pertinentem ad Literalem, & alium etiam Figurativum

tivum

tivum spectantem ad Mysticum, docet: Significationem similitudinum in prophæticis visionibus ostensarum esse Sensum Figurativum Literalem: Significationem verò earum rerum, quæ ex figurarum ostensione contigerunt ad Christum exprimendum, esse Sensum Spiritualem. Unde loquens de Hirci ostento, Danieli præsentato, ait: [Hircus, vel alia hujusmodi, per quæ aliæ Personæ à Christo, in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquæ, sed similitudines imaginariæ ad hoc solùm ostensæ, ut illæ Personæ significarentur. Unde illa *significatio*, qua per illas similitudines Personæ illæ, aut Regna designantur, non pertinent, nisi ad Historicum Sensum. Sed ad Christum designandum etiam *illa, quæ in rei veritate contigerunt*, ordinantur sicut *umbra* ad veritatem. Et ideo talis *significatio*, qua per hujusmodi *res* Christus, aut ejus Membra significantur, facit alium Sensum præter Historicum, scilicèt Allegoricum. Si alicubi verò inveniatur, quod Christus *significatur* per hujusmodi *imaginarias similitudines*, talis significatio non excedit Sensum Literalem: Sicùt Christus significatur per Lapidem, qui excisus est de Monte sinè manibus. Dan. 2.]

Dan. 8. Quodl. 7. a. 15. ad 1.

Differentia inter Sensum Figurativum Literalem, & Sensum Figurativũ Mysticum.

4 Sensus hic Figurativus in rigore à Metaphorico non discriminari videtur. Unde *Augustinus*: [Huic autem observationi, qua cavemus, *Figuratam* loquutionem, idest *Translatam*, quasi propriam sequi, adjungenda etiam illa est, nè propriam quasi figuratam velimus accipere.] Imò Metaphoricus vocatur Spiritualis ab eodem *Augustino*: [Quare quædam in rebus visibilibus, quasi absurda miscet Spiritus Sanctus: nisi ut ex eo, quod non possumus accipere ad literam, cogat nos ista *spiritualiter* quærere?] Ubi non loquitur de Sensu Mystico, sed de Literali improprio, saltem namque sine hoc, Spiritualis, seu mysticus haberi non potest. Ex eo enim, quod sub literæ cortice grammaticaliter sumptæ absconditus est Metaphoricus Sensus, videtur Spirituali cognatus.

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 9. 10. 3.

Sensus Literalis Figurativus, idem quod Metaphoricus.

In Psalm. 103 conc. 1. ad fi.

5 Metaphorici Sensûs explicationem tradit *D. Thomas*: [Per Literalem autem Sensum potest aliquid significari dupliciter, scilicèt secundùm *proprietatem loquutionis*, sicut cum dico: Homo ridet: vel secundùm similitudinem, seu *metaphoram*, sicut cum dico: pratum ridet. Et utroque modo utimur in Sacra Scriptura; sicut cum dicimus quantùm ad primum, quod Jesus *ascendit*; & cum dicimus, quod *sedet à dextris Dei* quantùm ad secundum. Et ideo sub Sensu Literali includitur Parabolicus, seu Metaphoricus.] Hæc

In cap. 4. Ad Gal. lect. 6.

Metaphorici Sensûs explicatio.

tamen vocis translatio non facit, quod Sensus respectu sui sit improprius, seù impropriè participet modum significandi rem, cujus expressio est intenta ab Authore Scripturæ: sed dicitur improprius respectu vocis, quæ à propria ad aliam non sibi, ex hominum instituto, propriam significationem transfertur. Et in hoc etiam latitudinem patitur. Si enim vox attendatur ex impositione, cum ad aliud significandum est translata, videtur pressè metaphorica, ut cum dico Christum *lapidem*: Si verò attendatur in voce translata usus loquentium, quatenùs vox illa communitèr usurpatur ad significandam aliam rem, sicùt *lux* ad exprimendam quamdam mentis perspicuitatem, vel quamcumque rei manifestationem; tunc vox illa minimum habet metaphorici Sensûs, sed magìs accedit ad Literalem proprium. Ideoque Augustinus asserit, quod Christus non sìc dicitur *lux*, quo modo *lapis*, sed illud *propriè*, hoc *figurativè*.

Christus diversimodè dicitur Lux, & Lapis.

Lib. 4. de Gen. ad lit. cap 28.

SECTIO IV.

Sensus Metaphoricus in Scriptura frequens.

1 Cur Sacra Scriptura tam crebrò veros verborum sensus occultet, multiplicem congruentiam affert *D. Thomas* præcipuè ex Augustino: [Secundùm quod Augustinus dicit in Lib. de Doctr. Christ. utiliter est à Deo dispositum, ut veritas in Sacra Scriptura cum aliqua difficultate manifestetur. Est enim hoc utile ad tollendum fastidium: quia ad ea, quæ sunt difficillia major surgit attentio, quæ tædium tollit. Similiter ex hoc tollitur superbiendi occasio, dum homo difficulter veritatem Sacræ Scripturæ capere potest. Similiter per hoc veritas Fidei ab irrisione Infidelium defenditur. Unde Dominus Matth. 7: Nolite, inquit, Sanctum dare canibus; & Dionysius Timotheum monebat, ut Sancta ab immundis incontaminata servaret.] Usum proinde metaphoris convenientissimè Dominum Authorem Sacræ Scripturæ pluribi probat Augustinus. Sæpè namque oportebat, & rudi populo sensibilia proponere, ut ad intelligibilia reduceretur; & aliorum mentem similitudinibus, & translatis exercere, quibus ad inaccessibilem Majestatem vestigandam, ejusque ineffabiles Perfectiones, & Attributa dignoscenda per quasdam

Sẽsus Metaphoricus cur frequens in Sacra Scriptura.

Quodl. 7. a. 14. ad 2.

Captui rudium accómodatior.

Lib. con. Mend. cap. 10.
Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 5.
Lib. 10. de Civ. cap 14.

dam veluti formas, & impressiones captui proportionatas assuesceret.

2 Hìnc idem *Augustinus* exemplum adducens ex illo Exodi 34: *Dominus Zelotes: Nomen ejus Deus est Æmulator*, sìc loquitur: [Cum præciperet Deus loquens ad Moysen, ut datâ terrâ in potestate, omnis Idololatria everteretur, nec adorarentur Dii alieni, ait: Deus enim Deus *Zelans*, Nomen Deus *Zelator* est: idest ipsum Nomen, quod Dominus Deus dicitur Zelans est, quia Deus Zelator est. Quod non humanæ perturbationis vitio facit Deus, semper, atque omninò incommutabilis, atque tranquillus. Sed hoc modo indicat, non impunè plebem suam per alienos Deos fornicaturam. Ductum est enim verbum à Tropo Metaphora à *Zelo* maritali, qui castitatem custodit Uxoris, quod nobis prodest, non Deo.

Lib. 2. Qu. sup. Exod. qu. 158.

Deus quomodo dicatur Zelotes.

3 Audiendus etiam *Angelicus Præceptor*, quas modò insinuavimus rationes clariùs explicans: [Conveniens est Sacræ Scripturæ, Divina, & spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundùm quod competit eorum naturæ: est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet. Unde convenienter in Sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium; & hoc est, quod dicit Dionysius primo cap. Cœl.Hier. Impossibile est, nobis aliter lucere Divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. Convenit etiam Sacræ Scripturæ, quæ communiter omnibus proponitur, (secundùm illud ad Rom.1. Sapientibus, & insipientibus debitor sum) ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sìc rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundùm se capienda non sunt idonei.]

1. p. q. 1. a. 9. cor.

Homo connaturalitèr per sensibilia ducitur ad intelligibilia.

4 Quin addit *S. Doctor* hujusmodi metaphoras ad Deum significandum, non debuisse desumi ex rebus spiritualibus, sìcque optimè discurrit: [In Creaturis Spiritualibus possumus duo considerare, scilicèt ipsas perfectiones Divinæ Bonitatis secundùm se acceptas; & his nominatur Deus, non quidem symbolicè, sed propriè, sicut dicitur Sapiens, & Intelligens, & hujusmodi. Unde etiam dicitur in Lib. de Causis, quod Deus nominatur nomine primi causati sui, quod est Intelligentia. Vel possumus considerare ipsum modum determinatum participandi hujusmodi perfectiones, qui modus pertinet ad determinatam naturam, vel ordinem

In 1. dist. 34. q. 3. a. 2. ad 3.

Verba Metaphorica ad Deũ significandum, aptiùs desumptæ ex rebus materialibus.

Angelorum. Unde Nomina exprimentia istum modum non possunt propriè de Deo dici; nec etiam metaphoricè: quia metaphora sumenda est ex his, quæ sunt manifesta secundùm sensum. Et ideo nunquàm invenimus Deum in Scriptura nominatum *Cherubin*, vel *Seraphin*, vel aliquid hujusmodi, sicùt *Leonem*, vel *Ursum*, vel hujusmodi.]

Tabernaculum sagis cilicinis opertum.

5 Eapropter sicut Moysi mandatum est: *Facies saga cilicina undecim ad operiendum tectum Tabernaculi*; in quo Arca Dei claudebatur, ut sub tam rudi operimento, tam pretiosa arcana celarentur: providentissimè Deus ad suas ineffabiles Perfectiones hominibus ostendendas, metaphoris nedùm ex rebus materialibus, verùm & admodùm vilibus usus est. Quare *D. Thomas*: [Sicùt docet Dionysius cap. 2. Cœlest. Hier. magis est conveniens, quod Divina in Scripturis tradantur sub figuris vilium corporum, quàm corporum nobilium. Et hoc propter tria. Primò: quia per hoc magis liberatur humanus animus ab errore: manifestum enim apparet, quod hæc secundùm proprietatem non dicuntur de Divinis; quod posset esse dubium, si sub figuris nobilium corporum describerentur Divina; maximè apud illos, qui nihil aliud à corporibus nobilius excogitare noverunt. Secundò, quia hic modus convenientior est cognitioni, quam de Deo habemus in hac vita: magis enim manifestatur nobis de ipso quid non est, quàm quid est; & ideo similitudines illarum rerum, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æxtimationem, quod sit suprà illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertiò, quia per hujusmodi, Divina magis occultantur indignis.]

Exod. 24.

1. p. q. 1. a. 9. ad 3.

Verba Metaphorica ad significandas Divinas Perfectiones, congruentiùs ex vilibus rebus desumpta.

Moyses cur creationem Angelorum non expresserit?

6 Utilitati itaque hominum Deus prospexit in hoc, quod excelsa sua voluerit nominibus rerum infimarum significare. Si enim plures Patres, dissimulasse Moysen silentio creationem Angelorum existimant, nè hebeti mente Populus Judaicus conditionem tam insignium Spirituum admirans, utpotè ad Idololatriam pronus, illis honorem tribueret Divinitatis: poterant etiam homines in tanta Angelorum luce cæcutire, & audientes Deum Cherubin, vel Seraphin nominari, hos Spiritus esse verè Deos crederent. Imò hoc idem si ex nobilium rerum qualitatibus Divina exprimerentur. Unde *S. Doctor* nuper allatam explicatiùs tradens doctrinam, ait: [Nullus enim dubitat, Deum secundùm proprietatem dici non posse aliquod vile animal. Et ideo constat, quod Scriptura hujusmodi Deo secundùm proprietatem non attribuit. Sed apud aliquos Simplices, qui vix aliquid,

In 1. dist. 34. q. 3. a. 2. cor.

præ-

præter sensibilia, suspicari possunt, de facili viderentur ea, quæ sunt nobilissima in corporibus, propriè Deo convenire, si de ipso dicerentur: & ideo similitudines à rebus vilioribus sumptæ, ipsa qualitate rerum retrahunt animum ab errore. Invenitur tamen etiam in nobilibus Creaturis Deus significari in Scriptura, sicut Sole, & Stella, & hujusmodi, non tamen ita frequenter.]

Deus significatur quandoque in Scriptura per nobiles Creaturas.

7 Efficaciter quoque trahimur ad occulta Sapientiæ Dei per ea, quæ nobis sunt quotidiana observatione comperta: ut ex his, quæ oculus videt, animus surgat ad quæ etiam intelligentiam superant; & notas sibi res per tropicas loquutiones transiens, notitiam figurati sensûs exquirat.

Proœm. in Cantic. Quam animadversionem etiam indicarat *Gregorius*: [Quia si cæco, si longè à Deo posito cordi sermo Divinus voce propria, ac voce Divina loqueretur, non caperet: per quædam ænigmata misericorditer monet, & revocat, & per res notas, latenter ei amorem rerum non notarum insinuat: per hoc enim, quod non horret cognitum, intelligit quiddam incognitum.] Ubi in exemplum adductis, quæ mox erant explicanda, amoris corporei verba à Spiritu Sancto dictata in Canticis Canticorum, rapiendis ad Divinam Charitatem humanis affectibus, subdit: [Hìc etiam solertèr intuendum est, nè cùm exteriora audimus, ad exteriora sentienda remaneamus: & machina, quæ ponitur, ut levet, ipsa magìs opprimat, & aggravet. Debemus in verbis exterioribus corporeis, quidquid interiùs est quærere: & loquentes de corpore extrà corpus ferri.]

Deus loquitur per sermones figurativos, ut ad sui cognitionē, & amorem alliciat.

SECTIO V.

Quomodo discernendus Sensus Literalis Proprius à Metaphorico.

1. Cor. 3. 1 Etaphorici quidem Sensûs necessariam esse notitiam colligitur ex *Augustino*, qui Apostolicam Sententiam: *Litera enim occidit*, dupliciter docet verificari. Primò cum quod figuratè dicitur, sumitur secundùm quod vox ipsa sonat, nec penetratur Sensus à Spiritu Sancto intentus, qui proinde Sensus eo modo, quo intentus est, semper vivus est, & vivificus. Unde ait: [Ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus: Litera occidit, Spi-

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 5.

Litera quomodò dicitur ab Apostolo occidere.

Spiritus autem vivificat. Cùm enim figuraliter dictum, sic accipitur tanquàm propriè dictum sit, carnaliter sapitur: neque ulla mors animæ congruentiùs appellatur, quàm cùm id, quod in ea bestiis antecellit, hoceft Intelligentia, carni subjicitur, sequendo Literam.] Secundò, quando his, quæ in Veteri Testamento facta referuntur, obstinata adhæsione insistens,& quid sub verborum superficie lateat negligens perscrutari, quod sonant de Christo, & Ecclesia non percipit quis,& ut loquitur Prophæta,ponit signa sua signa, & non cognoscit sicùt in exitu super summum:quia extrinsecùs significata credit dumtaxàt, non intrinsecùs obstrusa.

Judæi signis adhærentes, significata non vestigabant.

2 Hujus, teste *Augustino*, conditionis fuere Judæi: [Qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, & Dominum contemnentem ista, cum jam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt.] Multoties enim verba Sacræ Scripturæ secundùm primam eorum expressionem intellectæ, ineptum, & indignum quid summâ Authoris Sapientiâ significant, pluribus à Nostro Segobiense allatis exemplis ex Veteri Testamento, præsertìm parabolâ illâ: *Jerunt ligna, ut ungerent super se Regem, dixeruntque Olivæ: impera nobis.* Arbores enim loquutas quis non fabulosum affirmet, si in Sensu Literæ proprio accipiat? Quæ Sponsæ commendabilis forma, cui dicatur: tota pulchra es amica mea; & tamen caput Carmelo, nasus turri, oculi piscinis comparentur, umbilicus acervo tritici, collum Davidico propugnaculo?

Ibid.

Aliqua in Scripturis nequeunt intelligi in Sensu Literali proprio.

Lib. 2. cap. 12.

Judic. cap. 9.

In Cant.

Sed Metaphorico.

3 Aliud itaque sub Litera latere, non extra Literalem Sensum, sed metaphoris obvelatum censeri debet,quod observat *Gregorius*:[Aliquando autem intelligi juxta Literam nequeunt: quia superficietenùs accepta, nequaquàm instructionem legentibus, sed errorem gignunt. Ecce enim dicitur: sub quo curvantur,qui portant Orbem:& de tanto Viro quis nesciat, quod nequaquàm vanas Poëtarum fabulas sequitur, ut Mundi molem subvehi Giganteo sudore suspicetur? ...... Aliquando etiam nè fortassè intelligi juxtà Literam debeant,ipsa se verba Literæ impugnant.Ait namque: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo.Et paulò post subjicit: occupet eam caligo, & involvatur amaritudine. Atque in ejusdem noctis maledictione subjungit: Sit nox illa solitaria. Qui nimirùm nativitatis dies, ipso impulsu temporis evolutus, stare non poterat. Quo igitur pacto hunc involvi caligine optabat, qui elapsus jam erat; & tamen si in rerum natura subsisteret,

Epist. ad Leand. præmissa Libris Mor.

ret, sentire amaritudinem nequaquam posset? Constat ergo, quod nullo modo de die insensibili dicitur, qui sensu percuti amaritudinis optatur. Et si conceptionis nox reliquis noctibus conjuncta discesserat, quo pacto hanc fieri solitariam exorat? Quæ, ut à lapsu temporis figi non potuit, ita etiam nec à reliquarum noctium conjunctione separari . . . . Sed nimirùm verba Literæ dum collata sibi convenire nequeunt, aliud in se aliquid, quod quæratur, ostendunt; ac si quibusdam vocibus dicant : dum nostrâ nos conspicitis superficie destrui, hoc in nobis quærite, quod ordinatum, sibique congruens apud nos valeat intùs inveniri.] Vel Mystico.

4 Juvat nihilominùs advertere, ex ipsa sæpè Litera verum erui Sensum Literalem Metaphoricum, qui tamen nonnunquàm alteri loco Sacræ Scripturæ adversari videtur: quia, quod per unam vocem significatur literaliter, alibi literaliter exprimitur per vocem priori contrariam. Cujus exemplum est in igne significante Spiritum Sanctum: *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, &c.* Et tamen de eodem exponitur, quod Dominus dicit per Prophætam: Et effundam super vos *aquam mundam*, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis Idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri. Propter quod *Cyrillus Jerosolymitanus*: [Una pluvia in universum Mundum descendit, quæ alba quidem fit in spinis, rubra in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diversis speciebus diversa, ac in omnibus fit omnia, cum ipsa nihilominùs ejusdem sit speciei. Sic Spiritus Sanctus cum unus sit, & idem, dividit singulis prout vult.]

Actor. 2.

Ezech. cap. 36.

Catech. 6.

Eadem res literaliter in Scriptura per voces contrarias significata metaphoricè.

Spiritus Sanctus significatus per ignem, & per aquam.

5 Ex his autem duobus contrariis, & inimicis Elementis metaphora sumitur ad exprimendum Increatum Amorem, propter ejusdem effectus in nobis causatos similes proprietatibus aquæ, & ignis: inquantùm enim reddit corda flammantia, & sursùm rapit, *Ignis* dicitur: per diffusionem verò supernaturalium Charismatum, cùm Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis, *Aqua* nominatur. Ut enim advertit *D.Thomas*, ad hoc, ut alicui approprietur metaphoricè nomen rei alterius, non oportet simùl in omnibus convenire, sed in quibusdam, unde vox ex una re ad aliam exprimendam transfertur: [In metaphoricis loquutionibus non oportet attendi similitudinem quantùm ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Capitis igitur naturalis non est caput aliud, quia

Vox Metaphorica non in omnibus oportet convenire cum re significata.

3 p.q.8 a.1. ad 2.

quia corpus humanum non est pars alterius corporis: Sed Corpus similitudinariè dictum, idest aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis: & ideo Paterfamilias, qui est Caput multitudinis domesticæ, habet supra se Caput Rectorem Civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, Caput Christi esse Deum, cum tamen ipse Christus sit Caput Ecclesiæ.]

Deus Caput Christi, & Christus Caput Ecclesiæ.

6 Propter igitur diversas rerum proprietates non modò una res pluribus metaphoricis vocibus significari; sed eadem vox ad diversas, imò oppositas res exprimendas transferri potest: Ideo *D. Thomas*: [In una re possunt considerari diversæ proprietates; & ideo non est inconveniens, quod ex eadem re secundùm diversas sui proprietates, fiat transumptio, ad aliqua contraria: Sicut quod Deus dicatur *Leo* propter liberalitatem, vel fortitudinem, vel aliquid hujusmodi; & Diabolus dicitur *Leo* propter crudelitatem.] Quam doctrinam tradiderat *Augustinus* loquens de figurata, sivè translata loquutione: [Verba, quibus continetur, aut à similibus rebus ducta invenientur, aut ab aliqua vicinitate attingentibus. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam, & in vituperatione *fermentum* posuit Dominus cum diceret: cavete à fermento Pharisæorum; & in laude cum diceret: Simile est Regnum Cœlorum mulieri, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum.]

Una vox propter diversas rei significatæ proprietates, diversis rebus metaphoricè accommodatur.

In 1. dist. 34. q. 3. a. 2. ad 4.

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 25. to. 3.

7 Oppositorum significationem ex eadem voce translata dupliciter exemplificat *Gregorius* super illud Job: rugitus *Leonis*, & vox *Leænæ*: [Quia natura cujuscumque rei ex diversitate componitur, in Sacro Eloquio per rem quamlibet licitè diversa figurantur. Habet quippè *Leo* virtutem, habet, & sævitiam: Virtute ergo Dominum: sævitiâ Diabolum signat. Hìnc enim de Domino dicitur: vicit Leo de Tribu Juda, Radix David. Hìnc de Diabolo scriptum est: Adversarius vester Diabolus sicùt Leo rugiens circuit quærens, quem devoret. Leænæ autem nomine aliquando Sancta Ecclesia, aliquando Babylonia designatur. Pro eo enim, quod contra adversa audax est, Leæna Ecclesia dicitur. Sicut ejusdem Beati Job vocibus approbatur, qui derelictam ab Ecclesia Judæam indicans, ait: Non calcaverunt eam filii Institorum, nec pertransivit per eam Leæna.

Leo, & Leæna literaliter significant Christum, & Ecclesiam.

Job. 4.

Lib. 5. Mor. cap. 17.

Aliquandò Diabolum, & Babyloniam.

Ali-

Aliquandò verò Leænæ nomine, hujus Mundi Civitas, ideſt Babylonia exprimitur, quæ contra vitam Innocentium, immanitate crudelitatis effrænatur: quæ antiquo Hoſti, quaſi ſæviſſimo Leoni ſociata, perverſæ perſuaſionis ejus ſemine concipit, & reprobos ex ſe filios, ad ſimilitudinem illius, quaſi crudeles catulos gignit.]

8 Ad diſcernendum Senſum Literalem proprium à Metaphorico in aliqua ſententia, in quo videlicet ſenſu accipienda ſit, brevibus formulis regulam excerpſimus ex *Auguſtino* dicente: [Demonſtrandus eſt igitur priùs *modus* inveniendæ loquutionis, *propria* nè, an *figurata* ſit..... Et iſte omninò *modus* eſt, ut quidquid in Sermone Divino neque ad morum honeſtatem, neque ad Fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas....... Quæ autem, quaſi flagitioſa imperitis videntur, ſivè tantùm dicta, ſivè etiam facta ſunt, vel ex Dei Perſona, vel ex hominum, quorum nobis Sanctitas commendatur, tota figurata ſunt, quorum ad Charitatis paſtum enucleanda ſecreta ſunt.]

Lib. de catech. rud. cap 26. *Lib. 3. de Doct. Chr. cap. 9.* *Ibid. cap. 10.* *Ibid. cap. 11.*

Senſus Literalis proprius, & Metaphoricus in eadem ſententia quomodo diſcernendi.

9 Si igitur Scripturalis loquutio narrativa ſit, & verba propriè accepta nil enunciant vel à recta Fide abſonum, vel vero inconforme, vel contextui diſſonans: vel Virorum, de quibus eſt ſermo, ſive ſanctitati præjudicans, ſivè improbitati non correſpondens, Senſus eſt Proprius: Secùs verò, Improprius eſt. Si autem eſt præceptiva, & ipſis verbis peccatum prohibet, provocat ad Virtutem; propria loquutio eſt: At ſi facinus jubere videatur, bonum proſcribere, proximo damnum inferre contra jus, faſque, abſque dubio metaphorica eſt. Pro quo adhùc adverte, quod ſi aliquando peccatum Sacra Scriptura præcipit, & bonum alicubi inhibet; ſemper tamen aliis locis illud deteſtatur, hoc commendat: quod ſignum eſt metaphoricæ loquutionis, ubi malum perſuadet, & bonum vituperat. Hìnc *Gregorius*: [Quid enim eſt, quod Salomon ait: Melius eſt comedere, & bibere; & non longè poſt ſubjicit: Melius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii? Cur luctum convivio prætulit, qui priùs eſum, potumque laudavit? Si enim per electionem bonum eſt comedere, & bibere, proculdubiò melius eſſe debet ad domum gaudii, quàm ad domum lamenti properare. Hìnc eſt, quod iterùm dicit: lætare juvenis in adoleſcentia tua; & paulò poſt adjunxit: adoleſcentia, & voluptas vana ſunt. Quid eſt hoc, quod vel priùs, reprehendenda præcipit, vel poſt, præcepta reprehendit: niſi quod ipſis Li-

Dum æqua videtur damnare, iniqua jubere.

Lib 4. Mor. cap. 1.

Domus convivii, & domus luctûs quarè laudentur.

quia corpus humanum non est pars alterius corporis: Sed Corpus similitudinariè dictum, idest aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis: & ideo Paterfamilias, qui est Caput multitudinis domesticæ, habet supra se Caput Rectorem Civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, Caput Christi esse Deum, cum tamen ipse Christus sit Caput Ecclesiæ.]

Deus Caput Christi, & Christus Caput Ecclesiæ.

6 Propter igitur diversas rerum proprietates non modò una res pluribus metaphoricis vocibus significari; sed eadem vox ad diversas, imò oppositas res exprimendas transferri potest: Ideo *D. Thomas*: [In una re possunt considerari diversæ proprietates; & ideo non est inconveniens, quod ex eadem re secundùm diversas sui proprietates, fiat transsumptio, ad aliqua contraria: Sicut quod Deus dicatur *Leo* propter liberalitatem, vel fortitudinem, vel aliquid hujusmodi; & Diabolus dicitur *Leo* propter crudelitatem.] Quam doctrinam tradiderat *Augustinus* loquens de figurata, sivè translata loquutione: [Verba, quibus continetur, aut à similibus rebus ducta invenientur, aut ab aliqua vicinitate attingentibus. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam, & in vituperatione *fermentum* posuit Dominus cum diceret: cavete à fermento Pharisæorum; & in laude cum diceret: Simile est Regnum Cœlorum mulieri, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum.]

Una vox propter diversas rei significatæ proprietates, diversis rebus metaphoricè accommodatur.

In 1. dist. 34. q. 3. a. 2. ad 4.

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 25. to. 3.

7 Oppositorum significationem ex eadem voce translata dupliciter exemplificat *Gregorius* super illud Job: rugitus *Leonis*, & vox *Leanæ*: [Quia natura cujuscumque rei ex diversitate componitur, in Sacro Eloquio per rem quamlibet licitè diversa figurantur. Habet quippè *Leo* virtutem, habet, & sævitiam: Virtute ergo Dominum: sævitiâ Diabolum signat. Hìnc enim de Domino dicitur: vicit Leo de Tribu Juda, Radix David. Hìnc de Diabolo scriptum est: Adversarius vester Diabolus sicùt Leo rugiens circuit quærens, quem devoret. Leænæ autem nomine aliquando Sancta Ecclesia, aliquando Babylonia designatur. Pro eo enim, quod contra adversa audax est, Leæna Ecclesia dicitur. Sicut ejusdem Beati Job vocibus approbatur, qui derelictam ab Ecclesia Judæam indicans, ait: Non calcaverunt eam filii Institorum, nec pertransivit per eam Leæna.

Job. 4.

Leo, & Leæna literaliter significant Christum, & Ecclesiam.

Lib. 5. Mor. cap. 17.

Aliquandò Diabolum, & Babyloniam.

Ali-

Aliquandò verò Leænæ nomine, hujus Mundi Civitas, ideſt Babylonia exprimitur, quæ contra vitam Innocentium, immanitate crudelitatis effrænatur: quæ antiquo Hoſti, quaſi ſæviſſimo Leoni ſociata, perverſæ perſuaſionis ejus ſemine concipit, & reprobos ex ſe filios, ad ſimilitudinem illius, quaſi crudeles catulos gignit.]

8 Ad diſcernendum Senſum Literalem proprium à Metaphorico in aliqua ſententia, in quo videlicet ſenſu accipienda ſit, brevibus formulis regulam excerpſimus ex *Auguſtino* dicente: [Demonſtrandus eſt igitur priùs *modus* inveniendæ loquutionis, *propria* nè, an *figurata* ſit..... Et iſte omninò *modus* eſt, ut quidquid in Sermone Divino neque ad morum honeſtatem, neque ad Fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas....... Quæ autem, quaſi flagitioſa imperitis videntur, ſivè tantùm dicta, ſivè etiam facta ſunt, vel ex Dei Perſona, vel ex hominum, quorum nobis Sanctitas commendatur, tota figurata ſunt, quorum ad Charitatis paſtum enucleanda ſecreta ſunt.]

Lib. de catech. rud. cap 26.
Lib. 3. de Doct. Chr. cap. 9.
Ibid. cap. 10.
Ibid. cap. 11.

Senſus Literalis proprius, & Metaphoricus in eadem ſententia quomodo diſcernendi.

9 Si igitur Scripturalis loquutio narrativa ſit, & verba propriè accepta nil enunciant vel à recta Fide abſonum, vel vero inconforme, vel contextui diſſonans: vel Virorum, de quibus eſt ſermo, ſive ſanctitati præjudicans, ſivè improbitati non correſpondens, Senſus eſt Proprius: Secùs verò, Improprius eſt. Si autem eſt præceptiva, & ipſis verbis peccatum prohibet, provocat ad Virtutem; propria loquutio eſt: At ſi facinus jubere videatur, bonum proſcribere, proximo damnum inferre contra jus, faſque, abſque dubio metaphorica eſt. Pro quo adhùc adverte, quod ſi aliquando peccatum Sacra Scriptura præcipit, & bonum alicubi inhibet; ſemper tamen aliis locis illud deteſtatur, hoc commendat: quod ſignum eſt metaphoricæ loquutionis, ubi malum perſuadet, & bonum vituperat. Hìnc *Gregorius*: [Quid enim eſt, quod Salomon ait: Melius eſt comedere, & bibere; & non longè poſt ſubjicit: Melius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii? Cur luctum convivio prætulit, qui priùs eſum, potumque laudavit? Si enim per electionem bonum eſt comedere, & bibere, proculdubiò melius eſſe debet ad domum gaudii, quàm ad domum lamenti properare. Hìnc eſt, quod iterùm dicit: lætare juvenis in adoleſcentia tua; & paulò poſt adjunxit: adoleſcentia, & voluptas vana ſunt. Quid eſt hoc, quod vel priùs, reprehendenda præcipit, vel poſt, præcepta reprehendit: niſi quod ipſis Li-

Dum æqua videtur damnare, iniqua jubere.

Lib 4 Mor. cap. 1.

Domus convivii, & domus luctûs quarè laudentur.

teræ verbis innuit, ut qui difficultatem exteriùs patitur; veritatis intelligentiam consideret, quam sequatur?]

10 Similiter loquutionem esse propriam, necnè, verba præcedentia, vel sequentia multotiès manifestant. Quemadmodum illud: Et egredietur Virga de *Radice* Jesse, & *Flos* de *Radice* ejus ascendet; clarè insinuat non esse intelligendum de vera radice, aut flore, sed de *Christo* orto ex Stirpe David, cujus Pater fuit Jesse. Subditur enim: Et requiescet super eum Spiritus Domini, qui utique super Christum, non super marcescibilem florem requievit. Nec silenda expositio *D. Thomæ*: [Circa primum duo tangit: processum Matris ex Regali serie, vel Progenie: Egredietur *Virga*: Virga, cui nullus frutex adhæsit: de Radice Jesse; ad Literam de Progenie Jesse, qui fuit Pater David. Num. 2. Orietur Stella ex Jacob, & consurget Virga de Israël. Quantum ad processum Filii ex Matre Virgine: Et *Flos*, Christus. Cant. 2: Ego Flos campi, & Lilium convallium. Ascendet, quia qui de Cœlo venit, super omnes est. Joa. 3. Cum deberet dicere de Virga, dicit de Radice, ad excludendum duas hæreses. Una quarum dixit, quod Christus non habuit veram carnem. Alia dixit, quod Christus habuit veram carnem, sed illa non fuit propagata ab Adam, & à parentibus, & aliis, sed in Beata Virgine à Deo creata, aut quod venit à primis Parentibus distincta, sicut lux quædam, nunquàm infecta contagione peccati originalis. Quod totum excluditur in hoc, quod ex Parentibus Virginis ascendere dicitur, sicut flos ex radice, &c.]

Isa. 11.

Ibid.

Maria Virgo de Regali Stirpe.

Hæreses duæ de Christo. Altera negavit in eo veram carnem; altera carnem humanam.

11 Nihilominùs dum Scriptura aliquando bonum prohibere, malum præcipere videtur, intelligendam esse in Sensu improprio, optima licèt sit Regula præmissa: Cautè etiam in hoc procedẽdum est; non enim statim ac Deus mandat, à privata persona hominem occidi, rem alienam auferri, ad mulierem fornicariam accedere, & hujusmodi, in Sensu Metaphorico accipiendum est, sed in Literali proprio. Quomodo autem hoc contingere possit non de sola Dei permissione, sed de positivo præcepto, cum difficile sit capere, ad Angelicum Præceptorem recurrimus; & quia id summè necessarium ducimus pro Sensu proprio, vel improprio discernendo, aliquantò latius tractandum. Ubi enim in Scriptura præciperentur aliqua immediatè contra Deum, metaphoricè, vel permissivè intelligenda essent, non enim potest Deus verè præcipere infidelitatem, desperationem, odium Dei, & hujusmodi. At ubi inveniuntur præcepta de occisione hominis, ablatione rei alienæ, commixtione cum fornicaria, aliquando

Non omnia quæ videntur Rationi opposita, in Sensu metaphorico intelligenda.

do in Sensu proprio intelliguntur: quando nimirùm contextui non repugnant.

12 Hujus autem intelligentiæ profundam doctrinam tradit D. *Thomas* dicens: [Quædam verò peccata sunt, quæ dicunt deordinationem à fine ultimo *mediatè*. Contingit enim, aliquem actum peccati esse immediatè *circà id, quod est ad finem*: & quia forma bonitatis est à fine in his, quæ sunt ad finem, oportet, quod etiam forma malitiæ sit ex hoc, quod recedit à fine: & id, quod est quasi materiale, est actus exercitus circà id, quod est inordinabile in finem, sicùt in fornicatione, in homicidio, & in hujusmodi. Unde *si ei, quod est ad finem* conferatur *alius ordo* in finem, tolletur inordinatio, & remanebit actus ordinatus subjacens voluntati antecedenti. Hoc autem non potest fieri, nisi ab eo, qui ordinem illum posuit: & ideo ea, quæ sunt ordinata per Legem Divinam, non sunt mutabilia, vel dispensabilia, nisi Præcepto Divino: & similiter, quod statutum est à quocumque superiori inviolabiliter observandum, non potest ab inferiori mutari. Et sic Deus occisionem Isaac, quæ de se inordinationem habebat ex eo, quod filius innocens non erat ordinatus in finem per viam occisionis à patre ordinatam: fecit, ponendo hunc ordinem, ut esset ad manifestationem Fidei, & amoris Abrahæ, ut esset Posteris in exemplum, & in significationem mortis Christi: & in occisionem sic ordinatam Divina authoritate, licitè consensit voluntas Abrahæ. Quædam autem peccata sunt, quorum actus inordinatus est immediatè circà finem, ut peccata, quæ sunt in Deum, ut odire ipsum, & desperare de eo, & hujusmodi. Et cum actus ex objecto speciem trahat, constat hujusmodi actus, etiam secundùm speciem in genere naturæ malos esse: unde ab eis talis inordinatio auferri non potest. Non enim posset auferri ex hoc, quod ordinarentur in finem, cum secundùm esse suum sint deordinati à fine; contingeret enim, quod aliquid esset simùl ordinatum, & inordinatum.]

In 1. dist. 47. a. 4. cor.

Rei inordinatæ ad finem potest Deus dare aliū ordinem ad finem.

Occisio Isaac ordinata à Deo, non fuisset homicidium.

A rebus inordinatis ad finem immediatè ex objecto, non potest Deus auferre inordinationem.

13 Et reducendo hanc doctrinam ad praxim, attentè consideranda sunt verba *Sancti Doctoris* circà spoliationem Ægyptiorum, occisionem Isaac, & accessum ad fornicariam: [Occisio hominis prohibetur in Decalogo secundùm quod habet rationem indebiti: sic enim præceptum continet ipsam rationem Justitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quod licitè homo indebitè occidatur; sed malefactores occidi, vel hostes Reipublicæ, hoc non est

1. 2. q. 100. a. 8. ad 3.

indebitum: unde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur, ut Augustinus dicit in 1. de Lib. Arb. Et similiter si alicui auferatur, quod suum erat, si debitum est, quod ipsum amittat, hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibentur. Et ideo quando Filii Israël præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum: quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter, & Abraham cum consensit occidere Filium, non consensit in homicidium: quia debitum erat, eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis: Ipse enim est, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus justis, & injustis pro peccato primi Parentis, cujus sententiæ si homo sit exequutor authoritate Divina, non erit homicida, sicùt nec Deus. Et similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus: quia accessit ad eam, quæ sua erat secundùm mandatum Divinum, qui est author institutionis Matrimonii.]

Expoliatio Ægyptiorũ Dei jussu facta ab Hebræis, non fuit furtum.

Osee accedens Deo jubente ad fornicariam nó est mœchatus.

14 De eisdem præceptis alibì loquens S. Doctor magìs difficilem hunc solvit nodum: [Fornicatio dicitur esse peccatum, inquantùm est contra Rationem rectam: Ratio autem hominis recta est secundùm quod regulatur Vuluntate Divina, quæ est prima, & summa regula. Et ideo, quod homo facit ex Voluntate Dei, ejus præcepto obediens, non est contra Rationem rectam, quamvìs videatur esse contra communem ordinem Rationis. Sicùt etiam non est contra Naturam, quod miraculosè fit virtute Divina, quamvìs sit contra communem cursum Naturæ. Et ideo sicùt Abraham non peccavit Filium innocentem volendo occidere, propter hoc, quod obedivit Deo, quamvìs hoc secundùm se consideratum, sit communiter contra rectitudinem Rationis humanæ: Ita etiam Osee non peccavit fornicando ex præcepto Divino; nec talis concubitus propriè fornicatio debet dici, quamvìs fornicatio nominetur, referendo ad cursum communem. Unde Augustinus dicit 3. Confess. Cum Deus aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet jubet, etsì nunquàm ibi factum est, faciendum est. Et postea subdit: sicùt enim in Potestatibus societatis humanæ, major Potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.]

2.2.q.154. a.2. ad 2.

Ratio hominis recta est secundùm quod regulatur Voluntate Divina.

15 In his ergo præceptis de re aliàs turpi Sensus proprius Literalis non est negandus: Nam Deus per ea non mandat fieri rem illicitam, ut homicidium, furtum, fornicationem; nec dispensat in his, aliisve præceptis Naturæ;

Sed

Sed vel mutat materiam, faciendo, quod illa occisio sit debita, res ablata sit de jure auferentis, adultera transeat in Uxorem: vel in materiali eorum actuum præceptorum ponendo ordinationem ad finem ultimum, sicut de occisione Isaac, & concubitu Osee dictum est. Quod tamen in aliquibus verificari non potest, de se immediatè deordinatis à Deo, ut sunt actus procedentes contra Virtutes Theologicas, qui proinde nullatenùs præcipi possunt.

Actus contra Virtutes Theologicas nullatenùs præcipi possunt.

SECTIO VI.

Sensus Literalis Proprius multiplex.

1 DIfficultate intelligendi proprium Literæ Sensum, haùd retrahi debemus à studio inquisitionis: caligo enim obscuritatis supèr aliquam sententiam offusa, ex alterius sententiæ verbis, orta luce claritatis, resolvitur. Unde *D. Thomas*: [Radius Divinæ revelationis non destruitur propter figuras sensibiles, quibus circumvelatur, ut dicit Dionysius, sed remanet in sua veritate: ut mentes, quibus fit revelatio, non permittat in similitudinibus permanere, sed elevet eas ad cognitionem intelligibilium; & per eos, quibus revelatio facta est, alii etiam circà hæc instruantur. Unde ea, quæ in uno loco Scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis expressiùs exponuntur. Et ipsa etiam occultatio figurarum utilis est ad exercitium Studiosorum.]

Obscuritas unius Sensûs, per alterum clarum resolvitur.

1. p. q. 1 a. 9. ad 2.

Occultatio Figurarum utilis ad exercitium studiosorum.

Psal. 18.

2 Quid clariùs dic? & tamen verba Psalmi: *Dies diei eructat verbum* per multiplices expositiones innotuere *Augustino*, ad hoc etiam Sacræ Scripturæ obscuritatem juvare dicenti: quod plura nos doceat continere, quæ perscrutemur mysteria. [Sed nonnulla verba Scripturarum obscuritate sua hòc profuerunt, quòd multas intelligentias pepererunt: Itaque hoc si planum esset, unum aliquid audiretis: quia verò obscurè dictum est, multa audituri estis.] Non enim ideo Deus celat plura sub aperta significatione verborum, ut nulli, sed ut quærentibus pateant: ut Vir desideriorum ab eo petat occultorum intelligentiam; teste *Augustino* dicente: [Ad hoc enim clauduntur quædam Sacramenta Scripturarum, non ut denegentur, sed ut pulsantibus aperiantur, Si ergo affectu pio, & sincerâ cordis chari-

Enarr. in Psal. 18. to. 8.

Ad plures intelligentias eruendas.

Enarr. in Psal. 93. init.

rita-

ritate pulſetis, ille aperiet, qui videt unde pulſetis.] *Gregorius* quoque in hæc Sacræ Scripturæ abſcondita ingrediens, ſcribit. [O quàm mira eſt profunditas Eloquiorum Dei! Libet huic intendere, libet ejus intima, gratiâ duce, penetrare. Hanc quoties intelligenda diſcutimus, quid aliud, quàm ſylvarum opacitatem ingredimur, ut in ejus refrigerio ab hujus ſæculi æſtibus abſcondamur? Ibi viridiſſimas ſententiarum herbas legendo carpimus, tractando ruminamus.] *Hom. 5. in Ezech. init.*

3 Sub iiſdem igitur verbis ſæpiùs poſſe non unum intelligi Senſum Literalem docet *D. Thomas*: [Quia verò Senſus Literalis eſt, quem Author intēdit: Author autem Sacræ Scripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit: non eſt inconveniens, ut dicit Auguſtinus 12. Confeſſ. ſi etiam ſecundùm Literalem Senſum in una Litera Scripturæ plures ſint Senſus.] Eadem aliorum mens Patrum, quos citat P. Antonius à Matre Dei. Ideoque *Gregorius*: [Ea verò, quæ ex eodem loco à veſtra Sanctitate in meam conſolationem dicta ſunt, libenter accipio: quia in intellectu Sacræ Scripturæ reſpui non debet quidquid ſanæ Fidei non reſiſtit. Sicùt enim ex uno auro alii murenulas, alii dextrariola ad ornamentum faciunt: ita ex una Sacræ Scripturæ ſententia Expoſitores quique per innumeros intellectus, quaſi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem Cœleſtis Sponſæ proficiunt.] *1. p. q. 1. a. 10. cor.* *Prel. 3 dub. 8. §. 2.* *Lib. 2. epiſt. 63. Domit. Metropol.*

Plures Senſus Literales in eadem ſententia.

4 Similiter *D. Thomas* Expoſitori Sacræ Scripturæ duo perpendit eſſe vitanda. Unum, ne ex ejus pravâ intelligentiâ falſitas incurratur: [Aliud eſt, nè aliquis ita Scripturam ad unum Senſum cogere velit, quod alios Senſus, qui in ſe veritatem continent, & poſſunt, ſalvâ circumſtantiâ Literæ, Scripturæ aptari, penitùs excludantur. Hoc enim ad dignitatem Divinæ Scripturæ pertinet, ut ſub una Litera multos Senſus contineat: & unuſquiſque miretur, ſe in Divina Scriptura poſſe invenire veritatem, quam mente conceperit. Et per hoc etiam contra Infideles faciliùs defendatur: dum ſi aliquid, quod quiſque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falſum apparuerit, ad alium ejus Senſum poſſit haberi recurſus.] Quot verò Senſus Literales eadem verba claudant, ſcire poteſt qui claudit ſtellas ſub ſignaculo. Innumeros enim eſſe, & inſcrutabilem Scripturarum abyſſum, quam exhaurire nullus ſummorum Ingeniorum labor ſufficiat, teſtatur Chryſoſtomus in illud Apoſtoli: ***Habentes eumdem Spiritum.*** *Quaſt. 4. de Pot. a. 1. cor.* *In duab. conc. in 2. Cor. 4.*

Expoſitori Sacræ Scripturæ duo vitanda.

5 Hanc

5 Hanc hominis impotentiam ad omnes ejuſdem Literæ Senſus indagandos exponit *Gregorius*, qui tamen, Divinæ Sapientiæ,quæ trahitur de occultis,ſecreta ubi comprehendi non poſſunt, veneratione proſequenda ſuadet. Explanans enim illud Prophetæ:*Et menſus eſt portam à tecto thalami, uſque ad tectum ejus*, ait: [Et notandum eſt, quod à tecto thalami uſque ad tectum portæ dicitur menſuratum. Per ea enim, quæ nobis in Sacra Scriptura cooperta ſunt, noſtra humilitas approbatur: quia quidquid in illa nón intelligimus, non ſuperbè reprehendere, ſed venerari humiliter debemus. Unde, & de Domino ſcriptum eſt: Palpebræ ejus interrogant Filios hominum. Palpebræ quippè ejus judicia ſunt, quæ aliquid nobis claudunt, & aliquid aperiunt. Quæ aperiendo nos interrogant, ſi intelligendo non extollimur: claudendo nos interrogant, ſi non deſpicimus quæ intelligere non valemus.] Cujus latiſſimæ amplitudinis rationem ex Sacræ Scripturæ Authore *D. Thomas* deſumpſit, quem omnes ſimùl nedùm exiſtentes, ſed poſſibiles Intellectus cum adæquare non poſſint, quacumque elicita ex uno verbo Senſuum multitudine, ſemper remanet, quod eruatur. [Author principalis Sacræ Scripturæ eſt Spiritus Sanctus, qui in uno verbo Sacræ Scripturæ intellexit multò plura, quàm per Expoſitores Sacræ Scripturæ exponantur, vel diſcernantur.]

Ezech. cap. 40.

Lib. 2. Hõ. 17. in Ezech.

Nemo præſumat omnes Senſus Literales ejuſdẽ ſententiæ ſe cõprehendere.

Quodl. 7. a. 14 ad 5.

Cum Deum omnia comprehendentem nullus comprehendere poſſit.

6 Plurima multiplicis Senſûs Literalis proprii exempla ſuppeterent. Illud hìc afferendum ex initio Geneſis: *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*, cujus triplicem *D. Thomas* refert intelligentiam: [Illud verbum Gen. 1: In principio creavit Deus Cœlum,& terram, tripliciter exponitur ad excludendum tres errores. Quidam enim poſuerunt, Mundum ſemper fuiſſe, & tempus non habere principium. Et ad hoc excludendum exponitur: In principio, ſcilicèt Temporis. Quidam verò poſuerunt, duo eſſe Creationis Principia, unum bonorum, aliud malorum. Et ad hoc excludendum exponitur: In Principio, ideſt in Filio. Sicùt enim Principium effectivum appropriatur Patri propter Potentiam: ita Principium exemplare appropriatur Filio propter Sapientiam: ut ſicùt dicitur: Omnia in Sapientia feciſti; ita intelligatur, Deum omnia feciſſe in Principio, ideſt in Filio ſecundùm illud Apoſtoli. Ad Coloſ. 1: In ipſo, ſcilicèt Filio, condita ſunt univerſa. Alii verò dixerunt, corporalia eſſe creata à Deo mediantibus Creaturis Spiritualibus. Et ad hoc excludendum exponitur: In prin-

1. p. q. 46. a. 3. cor.

Verbum Geneſis: In Principio, triplici Senſu Literali proprio expoſitum. Ad tres hæreſes confutandas.

principio creavit Deus Cœlum, & terram, ideſt ante omnia. Quatuor enim ponuntur ſimul creata, ſcilicèt Cœlum Empyreum, materia corporalis, quæ nomine Terræ intelligitur, Tempus, & Natura Angelica.]

SECTIO VII.

Scriptores Canonici intellexerint nè omnes Senſus Literales in ſententia, vel verbo?

1 
Reviter huic etiam curioſitati conſulendum. Et *Auguſtinus* quidem affirmare videtur: [Ita cum alius dixerit: hoc ſenſit, (*Moyſes*) quod ego;& alius:imò illud,quod ego: religioſiùs me arbitror dicere: cur non utrumque potiùs, ſi utrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omninò aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus unus Sacras Literas, vera, & diverſa viſuris multorum ſenſibus temperavit? . . . . . . Senſit ille (*Moyſes*) omninò in his verbis, atque cogitavit, cum ea ſcriberet, quidquid hìc veri potuimus invenire; & quidquid nos non potuimus, aut nondùm poſſumus, & tamen in eis inveniri poteſt.] Ubi nedùm omnes ejuſmodi veros Senſus Literales à Deo intentos, ſed à Moyſe comprehenſos Auguſtinus inſinuat in illis videlicèt verbis: In principio creavit Deus Cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua. Et univerſaliter de Canonicis Scriptoribus docet *D. Thomas*: [Nec eſt etiam inconveniens, quod homo, qui fuit author inſtrumentalis Sacræ Scripturæ, in uno verbo plura intelligeret. Quia Prophætæ, ut Hieronymus dicit ſuper Oſee, ita loquebantur de factis præſentibus, quod etiam intenderunt futura ſignificare.]

Lib. 12. Cōfeſſ. cap. 31.

Scriptores Canonici videntur intellexiſſe omnes Senſus Literales in verbo, vel ſententia.

Quodl. 7. a. 14. ad 5.

2 Non tamen hoc omnibus, & ſemper contingebat. Sancti enim Viri aliqua ſcribebant, vel loquebantur inſpiratione Prophatica, quæ tamen non ſecundùm omnia in eis contenta capiebant. Inde *Ambroſius* in illud: *Poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, notat, quod licèt verba literaliter ſignificarent, ambos, nempè Abraham, & Iſaac re-

Gen. 22.

reversuros; id tamen absconditum seni fuisse, qui illis verbis reditum sui dumtaxat intendebat: [*Prophætavit quod ignorabat*: Ipse solus disponebat redire immolato Filio; sed Dominus *per os ejus* loquutus est quod parabat.] Et post pauca, hoc idem advertit in verbis Sancti Isaac: Ecce, inquit, ignis, & ligna: ubi est victima holocausti? Nimirùm Dominus in ore ejus ponebat, non ipsum, sed ovem immolandam: sed quod significarent verba, à Domino arietem cornibus rubo hærentem in holocaustum parari, ipse, qui dicebat, non noverat: [Addidit Isaac dicens: Ecce ligna, ubi est ovis ad holocaustum? Et hic prophætat *sermone*, *non scientiâ*; ovis enim à Domino ad sacrificium parabatur.]

Lib. 1. de Abrah. cap. 8.

Nō tamen omnibus, & semper hoc contingebat.

3 Hinc non semèl Prophætas orasse, ut de visis edocerentur, Bibliorum studioso patere potest. Cujus rationem *D.Thomas* assignat: [Sciendum tamèn, quod quia mens Prophætæ est instrumentum deficiens, ut dictum est: etiam veri Prophætæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit.] Quod explicans Cajetanus ait: [Ad verum Prophætam sufficit cognoscere evidenter quod prophætat, secundùm id, quod est sibi revelatum: & ut in litera optimè subditur: Prophæta circà revelata sibi non cognoscit omnia, quæ Spiritus Sanctus intendit per illa: sed sufficit, quod videat illam conditionem, quam prophætare jubetur; nec oportet, quod comprehendat illam, sed comprehensionem illius Spiritui Sancto relinquat.]

2.2.q. 173. a. 4. cor.

In fi. comm. hujus art.

Sufficit, Prophætam cognoscere tantùm illam conditionem, quam prophætare jubetur.

4 Sed clarissimè hanc cognoscendi varietatem explicat *Gregorius*, quem aptissimis id tractantem exemplis integrè audire neminem tædeat: [Spiritus quippè Prophætiæ nec semper, nec eodem modo Prophætæ animum tangit. Ex præsenti enim Prophætiæ Spiritus Prophætantis animum tangit, atque ex futuro non tangit. Sicut Joannes Baptista venientem Dominum videns, ait: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata Mundi. Sed cùm jam moriturus esset, missis discipulis requirebat dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? In quibus verbis ostenditur, quia in terris quidem venisse Redemptorem noverat: sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat...... Aliquando verò Prophætiæ Spiritus animum Prophætantis ex futuro tangit, atque ex præsenti non tangit; sicut apertè Libri Geneseos historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit, cui minorem Filium Rebecca ad benedicendum suppofuit, qui hædinis pellibus in-

Hom. 1. in Ezech.

Joa. 1.

Matt. 11.

Gen. 27.

Prophætiæ Spiritus aliquandò tangit animum ex præsenti, non ex futuro.

Aliquādò econtrà.

indutus, paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori Filio, tanquam Majori benedictionem dedit, quæque ei essent longè futura nunciavit: sed quis esset, qui coràm se assisteret, scire non potuit...... Aliquando Prophætantis animum ex præsenti pariter, & ex futuro tangit. Quod ex eodem Libro Geneseos liquidò docemur. In illo quippè scriptum est, quia cum ad vitæ terminum propinquaret Jacob, ei duos Filios suos Joseph fecit assistere, ut ex benedictione illius possent longè post futura promereri: cui Majorem ad dexteram, Minorem verò posuit ad sinistram. Cumque ille, oculis senectute caligantibus, Nepotes suos quis prior, quisve esset minor humano visu discernere nequaquam posset: ductis in obliquum brachiis, dexteram manum Minori, sinistram Majori imposuit. Quod dum corrigere Filius vellet dicens: non ita convenit, Pater, quia hic est primogenitus; audivit: Scio, Fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur; sed Frater ejus junior major illo erit. Prophætiæ ergo Spiritus ex præsenti pariter, & ex futuro Prophætantis animum tetigit, dum Jacob, & ventura nunciabat, & eos, quos corporeis oculis videre non poterat, ante se positos per Spiritum discernebat.]

Aliquandò tangit ex præsenti simùl, & ex futuro.

Gen. 48.

5 Sivè autem omnia sub verbis, aut visis, aut factis latentia Prophætæ, & Scriptores Canonici perceperint, sivè non; servatis nihilominùs ad rectam expositionem formulis: & veri, qui eruuntur, Sensus, & à Spiritu Sancto intenti censendi sunt. Idcircò *Augustinus*: [Quæ mihi ardenter confitenti, Deus meus, lumen oculorum meorum in occulto, quid mihi obest, cum *diversa* in his verbis intelligi possint, quæ tamen vera sint: Quid, inquam, mihi obest, si aliud ego sensero, quàm sensit alius, *eum sensisse, qui scripsit*? Omnes quidem, qui legimus, nitimur hoc indagare, atque comprehendere, *quod voluit ille, quem legimus*. Et cum veridicum credimus, nihil quod falsum esse vel novimus, vel putamus, audemus eum existimare dixisse. Dùm ergo quisquis conatur id sentire in Scripturis Sanctis, quod in eis *sensit ille, qui scripsit*: quid mali est, si hoc sentiat, quod Tu Lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse, etiamsi hoc *non sensit ille, quem legit*, cum & ille verum, *nec tamen hoc senserit*?] Et *D. Thomas* asserens, Authores Instrumentales Sacræ Scripturæ cognovisse diversos eorumdem verborum Sensus, addit, adhùc si illi non percepissent plures indè postmodùm prudenter erutos ab Expositoribus, tales nihilominùs à Spiritu Sancto intentos esse præsumendum:

Lib. 12. Confess. cap. 18.

Plures Sensus Literales à Spiritu Sancto intenti, licèt Canonicis Scriptoribus incogniti.

dum:

Quæst. 4 de Pot. a. 1. corp. dum: [Unde non est incredibile, Moysi, & aliis Sacræ Scripturæ Authoribus hoc Divinitùs esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & ea sub una serie Literæ designarent: ut sìc quilibet eorum sit Sensus Authoris. Unde si etiam aliqua vera ab Expositoribus Sacræ Scripturæ aptantur, *quæ Author non intelligit*, non est dubium, *quin Spiritus Sanctus intellexerit*, qui est principalis Author Divinæ Scripturæ. Unde omnis veritas, quæ, salvâ Literæ circumstantiâ, potest Divinæ Scripturæ aptari, est ejus Sensus.] Sensus Literales prudenter eruti veri censendi sunt.

SECTIO VIII.

Regulæ ad Sensus Literales non oppositos.

1 
Aria Literalium Sensuum multiplicitatis origo, præsertim vocum fœcunditas, & characterum punctuatio. Cum enim in Hebraica Lingua paucissimæ sint voces, quælibet diversarum rerum significationibus abundat. Quod Hieronymus clarum reddit in eis verbis: *Apprehendite disciplinam*. Vox enim Hebræa *Nascu-bar* ambigua est; & *Nascu* denotat deosculari, *Bar* Filium. Simùl etiam significat triticum, spicarum manipulum electum, purum. Vocum significatium Hebraicarum fœcunditas.

Psal. 2. Lib. 1. Apol. con. Ruff. cap. 5.

2 Insuper cum apud Hebræos propter diversa puncta supposita (quæ illis usu frequentia, vocalium vim habent) eædem Literæ radicales diversam significationem efficiunt. De quo *Hieronymus*: [Omnis Judæa conclamat, & Synagogarum consonant universa subsellia, quod videlicèt idem sermo, & eisdem literis scriptus, diversas apud eos, & voces, & intelligentias habeat. Ex quibus, exempli causâ unum ponimus, ut quod dicimus perspicuum fiat. Pastores, & Amatores eisdem literis scribuntur *Resch-Haiin-Jod-Mem*. Sed Pastores *Roim*, Amatores legitur *Reim*. Unde evenit, ut ubi Hierusalem, in Prophætis, cum Amatoribus suis fornicationis scelere arguitur, ibi in nostris Codicibus, pro Amatoribus, Pastorum nomen sit immutatum.] Punctis apùd Hebræos verba variantur.

Epist. 25. Ad Damas. circa ini.

3 Nè verò Scripturas interpretari, Sensus Literales eruere proùt libuerit, quisque sibi licitum arbitretur, & ingenii aciem, velùt Jonathas sagittam, jaciat extrà signum, sciat præstitutos sibi in hoc à Patribus fines sub typo Viro-

rum, de quibus Samuel Sauli ad Regnum nupèr elato dixit: *Invenies duos Viros juxtà Sepulchrum Rachel in finibus Beniamin*; sìc exponente Gregorio: [Juxtà Sepulchrum Rachel stant: quia statum boni operis dirigunt per virtutem contemplationis: & quia nihil gerunt in opere, nisi quod contemplando disponunt. Et quia in ipsa altitudine supernæ contemplationis, *non præsumptionem suam, sed consuetudinem Sanctæ Ecclesiæ tenere student*, Sepulchrum Rachel in finibus Beniamin esse describitur. Ut jam dixi, in Beniamin, qui Filius dexteræ dicitur, Redemptor humani Generis designatur. Fines ergo Beniamin *Regulæ Sanctarum Scripturarum* sunt: de quibus profectò finibus scriptum est: ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui. Quia ergo Sancti Prædicatores, cum summa contemplando vident, à *Fidei Regula* non discordant, Sepulchrum, juxtà quod stant, in finibus Beniamin rectè dicitur.]

Sensus Literales eruendi conformes textui Sacræ Scripturæ.

1. Reg. 10.

Lib. 4. in 1. Reg.

4 Prima igitur Regula sit penetrare vim, significationemque verborum in proprio Idiomate, quo scripta fuere. Sìc, cum dicitur: Ecce *Behemoth, quem feci tecum*, vox illa Hebræis exprimit *animal* teste Gregorio: [Qui interpretatus ex Hebræa voce, in Latina Lingua animal sonat.] Et Literalis proprius Sensus est, Deum creasse hominem, & jumenta; dicitur autem Behemoth factus cum Job, licèt conditus diverso die: quia actio Dei nequaquàm temporis protelatione distenditur; quare alibi asseritur: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*. In eo tamen verbo *Behemoth* metaphoricam quoque significationem mali Angeli, qui gratiam in conditione habitam amisit, *Gregorius* agnoscit. Ponitur verò specialiter cum homine factus, ratione ab eodem allata ibidem: [Sed si rerum causas subtili discussione pensamus, simul Angelum factum, Hominemque cognoscimus: simùl videlicèt non unitate temporis, sed cognitione Rationis: simùl per acceptam imaginem Sapientiæ, & non simùl per conjunctam substantiam formæ.]

Behemoth latinè animal.

Job. cap. 40.

Lib. 32. mor. cap. 9.

Eccli. 18.

Angelus quomodò dicatur factus cum Homine.

Ibid.

5 Extenditur hæc Regula ad considerandum, an verba alicujus sententiæ significent rem, locum, personam, eventum fortuitum, & hujusmodi. Exemplum esto in eo, quod dicitur de Sampson: *Qui cum venissent ad locum Maxillæ*. Significatur enim Civitas in Tribu Ephraim, cui Sampson, percussis in mandibula jumenti Philistæis, nomen imposuit: *Ramath-lechi*, quod interpretatur: *Elevatio Maxillæ*. Iterùm cum dicitur: *Egressus est namque Israël obviam Philistiim in prælium, & castrametatus est juxta Lapidem adjutorii*;

Judic. 15.

1. Reg. 4.

torii; ideſt in planitie media inter Maſphat, & Sen, de quo ſubditur: *Tulit autem Samuel lapidem unum, & poſuit eum inter Maſphat, & inter Sen, & vocavit nomen loci illius: Lapis adiutorii, dixitque: hucùſque auxiliatus eſt nobis Dominus.*

Ibid. cap. 7.

6 Plura Hebraicæ ſignificationis nomina Sacri declararunt Evangeliſtæ, ut illud: *Rabbi*, quod interpretatur *Magiſter*: Vade, & lava in Natatoria *Siloe*, quod interpretatur *Miſſus*; & ejus generis alia. Plenum autem eorum Syllabum reperies ad calcem Sacrorum Bibliorum. Siquando tamen Scriptores Canonici ea Nomina non interpretata reliquerunt, nonniſi laudabile eſt ad ea interpretanda conari, ut monet *Auguſtinus*: [Sic etiam multa, quæ ab Authoribus eorumdem Librorum interpretata non ſunt Nomina Hebræa, non eſt dubitandum, habere non parvam vim, atque adiutorium ad ſolvenda ænigmata Scripturarum, ſi quis poſſit ea interpretari. Quod nonnulli ejuſdem Linguæ Viri periti non ſanè parvum beneficium Poſteris attulerunt, qui ſeparatìm de Scripturis eadem verba omnia interpretati ſunt, & quid ſit Adam, quid Heva, quid Abraham, quid Moyſes: ſivè etiam locorum Nomina, quid ſit Hieruſalem, vel Sion, vel Jericho, vel Sina, vel Libanus, vel Jordanis, vel quæcumque alia in illa Lingua ſunt incognita nobis Nomina, quibus apertis, & interpretatis, multæ in Scripturis figuratæ loquutiones manifeſtantur.] Inde enim varii eruuntur Senſus Literales, & multò plures Myſtici, ut dicam infrà.

Hebræarum vocum interpretatio poſita ad calcem Sacræ Scripturæ.

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 16.

Quæ multę Scripturarum intelligentiæ innoteſcunt.

7 Principalem aliam Regulam ſtatuit *Auguſtinus* de ſe claram, & ulterioris explicationis non indigentem: [Cum Divinos Libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & ſanitate Catholicæ Fidei muniuntur, id potiſſimùm eligamus, quod *certum apparuerit eum ſenſiſſe, quem legimus*. Si autem hoc latet, id certè, *quod circumſtantia Scripturæ non impedit, & cum ſana Fide concordat*. Si autem, & Scripturæ circumſtantia pertractari, ac diſcuti non poteſt, ſaltèm id ſolùm, *quod Fides ſana praſcribit*. Aliud eſt enim quid potiſſimum Scriptor ſenſerit, non agnoſcere: aliud autem à regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfectè ſe habet fructus legentis: Si verò utrumque vitari non poteſt, etiamſi voluntas Scriptoris incerta ſit, ſanæ Fidei congruam non inutile eſt eruiſſe ſententiam.]

Lib. 1. de Gen. cap. ult.

Rimanda intentio Scriptoris.

8 Ad Circumſtantiam reſpexit *Gregorius* in illud: *Veni ad tranſmigrationem*, ubi ſcilicèt erant, qui de Hieruſalem tranſ-

transmigraverant, *ad acervum novarum frugum*, *&c.* Ex hoc enim, quod additur, quibus Prophæta vaticinatus sit, aperitur: [Inter cætera Prophætiæ miracula, hoc quoque mirandum habent Libri Prophætarum, quod sicut in eis, verbis res, ita nonnunquàm rebus verba exponuntur: ut eorum non solùm dicta, sed etiam res gestæ Prophætiæ sint. Unde nunc dicitur: Veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos, qui habitabant juxtà flumen Chobar. Cum causa exigeret, ut indicare debuisset, quia ad transmigrationem venerit: quæ dicendi necessitas fuit, ut per fruges locum quoque exprimeret, dicens: ad acervum novarum frugum: nisi quod sæpè per res, & loca, causæ signantur? Multi quippe, Ezechiele prophætante, jam captivitatis anni defluxerant, plures jam in morte carnis obierant, ad quorum Filios loqui Prophæta veniebat.... Quia ergo Prophæta missus, non priori populo, sed filiis ejusdem populi verba intulit, ad acervum frugum novarum venit.]

Aliquandò in Sacra Scriptura per res verba percipiuntur.

Hom. 11. in Ezech.

SECTIO IX.

Regulæ pro Sensibus oppositis.

Ex intelligentia Ecclesiæ.

1 
Quia verò eisdem verbis nedùm diversi, verùm, & contrarii Sensus Literales aptantur, si alter eorum sit falsus, ut dignoscatur, notant Noster Segobiensis, & P. Antonius à Matre Dei, referendum esse ad judicium Ecclesiæ. Ille enim Sensus, quem Ecclesia apertè rejicit, indubiè falsus est. Sìc in illis verbis: *Ego, & Pater unum sumus*, ex quibus literaliter significatam unitatem Essentiæ, & distinctionem Personarum fatetur Ecclesia, quælibet alia intelligentia præjudicans æqualitati, aut distinctioni Personarum; blasphema est, & damnata.

Lib. 2. cap. 12.

Præl. 3. dub. 10. §. 2.

Joan. 10.

Ex Contextu.

2 Eruitur etiam veritas Sensûs Literalis proprii ex contextu, sive ejusdem sententiæ, sive alterius loci. Unde eorum verborum: *Vinea facta est Dilecto meo*, intelligentia Literalis de Hebræo Populo manifestatur ex sequentibus: *Vinea enim Domini Sabaoth Domus Israël est*. Quod & David præcinuerat: *Vineam de Ægypto transtulisti*. Insuper plurium Sensuum sibi repugnantium, nisi aliter constet quis legitimus, quive repudiandus, ille eligendus est, qui erudito in Sanctis Libris, & ingenii disciplinata perspicuitate præ-

Isai. 5.

Psal. 79.

prædito Viro, Rationis non obnubilatæ judicio, verosimilior videatur; ut innuitur in *Cap. Decretalis dist. 20.* his verbis: *Quo quisque Canon magis Rationi nititur, exponendo Sacram Scripturam, tantò magis præferendus est*. Quod quidem cautè, solerter, & multâ prudentiâ agendum, & nonnisi eminentis Intelligentiæ, & probæ Virtutis est, quam Fides dirigat, & humilitas moderetur: nè humana Ratione Divina capere posse existimemus. Ex conformitate ad Rationem.

3 Certè *D. Thomas* ad scrutinium revocans aliquorum opiniones circa illa verba: *Et aquæ omnes, quæ super Cælos sunt, laudent Nomen Domini*, ex naturali quidem ratione ostendit, illos verum nec è limine salutasse; sed hoc roborat circumstantiâ, vel verbo, vel aliquo alio Scripturæ fulcimento. Unde rejecta opinione Origenis, pro aquis illis Spirituales Naturas intelligentis: aliorumque aliter sentientium placita, ut videre est apud Sanctum Doctorem fusè de hoc tractantem, illius verum Literalem Sensum exponit subdens: [Et ideo aliter videtur dicendum ad hoc, quod Scripturæ veritas ab omni calumnia defendatur: ut dicamus, quod aquæ illæ non sunt de natura harum aquarum Elementarium; sed sunt de natura Quintæ Essentiæ, habentes communem cum nostris aquis dyaphaneitatem: sicut, & Cœlum Empyreum cum nostro igne communem splendorem. Et has aquas quidem vocant Cœlum Chrystallinum: non quia sit de aqua congelata in modum chrystalli: quia, ut dicit Basilius in Hexameron, puerilis dementiæ, & insipientis mentis est, talem de Cœlestibus capere opinionem; sed propter illius Cœli soliditatem; sicùt, & de omnibus Cœlis dicitur Job. 37. quod solidissimi, quasi ære fusi sunt. Et hoc Cœlum etiam ab Astrologis ponitur Nona Sphæra. Unde nec Augustinus aliquam de præmissis expositionibus asserit, sed sub dubitatione dimittit, dicens in eodem libro: quomodo, & qualeslibet aquæ ibi sint, eas ibi esse minimè dubitemus. Major est quippe Scripturæ hujus authoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.]

Psal. 148. — *Quæst 4. de Pot. a. 1. ad 5.* — *Lib. 2. de Gen. ad Lit.*

Aquæ super Cælos quæ sint, & cujus naturæ.

Cœlum Crystallinum.

4 Ubi autem ex Literæ verbis ambigua videtur significatio, quandoque in diversis Sensibus vera esse potest: Sed utraque eligibilis, vel alterutra, ex diligenti Interpretum collatione apparet. Cujus affert exemplum *Augustinus*: [Nam nonnullas obscuriores sententias, plurium Codicum sæpè manifestavit inspectio. Sicut illud Esaiæ Prophætæ unus Interpres ait: Et *carnem* tuam ne despexeris; alius: *Et domesticos Seminis tui* ne despexeris; uterque sibimet invicem

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 12. — *Isa. 58.*

Ex collatione Interpretum.

vicem atteſtantur; namque alter ex altero exponitur. Quia, & *Caro* poſſet accipi propriè, ut *corpus* ſuum quiſque nè deſpiceret, ſe putaret admonitum: & *Domeſtici Seminis* translatè *Chriſtiani* poſſent intelligi ex eodem verbi ſemine nobiſcùm ſpiritaliter nati. Nunc autem collato Interpretum ſenſu, probabilior occurrit ſententia, propriè de Conſanguineis non deſpiciendis eſſe præceptum: quoniam Domeſticos ſeminis cum ad *Carnem* retuleris, Conſanguinei potiſſimùm occurrunt. Unde eſſe arbitror illud Apoſtoli quod ait: Si quo modo ad æmulationem adducere potero *Carnem meam*, ut ſalvos faciam aliquos ex illis; ideſt, ut æmulando eos, qui crediderant, & ipſi crederent.] *Ad Rom. 11.*

5 Quod ſi verba Sacræ Scripturæ à diverſis, præcipuè Sanctis Patribus, in oppoſito Senſu intelliguntur, non continuò alter reſpuendus eſt, ſed Patrum mens diligentiùs indaganda, explicanda, ut concors appareat non repugnans. Sæpiùs id præſtat *D.Thomas*, de quo *Cajetanus*: [Unde patet, fundamentum Authoris (*ſcilicet S.Thomæ*) eſſe ſolidum, peripateticum, & conſonum non ſolùm ſibi, ſed Sacris Doctoribus, *quos quia ſummè veneratus eſt Author, ideo intellectum omnium quodammodò ſortitus eſt.* Scriptum eſt enim, quod declaratio Divinorum Sermonum illuminat, & intellectum dat parvulis. Dantibus ergo operam declarationi Divinorum Sermonum, per Prophetas, Apoſtolos, Doctoreſque Sacros, lumen datur, & intellectus, utpotè parvulis in oculis ſuis, & ſeipſos ſubmittentibus illorum doctrinæ.] *2.2.q. 148. a.4. §. Ad tertium ſi.*

D. Thomas intellectum ſortitus omnium Patrum, quos ſummè veneratus eſt.

6 Præſertìm verò Sanctus, & humilis Doctor, qui peſtiferæ ſuperbiæ nunquàm perſenſit ſtimulum, parvulus in oculis ſuis, ſed Magnus coràm Domino, & Princeps in Tribubus Iſraël conſtitutus, eorum verborum: *Terra autem erat inanis, & vacua*, per quæ inſinuatur Terræ informitas, Patrum intelligentias primo intuitu contrarias, propoſito explicato conciliat: [Circà hoc ſunt diverſæ opiniones Sanctorum. Auguſtinus enim vult, quod informitas materiæ corporalis non præceſſerit tempore formationem ipſius, ſed ſolùm origine, vel ordine naturæ. Alii verò, ut Baſilius, Ambroſius, & Chryſoſtomus, volunt, quod informitas materiæ tempore præceſſerit formationem. Et quamvìs hæ opiniones videantur eſſe contrariæ, tamen parùm ad invicem differunt. Aliter enim accipit informationem materiæ Auguſtinus, quàm alii. Auguſtinus enim accipit informitatem materiæ pro carentia omnis formæ: & sìc impoſſibile eſt dicere, quod informitas materiæ tempore præceſſerit *Brev.Præd. 1. Reg. 15. Geneſ. 1. 1.p.q.66.ar. 1. cor.*

Terram eſſe inanem, & vacuã diverſimodè à Sanctis Patribus intelligitur.

vel

vel formationem ipſius, vel diſtinctionem ...... Alii verò Sancti accipiunt informitatem non ſecundùm quod excludit omnem formam, ſed ſecundùm quod excludit iſtam formoſitatem, & decorem, qui nunc apparet in corporea Creatura. Et ſecundùm hoc dicunt, quod informitas materiæ corporalis, duratione præceſſit formationem ejuſdem..... Deerat autem Terræ duplex pulchritudo: una, quam habet ex hoc, quod eſt aquis diſcooperta; & quantum ad hoc dicitur, quod Terra erat inanis, & vacua, ſivè inviſibilis, quia corporali aſpectui patere non poterat propter aquas undique eam cooperientes. Alia verò, quam habet ex hoc, quod eſt ornata herbis, & plantis; & ideo dicitur, quod erat vacua, & incompoſita, ideſt non ornata, ſecundùm aliam literam.]

Terræ duplex deerat in prima conditione formoſitas.

7 Ad finem hìc advertere licet, quod in percipiendo vero literæ ſenſu in duos lapides offendere quis poteſt: vel vocem plura ſignificantem transferendo juxtà modum, qui ſententiæ veritati non congruit. Verbum enim ſignificans *acutum*, & etiam *velocem*, malè ſenſum redderet, ſi alia verba ſententiæ alterutrum ſenſum non ferrent. Hìnc *Auguſtinus* ad propoſitum notat: [Et ex ambiguo literæ præcedentis, plerùmque Interpres fallitur, cui non benè nota ſententia eſt, dum eam ſignificationem transfert, quæ à ſenſu Scriptoris penitùs aliena eſt. Sicut quidam Codices habent: *Acuti* pedes eorum ad effundendum ſanguinem: *ὀξὺς* enim apud Græcos, & *acutum*, & *velocem* ſignificat. Ille ergo vidit ſententiam, qui tranſtulit: *Veloces* pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Ille autem alius, ancipiti ſigno in aliam partem raptus, erravit.] Nam pedibus non convenit eſſe acutos, ſed veloces.

Senſus Literalis incongruus ex ſiniſtra intelligentia vocum.

Lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 12.

8 Vel vocem transferendo juxtà eam ſignificationem, quæ intentioni Authoris non aptatur. Tanto diſcrimini præſens adhibet remedium *Auguſtinus*: [Et alia quidem non ambigua, ſed falſa ſunt, quorum alia conditio eſt. Non enim intelligendos, ſed emendandos tales Codices potiùs præcipiendum eſt. Hìnc eſt enim etiam illud, quoniam *μόσχος* *moſchos* Græcè *vitulus* dicitur, *μοσχεύματα* *moſcheumata* quidam non intellexerunt eſſe *plantationes*, & *vitulamina* interpretati ſunt. Qui error tàm multos Codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter ſcriptum; & tamen ſententia manifeſtiſſima eſt, quia *clareſcit conſequentibus verbis*. Namque: adulterinæ *plantationes* non dabunt radices altas convenientiùs dicitur, quàm *vitulamina*, quæ velùt pe-

Loco nunc cit.

Vel contraria intentioni Scriptoris.

Sapien. 4.


pedibus per terram gradiuntur, & non hærent radicibus: Hanc translationem in eo loco *etiam cætera contexta custodiunt.*] Et verè;nam ibi Sapiens impiorum insubsistentiam exaggerat dicens: Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita à vento commovebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.

CAPUT VI.

De Sensu Mystico.

SECTIO I.

Sensus Mystici necessitas, quidditas, divisio.

1 

Oncionatorem Sensui intentum Literali commendat admodùm *Augustinus* illis verbis: [Sanè quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt secundùm literam accipere, ideft non aliter intelligere, quàm litera sonat, & potuerit evitare blasphemias, & omnia congruentia Fidei Catholicæ prædicare, non solùm ei non est invidendum, sed præcipuus, multùmque laudabilis intellectus habendus est.]Addit nihilominùs, Mysticos Sensus etiam eruendos, quibus Scripturæ verba, resque affluentissimè scatent: [Modum, quem intendimus, teneamus, adjuvante illo, qui nos petere, quærere, & pulsare adhortatur, ut omnes istas *figuras rerum*, secundùm Catholicam Fidem, sivè quæ ad Historiam, sivè quæ ad *Prophætiam*, ideft mysticam intelligentiam, explicemus.]

Lib. 2. de Genes. con. Manich. to. 1.

Mystici Sensus eruendi.

2 Et quidem difficultas intelligendi quod prima facie litera præfert, desiderium excitat, quod obstrusius est penetrandi. Et è Libano odor diffusus, ideft Sacræ Scripturæ patens significatio,ad medullam cedri depascendam,sivè ad interiorem Sensum ruminandum, mentem invitat, quæ ad Divinam Veritatem capiendam pergit, superno lumine inter imaginum umbras sublucente, secura. Hìnc *Gregorius*: [Scriptura autem Prophætici Sermonis in tenebris vitæ

Sacra Scriptura lucerna lucens, & latens.

Hom. 15. in Ezech.

tæ præsentis facta est nobis lucerna, & lumen itineris; unde Psalmista dicit: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Quæ tamen lucerna Prophætici Sermonis jam quidem intelligentibus lucet: sed adhùc non intelligentibus, cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet.]

3 In vero Sensu Literali eruendo magna sine dubio disquisitio facienda, sed longè major in Spirituali. Comparatione etenim facta, Literalem quærentes, velùt in latissimis, seque utplurimùm explicantibus Literæ campis, cogitationum gregem pascimus: Spiritualem verò perscrutantes, minamus ad interiora deserti. Ibi cum Rachel decurrentibus rivis oves admovemus: hìc cum Jacob à puteo grandem lapidem substollimus. Nimirùm quæ litera affert sæpe patent: quæ occultat non plurimi capiunt, teste *Gregorio*: *Lib. 1. Moral. cap. 7.* [Paucorum quippè est fortia, & occulta cognoscere, multorum verò Historiæ aperta sentire.] Verùm si puteus altus est, à Domino flagitandum, ut det nobis hanc aquam: si obstrusum est Mysterium, est Deus in Cœlo, qui revelat Mysteria, dummodò, monente *Augustino*, hoc ab eo demissè *Enarr. in Psal. 103. Conc. 3.* quærendum non negligamus: [Sed jam, quoniam Deo placuit talibus *rerum figuris* abscondere Sapientiam suam, non auferre studiosis, sed claudere negligentibus, aperire pulsantibus: placuit etiam ipsi Domino Deo nostro ad hoc hortari vos per nos, ut in his omnibus, quæ velùt de corporali, & de visibili Creatura dicuntur, quæramus *aliquid spiritualiter absconditum*, quo invento gaudeamus.]

Sensus Mysticus Literali difficilior.

A Deo petenda ejus perceptio.

4 Sensus Spiritualis definitur: *Significatio, qua res significata per verba, exprimit aliam rem.* Indicatur à *D. Thoma* dicente: *1. p. q. 1. a. 10. cor.* [Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum Sensum, qui est Historicus, vel Literalis. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces, iterùm res alias significant, dicitur Sensus Spiritualis, *Præl. 3. dub. 14. §. 1.* qui super Literalem fundatur, & eum supponit.] Ex quo latiorem ejus definitionem desumpsit *P. Antonius à Matre Dei*, quod scilicèt Sensus Spiritualis sit: *Ille, quem verba sacra literis consignata ex intentione Spiritûs Sancti significant, mediis rebus priùs per illa in Sensu Literali significatis.* Ut hæ voces: *Tabernaculum, Templum*, ipsæ quidem significant quasdam res, nempe molem portatilem, & ædificium firmum, ac stabilem. Utrumque verò assumitur à Spiritu Sancto ad significationem alterius rei pertinentis ad Allegoriam, Anagogiam, Tropologiam.

Ejus definitio.

 5 Hinc

5 Hinc *D.Thomas* redditâ congruentiâ literaliter, cur Deus priùs Judæis Tabernaculum, postea Templum præceperit construendum, nempe quia illud conveniens Populo peregrinanti in deserto, & in Terra promissionis sub Judicibus, ac Davide, pluriès sub jugo captivitatis, semper bellis implicito: Templum verò eidem sub Salomone Rege alta pace fruenti; subdit Sensum Allegoricum, & Anagogicum: [Et hæc est ratio Literalis diversitatis Tabernaculi,& Templi. Ratio autem figuralis esse potest, quia per hæc duo significatur duplex status. Per Tabernaculum enim, quod est mutabile, *significatur status præsentis vitæ mutabilis*: per Templum verò, quod erat fixum, & stans, significatur *status futuræ vitæ*,quæ omninò immutabilis est. Et propter hoc, in ædificatione Templi, dicitur, quod non est auditus sonitus mallei, vel securis, ad significandum, quod omnis perturbationis tumultus longè erit à statu futuro. Vel per Tabernaculum significatur *status Veteris Legis*: per Templum autem à Salomone constructum, *status Novæ Legis*. Unde ad constructionem Tabernaculi, soli Judæi sunt operati: ad ædificationem verò Templi, cooperati sunt etiam Gentiles, scilicèt Tyrii, & Sidonii.]

Tabernaculi, & Templi Sensus Literalis, Allegoricus, Anagogicus.

1. 2. q. 102. a. 4 ad 2.

6 Insuper Sensum promit Allegoricum, & Tropologicum idem *S.Doctor* explicans literaliter Tabernaculi operimenta: [In tecto autem Tabernaculi erat operimentum unum de pellibus hyacinthinis, & super hoc, aliud de pellibus arietum rubricatis, & desuper tertium de quibusdam sagis cilicinis, quæ non tantùm operiebant tectum Tabernaculi, sed etiam descendebant usque ad terram,& tegebant tabulas Tabernaculi exteriùs. Horum autem operimentorum ratio Literalis in communi, erat ornatus, & protectio Tabernaculi, ut in reverentia haberetur. In speciali verò secundùm quosdam, per cortinas designabatur Cœlum Sidereum, quod est diversis stellis variatum: per saga, aquæ, quæ sunt super Firmamentum: per pelles rubricatas Cœlum Empyreum, in quo sunt Angeli: per hyacinthinas Cœlum Sanctæ Trinitatis. Figuralis autem ratio horum est: quia per tabulas, ex quibus construebatur Tabernaculum, significantur Christi Fideles,ex quibus construitur Ecclesia. Tegebantur autem interiùs tabulæ cortinis quatuor coloribus: quia Fideles interiùs ornantur quatuor Virtutibus. Nam in bysso retorta, ut Glossa dicit, significatur caro castitate renitens: in hyacintho mens superna cupiens: in purpura caro passionibus subjacens: in cocco bis tincto, mens inter

Ibid. ad 2.

Operimentorum Tabernaculi Sensus Literalis.

Allegoricus, & Tropologicus.

inter passiones, Dei, & proximi dilectione præfulgens. Per operimenta verò tecti designantur Prælati, & Doctores, in quibus debet renitere cœlestis conversatio, quod significatur per pelles hyacinthinas: promptitudo ad martyrium, quod significant pelles rubricatæ: austeritas vitæ, & tolerantia adversorum, quæ significantur per saga cilicina, quæ erant exposita ventis, & pluviis, ut Glossa dicit.]

7 De Sensûs Spiritualis distinctione agit *D. Thomas* loquens de Hebraicis Cæremoniarum ritibus: [Sic igitur rationes Præceptorum Cæremonialium Veteris Legis dupliciter accipi possunt. Uno modo ex ratione cultûs Divini, qui erat pro tempore illo observandus: & rationes illæ sunt Literales, sivè pertineant ad vitandum Idololatriæ cultum: sivè ad rememoranda aliqua Dei beneficia: sive ad insinuandam Excellentiam Divinam, vel etiam ad designandam dispositionem mentis, quæ tunc requirebatur in colentibus Deum. Alio modo possunt eorum rationes assignari secundùm quod ordinantur ad significandum Christum. Et sic habent rationes figurales, & mysticas: sivè accipiantur ex ipso Christo, & Ecclesia, quod pertinet ad *Allegoriam*: sivè ad mores Populi Christiani, quod pertinet ad *Moralitatem*: sivè ad statum futuræ Gloriæ, prout in eam introducimur per Christum, quod pertinet ad *Anagogiam*.

Ibid. a. 2. cor. — Sensûs Mystici divisio.

8 Clarè etiam alibi triplicem hunc Sensum Mysticum explicat: [Hic autem Sensus Spiritualis trifariàm dividitur. Sicùt enim dicit Apostolus ad Hebr. 7. Lex Vetus figura est Novæ Legis: & ipsa Nova Lex, ut dicit Dionysius in Eccl. Hier. est figura futuræ Gloriæ. In Nova etiam Lege, ea quæ in Capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundùm ergo quod ea, quæ sunt Veteris Legis significant ea, quæ sunt Novæ Legis, est *Sensus Allegoricus*: Secundùm verò ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est *Sensus Moralis*. Proùt verò significant ea, quæ sunt in Æterna Gloria, est *Sensus Anagogicus*.

I. p. q. 1. a. 10. cor.

9 Hæc porrò triplicitas Sensûs Mystici vel respicit trinam differentiam Temporis, ut advertit P. Valades: Allegoria enim præteritarum in Veteri Lege umbrarum, ac figurarum prænotiones, & præsagia manifestat: Tropologia, in Scripturis Sanctis gesta, vel dicta ad præsentis vitæ moralem institutionem convertit: Anagogia ad futuræ beatitudinis, & Cœlestis Gloriæ sublimiora mysteria animum sublevat. Vel, ut censet Noster Segobiensis, ad exercitium

Rhet. Christ. par. 3. cap. 12. — Triplex Sensus Mysticus respicit trinam differentiam temporis.

Lib. 2. cap. 12. §. — Vel tres Virtutes Theologicas.

Theo-

Theologicarum Virtutum refertur. Allegoricus quippe Veritatem Evangelii creditam, in Veteri Testamento præfiguratam ostendit. Quia tamen Fides sine operibus mortua est, ut per dilectionem operetur, Tropologicus excitat Charitatem. At Anagogicus, perennis Felicitatis quamplurima præ oculis ponens, Spem ad Cœlestia adspirantem, oblato præmio laborum, confirmat.

Vel triplicem statum Ecclesiæ.

Sensus Spiritualis explicatio.

10 Vel tandem designat triplicem statum Ecclesiæ Christi, scilicèt præfiguratæ per Synagogam, Militantis per opera Virtutum, Triumphantis in perpetua vita. Quod satis apertè indicatur à *D.Thoma* dicente: [Sed Sensus Spiritualis, ut dictum est, accipitur, vel consistit in hoc, quod quædam res per figuram aliarum rerum exprimuntur: quia visibilia solent esse figuræ invisibilium, ut Dionysius dicit. Inde est, quod Sensus iste, qui ex figuris accipitur, Spiritualis vocatur. Veritas autem, quam Sacra Scriptura per figuras rerum tradit, ad duo ordinatur, scilicèt ad rectè credendum, & ad rectè operandum: si ad rectè operandum, sìc est Sensus Moralis, qui alio nomine Tropologicus dicitur. Si autem ad rectè credendum, oportet distinguere secundùm ordinem credibilium. Ut enim Donysius dicit 4. Cap.Cœl. Hier. Status Ecclesiæ medius est inter statum Synagogæ, & statum Ecclesiæ Triumphantis. Vetus ergo Testamentum figura fuit Novi: Vetus simul, & Novum figura sunt Cœlestium. &c.]

Quodl. q.4. 15.cor.

Vetus Testamẽtum fuit figura Novi, & utrumque est figura Cœlestium.

SECTIO II.

Triplex Sensus Mysticus aliquando sub Allegoriæ, aliquando sub Tropologiæ nomine contentus.



1 Umptâ latiùs Allegoriâ, prout quamcumque significationem alterius rei ex re significata per verba, importat: & similiter sub eadem amplitudine acceptâ Tropologiâ, quatenùs τρόπος translationem exprimit non quidem vocis (sìc enim parit Sensum Literalem Metaphoricum) sed rei significatæ per verba Scripturæ ad significandam aliam rem, omnes tres Sensus Spirituales nunc sub Allegoriæ, nunc sub Tropologiæ

Translatio Vocis facit Sensum Literalem Metaphoricum.

giæ vocabulo Patres comprehendunt. Quare *D.Thomas* explicans mentem Augustini dividentis Sensum Scripturalem in Historicum, Etyologicum, Analogicum, & Allegoricum, docet, per tres priores eumdem Sensum Literalem significari, ut superiùs dictum est; subdens: [Sola autem Allegoria inter illa quatuor *pro tribus Spiritualibus Sensibus* ponitur.] *Augustinus* eo se loco explicans dixerat:[Secundùm Allegoriam cum docetur, non *ad literam* esse accipienda quædam, quæ scripta sunt, sed *figuratè* intelligenda.]

Translatio rei facit Sensum mysticum.

1.p. q.1.ar. 10.ad 2.

Lib. de util. credendi cap. 3.

2 Sub Allegoriæ nomine omnem Sensum Spiritualem accipit *Gregorius* in illud Job: profunda fluviorum scrutatus est, dicens: [Et quia Novi Testamenti Doctores ad hoc usque perducti sunt, ut occultas quoque *Allegoriarum* caligines in Veteri Testamento rimentur, rectè subditur: Profunda quoque fluviorum rimatus est, & abscondita produxit in lucem.] Accipit enim Allegorias pro omnibus Sensibus Spiritualibus, magìs se aperiens in sequentibus. [Sed horum fluminum Judæa speciem tenuit, dum Literæ superficiem servans, eorum profunda nescivit. Nos verò, qui veniente Domino, in eis *interna Spiritalia* quærimus, eorum profunda rimamur...... Per nos ergo, qui non Literam, quæ occidit, sed Spiritum, qui vivificat, sequimur, profunda fluviorum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit: quia dicta Legis, quæ caliginosa nimis *Historia* obscurat, nunc *Expositio spiritalis* illuminat.]

Allegoriæ nomine omnis mysticus Sensus accipi potest.

Cap. 28.

Lib. 18. Mor. cap. 20.

Ibid. cap. 21.

3 Idem alibi super ea verba: *Et expandi illum coram me, qui erat scriptus intùs, & foris*, duas esse dicit in Sacra Scriptura significationes, Historicam, & Allegoricam; statìmque se explicans, alteram vocat Sensum Literæ, sub altera spiritalem intellectum, qui in tres Mysticos Sensus partitur, agnoscit. [Liber enim Sacri Eloquii intùs scriptus est per *Allegoriam*, foris per *Historiam*. Intùs per *spiritalem intellectum*: foris autem per *Sensum literæ* simplicem adhùc infirmantibus congruentem: Intùs, quia *invisibilia promittit*: foris quia visibilia, *Præceptorum suorum rectitudine* disponit. Intùs quia *Cælestia pollicetur*: foris autem, quia terrena contemptibilia qualiter sint vel *in usu habenda*, vel ex desiderio *fugienda*, præcipit. Alia namque de *secretis Cælestibus* loquitur: alia verò in exterioribus actionibus jubet.] Cujus rationem insinuat *D.Thomas* in illud: *quæ sunt per Allegoriam dicta*: [Idest per alium intellectum. Allegoria enim est Tropus, seu modus loquendi, quo aliquid dicitur, & aliud intelligitur. Unde Allegoria dicitur ab *allos*, quod

Ezech. cap. 11.

Hom. 9. in Ezech.

Ad Gal. 4. D.Tho. ibid. lect. 6.

Allegorica unde dicta.

quod est *alienum*, & *goge*, ductio, quasi *in alienum intellectum ducens*. Sed attendendum est, quod Allegoria sumitur aliquando pro quolibet mystico intellectu, aliquando pro uno tantùm ex quatuor, qui sunt: Historicus, Allegoricus, Mysticus, & Anagogicus.]

4 Inde nomen Allegoriæ ad Anagogicum Sensum *S. Doctor* extendit exponens eadem Apostoli verba comparantis Synagogam Ecclesiæ, sicut Filium Ancillæ Filio liberæ, hanc dicit esse Matrem nostram sursùm. [Primum quidem potest dupliciter intelligi, secundùm quod hanc Matrem possumus intelligere. Vel illam, per quam generamur, quæ est Ecclesia Militans: vel illam Matrem, in cujus Filios generamur, quæ est Ecclesia triumphans. 1. Pet. 1: Regeneravit nos in spem vivam, &c. Sic ergo generamur in præsenti Ecclesia Militante, ut perveniamus ad Triumphantem. Hoc ergo modo illud exponentes, à quatuor describitur Mater nostra, scilicèt à sublimitate, cum dicit, sursùm. Secundò à Nomine, cum dicit, Hierusalem. Tertiò à libertate, cum dicit, libera est. Quartò à fœcunditate, cum dicit, Mater nostra. Est ergo sublimis per apertam Dei visionem, & per perfectam Dei fruitionem; & hoc quantùm ad Ecclesiam Triumphantem. Esaiæ 6: Videbis, & afflues, &c. Coloss. 3: Quæ sursùm sunt sapite, &c. Item sublimis per Fidem, & Spem, quantùm ad Ecclesiam Militantem. Philip. 3: Nostra conversatio in Cœlis est. Cant. 3. & 8: Quæ est ista, quæ ascendit, &c. Sed est etiam Pacifica, quia Hierusalem, idest visio Pacis. Quod quidem competit Ecclesiæ Triumphanti habenti pacem perfectam. Psal: Qui posuit fines tuos pacem. Esa. 32: Sedebit Populus meus in pulchritudine pacis. Item competit Ecclesiæ Militanti, quæ in Christo pacem habens, quiescit. Joa. 16: In me pacem habebitis. Est etiam Libera. Rom. 8: Ipsa Creatura liberabitur, &c. Et hoc quantùm ad Triumphantem; & etiam quantùm ad Militantem. Apoc. 11: Vidi Civitatem Sanctam Hierusalem, &c. Sed Fœcunda est, quia Mater nostra: Militans quidem, ut generans: Triumphans, ut in cujus Filios generamur. Psal: Numquid Sion dicet Homo, &c. Esa. 60: Filii tui de longe venient, &c.]

Sub nomine Allegoriæ etiã Sensus Anagogicus.

Ibid. lit. q.

5 Non modò autem Allegoricus Sensus ad Anagogicum ampliatur, notante *D. Thoma*: [Sicùt, & Hugo de S. Victore sub Sensu Allegorico, & Anagogicum comprehendit, ponens in 3. suarum Sententiarum solùm tres Sensus, scilicèt Historicum, Allegoricum, & Tropologicum.] Verùmetiam

1. p. q. 1. ar. 10. ad 2.

Hie-

Hieronymus omnes Sensus Spirituales in uno Tropologico claudit, dum intendentes tantummodò Sensibus Mysticis, & Literalem negligentes arguens, ait: [Et hoc dicimus, non quòd *Tropologicam intelligentiam* condemnemus: sed quòd *Spiritualis Interpretatio* sequi debeat ordinem *Historiæ*.] Nam cum Sensus Spiritualis sit figuratus, sive translatus, commune sortitur Tropi vocabulum.

In cap. 13. Isaia.

Sicùt etiam omnes Sensus Mystici sub nomine Sensûs Tropologici.

SECTIO III.

Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus Sensus exemplificati.

1 

Ropriâ Allegoriæ, ac Tropologiæ significatione restrictâ: illa exprimit, ex rebus significationem rerum pertinentium ad Fidei arcana: hæc ad morum institutionem, de qua infrà. Prioris exempla apud Patres abundant. Sufficiat illud *Augustini*: [Omnia enim, quæ nunc vides in Ecclesia Dei, & sub Christi Nomine per totum terrarum Orbem geri, *ante sæcula jam prædicta sunt*; & sicut ea legimus, ita, & videmus; & inde *ædificamur in Fidem*. Factum est aliquando Diluvium per totam terram, ut peccatores delerentur: & tamen illi, qui evaserunt in Arca, *Sacramentum futuræ Ecclesiæ* demonstrabant, quæ nunc in fluctibus Sæculi natat, & per *Lignum Crucis Christi* à submersione liberatur.]

Lib. de Catech. Rud. cap. 27. n. 4.

Diluvii Noë.

Sensus Allegoricus.

2 In Noë autem, & Arca consimilem Allegoriam expresserat Apostolus Petrus: *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, &c.* Prosequitur *D.Thomas* explicans rationes ejus Allegoriæ: [Per omnia assimilatum illi Arcæ: quia quidquid tunc carnaliter, hìc geritur spiritualiter. Sicut enim Arca fuit de lignis levigatis, idest dolatis; sic Ecclesia Christi de Sanctis per angustias, & tribulationes dolatis, & afflictis. Item sicut Arca fuit de lignis imputrefactilibus, seù imputribilibus: sic Ecclesia de incorruptis hominibus. Item in Arca pauci salvati sunt, scilicèt tantùm octo animæ: per quod signatur paucitas Salvandorum. Unde nota, quod paucitas Salvandorum præfigurata fuit tempore Legis Naturæ, quando scilicèt

1.Pet.3.

D. Thom. ibid.

Ecclesia significata per Arcam Noë.

cèt omnes, exceptis octo, qui salvati sunt in Arca, diluvio perierunt, sicut habetur hîc. Item fuit præfigurata tempore Legis Mosaicæ, ubi legitur Numer. 14. de omnibus, quos eduxit Dominus ex Ægypto ferè sexcentis millibus per desertum, (per quod significatur pœnitentia) non intrarunt, nisi duo Terram promissionis, scilicèt Josve filius Nun, & Caleb filius Jephonne. Item fuit præfigurata tempore Prophætarum, quando Filii Israël ducti sunt in captivitatem, & pauci relicti sunt in Terra promissionis. Ezech. 12: Relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & pestilentia. Unde Psal: Pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore. Sed tempore Gratiæ fuit actù expressa, & annunciata Matth. 22: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Item per Noë homines salvi facti sunt in Arca: sic per Christum in Ecclesia. Noë enim *Requies* interpretatur, & significat Christum, in quo est requies animarum. Item, quia extrà Arcam non est aliquis salvatus, sic nec extrà Ecclesiam.

Paucitas Salvandorum præfigurata tempore Legis Naturæ, Legis Mosaicæ, annũciata tempore Legis Gratiæ.

3 Adverte, Allegoricum Sensum procedere ex rebus, quarum voces apertam Exponenti significationem insinuant vel in propria, vel in metaphorica acceptione. Sic enim intellecto quid per verba Spiritus Sanctus immediatè intendat, procedimus ad ea vestiganda, ad quæ idem Spiritus, Ecclesiæ, & Patrum ductu, per res significatas perducit. Unde cum illud: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, in Sensu proprio Literali percipimus, ex eo Allegoriam ad Christum deducimus. Quemadmodùm *Tertullianus*: [Persequar itaque propositum, si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit Ille, qui eam fecit, jam tunc gloriantem, quod illa pusillitas, limus, in manu Dei, quæcumque sunt, pervenit, satis beatus, etsi solummodò contactus. Quid enim, si nullo ampliùs opere, statim Figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, qua ista materia extruebatur. Itaque totiès honoratur, quotiès manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere, consilio, Sapientiâ, Providentiâ, & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ductabat. *Quodcumque enim Limus exprimebatur, Christus cogitabatur Homo futurus*, quod & limus, & Sermo Caro, quod, & terra nunc . . . . . . Ita limus ille jamtùnc *imaginem induens Christi futuri in carne*, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.]

Allegoricus Sẽsus procedit ex rebus, quarum voces apertè significant.

Genes. 2.

Lib. de Resur. Carn. cap. 6.

Adæ formatio, Verbi Incarnationem præfigurabat.

4 In

4 In Canticis quoque, oscula, complexus, & hujusmodi amoris illecebras à Deo animæ promissas, vel ab anima suspiratas in Sensu Literali metaphorico accipientes, nobis notas, ulteriùs latentis mysticæ significationis occulta scrutamur. Unde *Gregorius*: [Rebus notis Allegoriæ conficiuntur, & in sententias Divinas vertuntur: ut dum recognoscimus exteriora, intellectu perveniamus ad interiora. Hinc est, quod in Libro hoc, qui Cantica Canticorum inscribitur, amoris quasi corporei verba ponuntur, ut à torpore suo anima, per sermones consuetos discussa, recalescat: & per verba amoris, qui infra est, excitetur ad amorem, qui supra est.] Rectè verò, quia præcipuè ex figuris Veteris Testamenti, quæ mysteriorum Novæ Legis vaticinia fuere, Allegoricus Sensus eruitur, *secundùm Prophætiam* vocatur ab *Augustino* asserente, Librum Genesis plenum Allegoricis Sensibus: [Hic ergo totus sermo, primò secundùm Historiam discutiendus est, deindè *secundùm Prophætiam*. Secundùm historiam facta narrantur: secundùm Prophætiam futura prænunciantur.]

Proœm. in Exposit. Cātic.

Allegoriæ rebus notis conficiuntur.

Sensus Allegoricus vocatur Sēsus secundùm Prophætiam.

Lib. 2. de Gen. con. Manich. to. 1.

5 Pro Tropologici Sensûs quidditate notanda doctrina *D. Thomæ*, qui opponens sibi hujusmodi argumentum: Moralis Sensus est, qui ad morum instructionem pertinet: Sed Sacra Scriptura in plutibus locis secundùm Literalem Sensum mores instruit: Ergo Moralis Sensus non debet distingui à Literali. Respondet: [Moralis Sensus non dicitur omnis Sensus, per quem mores instruuntur: sed per quem *instructio morum* sumitur ex similitudine aliquarum *rerum gestarum*: sic enim Moralis Sensus est pars Spiritualis: ita quod nunquàm est idem Sensus Moralis, & Literalis.]

Quodl. 7. a. 15. ad 3.

Sensus Tropologicus qui propriè sit.

6 Dum itaque in Sacris Literis ponuntur monita, præcepta pro moribus disponendis, hæc habent Sensum Literalem. Sed id, quod per ea verba significatur, assumitur per Tropologiam ad significandum aliud, quod Christiani in suis moribus servent. Quale illud: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Cujus, & Sensum priùs Literalem, & inde Tropologicum exponit *Gregorius*: [Quisquis enim accingi in Divino servitio properat, quid aliud, quàm se contra antiqui Adversarii certamen parat, ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub Tyranno in captivitate serviebat? Sed *in eo ipso, quod mens contra hostem accingitur*, quod alia vitia subigit, aliis reluctatur, aliquando de culpa aliquid, quod tamen non valdè noceat, remanere permitti-

Eccl. 2.

Non est in verbis significantibus monita ad mores formandos, sed in re significata per ea verba.

Lib. 4. Mor. cap. 21.

tur. Et sæpè mens, quæ adversa multa, & fortia superat, unum in se, & fortassè minimum, quamvìs magna intentione invigilet, non expugnat. Quod Divina nimirùm dispensatione agitur, ne ex omni parte *virtutibus splendens, in elatione sublevetur*: ut dum parvum quid in se reprehensibile videt, & tamen hoc subigere non valet, *nequaquàm sibi, sed Authori victoriam tribuat* in his, quæ subigere fortiter valet.]

7 Iterùm *Gregorius* plures sententias morales Sacræ Scripturæ, additâ Tropologicâ intelligentiâ illustrat: [Cum augendis pecuniis inhiant, audiant quod scriptum est: Avarus non implebitur pecuniâ: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Fructus quippè ex illis caperet, si eas *benè spargere* non amando voluisset. Qui verò eas *diligendo retinet*, hic utique sine fructu *derelinquet*. Cum repleri cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod scriptum est: Qui festinat ditari, non erit innocens. Profectò enim qui augere opes ambit, *vitare peccatum negligit*: & more avium captus, cum escam terrenarum rerum avidè concupiscit, quo strangulетur peccati laqueo non agnoscit. Cum quælibet præsentis Mundi lucra desiderant, & quæ de futuro damna patientur ignorant, audiant quod scriptum est: Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. Ex hac quippè vita initium ducimus, ut ad benedictionis sortem in novissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditare festinant, sortem sibi in novissimo benedictionis amputant: quia dum *per avaritiæ nequitiam* hìc multiplicari appetunt, illìc ab æterno Patrimonio exhæredes fiunt.]

Pastor. par. 3. Admon. 21.

Avari lucris inhiantes ab æternis divitiis exhæredes fiunt.

8 Facta etiam & gesta, quæ in Scripturis narrantur, & mores concernunt, optimè Tropologicum Sensum subeunt. Unde in illud: *Rursùm fodit alios puteos*, quo tolerantia Isaac notatur, Allophylis, invidia suggerente, priores puteos, lapidum strue obcæcantibus, sìc ait *Gregorius*: [Unde benè, & Isaac apud alienam Gentem puteos fodisse describitur. Quo videlicèt exemplo discimus, ut in hac peregrinationis ærumna positi, cogitationum nostrarum profunda penetremus: & quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquàm nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamen puteos Allophyli insidiantes replent: quia nimirùm immundi Spiritus, cum nos studiosè cor fodere conspiciunt, congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt. Unde semper mens evacuan-

Sensus Tropologicus in gestis narratis in Sacra Scriptura.

Gen. 26.

Lib. 31. Mor. cap. 13.

cuanda est, incessanterque fodienda: ne si indiscussa relinquitur, usque ad tumorem perversorum operum, cogitationum super nos terra cumuletur.]

9 Plura demùm sive naturalia, sive artificialia in Scripturis contenta Tropologiæ deserviunt. Sicut in velo quadrifario colore contexto, inter Sancta,& Sancta Sanctorum expanso, præcellentes Christiani Populi Virtutes præfiguratas *D. Thomas* insinuat. Et de bis tincto cocco in Sacerdotis superhumerali tropologicam rationem reddit *Gregorius*: [Unde Moyses cum per colores vestium, Electorum Virtutes exprimeret, in ornamento Pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi. Quid namque per coccum, nisi Charitas designatur, quæ semper flammâ amoris accenditur? Sed coccus bis tingitur, quando non solùm ex amore Dei, sed etiam proximi nostra Charitas inflammatur. Nam quisquis sic amat Deum, ut commissi sibi proximi curam relinquat, adhùc in eo coccus semel tinctus est. Et quisquis sic amat proximum, ut imminuat desiderium, quo flagrare debet in Deum, non est adhùc in eo color tincturæ geminatus. Debemus ergo, & amare eos, cum quibus vivimus, & ad illum totis desideriis anhelare, in quo veraciter vivamus.]

1. 2. q. 102. a. 4. ad 4.

Exod. 28.

Hom. 16. in Ezech.

Velum inter Sancta, & Sancta Sanctorum, Christianas Virtutes significat.

Color Vestium Sacerdotalium typus Charitatis.

10 Ab eodem *Gregorio* compositioni thymiamatis tropologica adhibetur expositio: [Unde rectè ad Moysen dicitur: Sume tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia: faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum. Thymiama ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis, Virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum,& purum fit: quia quantò Virtus Virtuti jungitur, tantò incensum boni operis sinceriùs exhibetur. Unde, & benè subjungitur: Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram Testimonii Tabernaculo. In tenuissimum pulverem aromata universa conterimus, cùm bona nostra, quasi in pilo cordis occulta discussione tundimus, & si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando terere, & usque ad subtilitatem occulti examinis revocare.] Et de Jacob claudicante post luctam idem S. Pontifex ait: [Hinc Jacob, qui Angelum tenuit, uno mox pede claudicavit: quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc Mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui

Exod. 30.

Lib. 1. Mor. cap. 20.

Thymiama examinis conscientiæ typus.

Lib. 4. Mor. cap. 30.

Jacob claudicans significabat deficientem in terrena affectum.

solo Dei amore roboratur:& necesse est,ut alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet proculdubiò ut carnis fortitudo languescat.]

11 Pro Anagogico Sensu, quo res significatæ per verba in utroque, vel alterutro Testamento sunt signa futuræ vitæ, in quam nos Christus introducit, exempla occurrunt ex *Gregorio* in illud:*Et anni tui non deficient.* [Si per annos Dei, Æternitatem accipimus, qualiter anni ejus non deficient, apertè videmus. Quod si per annos ipsam Sanctorum multitudinem intelligere volumus, Anni non deficient: quia cum illo, qui nunquàm deficiet, unum sunt. Revolutionem enim quamdam dierum Annum vocamus: quid autem sunt Sancti, nisi dies, & quid peccatores, nisi nox? Hinc etenim scriptum est: Dies diei eructat verbum,& nox nocti indicat scientiam. Anni ergo non deficient: quia Sanctorum Chori, postquam illam incomprehensibilem semel in semetipsis acceperint lucem, nullam amplius sentient ignorantiæ, vel tentationis obscuritatem. Tunc enim dies videtur deficere, cum aut nubium, aut noctis tenebris obscuratus cœperit non lucere. Quod ab illa vita alienum erit: quia vera Lux, quæ obscurari non potest, in Sanctis fulgebit.]

Annis Dei Æternitas signatur.

In Psalm. Pænit. Ps. 101.

Et Electorum jugis fruitio Æternæ Lucis.

Psalm. 18.

12 Exponens idem *S. Pontifex* illud: *Parvus, & magnus ibi sunt*, ad Anagogicum Sensum transfert: [Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubiò discretio dignitatum: ut quo hìc alius alium merito superat,illìc alius alium retributione trascendat.Unde in Evangelio Veritas dicit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sed in eisdem multis mansionibus, erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde, & non æquè laborantes in Vinea, æquè cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt;& tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt: quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvìs non una sit omnibus sublimitas vitæ.]

Lib. 4. Mor. cap. 31.

Diversitas gloriæ in Beatis, omnium auget gaudium.

13 Anagogicè etiam *D. Thomas* proponit intelligendum interius Tabernaculum à Moyse, Deo jubente, constructum: [In illo Tabernaculo tria continebantur, scilicèt Arca Testamenti, in qua erat urna aurea habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat,& Tabulæ,in quibus erant scripta decem Præcepta Legis. Hæc autem Arca sita erat in-

1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.

inter duos Cherubim, qui se mutuis vultibus respiciebant: & super Arcam erat quædam Tabula lapidea, quæ dicebatur Propitiatorium subter alas Cherubim. . . . . . . Per hæc autem tria, designantur tria, quæ sunt in illo altiori Sæculo: scilicet Deus, qui super omnia est, & incompræhensibilis omni Creaturæ. Et propter hoc nulla similitudo ejus ponebatur, ad repræsentandam ejus invisibilitatem: sed ponebatur quædam figura sedis ejus: quia scilicèt Creatura comprehensibilis est, quæ est subjecta Deo, sicut sedes sedenti. Sunt etiam in illo altiori sæculo spirituales Substantiæ, quæ Angeli dicuntur: & hi significantur per duos Cherubim mutuò se respicientes, ad designandam concordiam eorum ad invicem, secundùm illud Job 25: Qui facit concordiam in sublimibus. Et propter hoc etiam non fuit unus tantùm Cherubim, ut designaretur multitudo Cœlestium Spirituum, & excluderetur cultus eorum ab his, quibus præceptum erat, ut solùm unum Deum colerent. Sunt etiam in illo intelligibili Sæculo rationes eorum, quæ in hoc Sæculo perficiuntur, quodammodò clausæ: sicut rationes effectuum clauduntur in suis causis, & rationes artificiatorum in Artifice. Et significabatur per Arcam, in qua repræsentabantur, per tria ibi contenta, tria quæ sunt potissima in rebus humanis: scilicèt sapientia, quæ repræsentabatur per Tabulas Testamenti: Potestas regiminis, quæ repræsentabatur per Virgam Aaron: Vita, quæ repræsentabatur per Manna, quæ fuit substentamentum vitæ. Vel per hæc tria significabantur tria Dei Attributa: scilicèt Sapientia in Tabulis, Potentia in Virga, Bonitas in Manna.]

Tabernaculum Gloriæ figura.

Duo Cherubim super Propitiatorium, & cur?

SECTIO IV.

Sensus Mysticus soli Sacræ Scripturæ convenit.

1 ITa Divinæ Scripturæ propriè Sensum Mysticum convenire, ut, etsì non cuilibet ejus sententiæ, illi tamen soli, & Scripturæ alteri non competat, pluriès docuit *Augustinus*, præcipuè iilis verbis: [Sicùt humana consuetudo verbis, ita Divina Potentia *factis loquitur.*] Et alibi non minùs profundè: [Quia ipse Christus Verbum Dei est, *etiam factum Verbi, verbum est.*]

Epist. 49. q. ult.

Tract. 24. in Joa. tom. 9.

Divina Potentia factis loquitur.

est.] Ubi advertit *P. Antonius à Matre Dei*, non dixisse Augustinum: *quia homo est*, ut indicaret, *loqui factis* non competere Christo, ut homini, sed ut Deo. Et paulò ante dixerat *Augustinus*: [Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim, si intelligantur, linguam suam.] Manifestissimè verò id alio loco significat *Sanctus Pater* : [Ea , quæ fecit Dominus Noster Jesus Christus , *&* *Opera, & Verba sunt*: Opera, quia facta sunt, & Verba quia signa sunt.]

Præl. 3. dub. 18. §. 2.

Christi miracula velùt voces quædam.

Tract. 44. in Joa.

2 Cujus vestigiis *Sanctus Thomas* fidelissimè insistens , testante Pontificio Oraculo, & ab eis nec latum unguem discedens, rationem affert, cur id soli Divinæ Scripturæ, nullique alteri conveniat, dicens: [Est enim duplex significatio: una est per *voces*, alia per *res*, quas voces significant. Et hoc specialiter est in Sacra Scriptura, & non in aliis. Cum enim ejus Author sit Deus , in cujus potestate est , quod non solùm voces ad designandum accommodet: (quod etiam homo facere potest) sed etiam *res ipsas*: Et ideo in aliis Scientiis ab hominibus traditis , quæ non possunt accommodari ad significandum , nisi tantùm verba, & voces solùm significant . Sed hoc est proprium in ista Scientia , ut voces , & *ipsæ res* significatæ per eas aliquid significent . Et ideo hæc Scientia potest habere plures Sensus . Nam illa significatio , qua voces significant aliquid, pertinet ad Sensum Literalem, seù Historicum: Illa verò significatio, qua *res significatæ* per voces iterùm res alias significant , pertinet ad Sensum Mysticum.]

Urban. V. in Bulla Translatio. S. Thom. ad Tholos. 1370.

Solus Deus potest ordinare rem significatā, ut significet aliā.

In cap. 4. Epistol. ad Gal. lect. 6.

3 Alio etiam discursu idipsum *S. Doctor* declarat: [Spiritualis Sensus Sacræ Scripturæ accipitur ex hoc , quod res cursum suum peragentes, significant aliquid aliud, quod per Spiritualem Sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis Sensus possit accipi, quod ejus solius est , qui sua Providentiâ res gubernat , qui solus Deus est . Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces, vel aliquas similitudines fictas: ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suæ Providentiæ subiectarum. Significare autem aliquid per verba, vel per similitudines fictas ad significandum tantùm ordinatas, non facit, nisi Sensum Literalem, ut patet ex dictis . Unde in nulla Scientia , humanâ industriâ inventa , propriè loquendo potest inveniri , nisi Literalis Sensus : sed solùm in ista Scriptura , cujus Spiritus Sanctus est Author : Homo verò Instrumentum , secundùm illud Psal: Lingua mea

Ex quo sumatur Sensus Mysticus Sacræ Scripturæ.

Quodl. 7. ar. 16. cor.

In nulla Scientia humanitùs inventa potest inveniri nisi Literalis Sensus.

mea calamus Scribæ &c.] Idque alibi profert, inquiens: [Author Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet: (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas: & ideo cùm in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium illa Scientia, quod res significatæ per voces etiam significant aliquid.]

1. p. q. 1. a. 10. cor.

4 Quæ verba acutè *Cajetanus* perpendens, modum explicat, quo *significare per res* proprium sit Sacræ Scripturæ. [Circa hanc partem nota: Cum accommodare res ad significandum nihil aliud sit, quàm facere eas esse non solùm res, sed *signa* aliarum rerum; dupliciter intelligi potest, res fieri signa. Uno modo in ipsa generatione rerum, ut scilicèt simul fiant ad hoc, ut sint res, & signa aliarum rerum. Alio modo adventitiè, ut res jam factæ accipiantur ut signa. Si accommodatio rerum ad hoc, ut sint signa, sumatur hoc secundo modo, non est proprium Dei: nec excedit hominis facultatem accommodare res ad significandum: nec est proprium hujus Scientiæ, quod res significent: quoniam res gestæ narratæ in aliis historiis possunt ab homine interpretari ut signa aliarum, non solùm per modum imitationis: ut gesta fortia Antiquorum imitanda sunt à successoribus: sed per modum significationis: ut scilicèt gesta illa ut signa habeantur gerendorum. Si autem sumatur accommodatio rerum ad significandum primo modo, dupliciter potest intelligi, scilicèt universaliter, & particulariter. Si particulariter, sìc non excedit hominis potestatem. Nam quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquid artificiale: & faciendo illa, intendere per illa significare aliam rem, ut patet. Sed quod *omnia, quæ narrantur gesta in tot Historiis, ut res ad doctrinam aliquam spectantes, ut sìc sint ex sui constitutione signa aliarum rerum,* hoc excedit humanam facultatem: hoc Dei est proprium: in hoc hæc Doctrina cæteras scientias excellit. Est igitur sensus literæ, (*Textûs D. Thomæ*) quod accommodare res *universaliter* spectantes ad Doctrinam ad hoc ut signa sint, cum fiunt, est proprium hujus doctrinæ: quia hoc à solo Authore hujus Doctrinæ fieri potest. Non enim ex adinventione nostra, *petra*, de qua fluxit Judæis aqua in deserto, facta est *Signum Christi*: sed ad hoc ex illa petra fluxit aqua, ut in veritate esset fons aquæ, & esset *Signum Christi*, qui Fons est aquæ spiritalis, dicente Apostolo: Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: *Petra autem erat Christus*. Et sìc de aliis.]

In Comm. art. cit.

Quid sit accommodare res ad significandum.

Quomodò possit hoc homo facere.

Quomodò verò solius Dei sit.

5 Potest autem hæc ponderosa Cajetani consideratio exemplis ex eadem Divina Scriptura desumptis confirmari. Multotiès enim singulares personæ ex seipsis aliquas res ordinaverunt ad significandas alias res: sicùt Judas filius Jacob Thamar Nurvi suæ sibi ignotæ dedit annulum, armillam, & baculum pro signo, ut illi mitteret hædum mercedem concubitûs. Sed Deus res illas ad aliud mysticè signandum referebat. De quo *Ambrosius*: [Tractavimus moralem locum, quia non opera meretricis exercuit, sed munera fœcunditatis elegit. Tractemus Historicum, & Mysticum ventilemus. Neque enim sine mysterio potest esse, quod annulum, & monile accepit, & virgam. Non vilis persona, quæ meretur accipere ornamentum, signaculum, potestatem: factorum signaculum, pectoris ornamentum, Regiæ libertatis insigne.]

Gen. 38.

Virga, & annulus Thamar à Juda traduntur.

Lib. 3. in Luc. cap. 3.

Eorum mystica significatio.

6 Eodem Genesis Libro vitta illa coccinea occurrit, quam suo proposito Obstetrix brachio Zaræ ligavit in signum primogenituræ; dicitur enim: *Atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua Obstetrix ligavit coccinum dicens: iste egredietur prior*. Mysterium verò ad quod significandum à Deo res illa ordinabatur, profertur ab eodem *Ambrosio* nuper adducto: [Quid sibi vult, quod coccum in manu ejus ligavit: nisi quia *typus ejus erat*, qui crucis indicio suæ, & sanguinis fusione actum illustravit humanum?] Et *Augustinus*. [Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum, sed res per signa discuntur. Propriè autem nunc res appellavi, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicuti est lignum, lapis, pecus, atque hujusmodi cætera. Sed non illud lignum, quod in aquas amaras Moysem projecisse legimus, ut amaritudine carerent: neque ille lapis, quem Jacob sibi ad caput posuerat: neque illud pecus, quod pro Filio immolavit Abraham. Hæ namque ita sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum.]

Coccinea vitta brachio Zaræ ligata, Christi passionem figurans.

Lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 2.

7 Insuper Samuel, Sauli signum pro legitimo Principatu dedit, quod inveniret duos viros juxta Sepulchrum Rachel. Sed aliud ex Dei speciali ordinatione significasse exponit *Gregorius*: [Quasi enim humili Pastori, & de tanto ministerio trepidanti dicat: Tu idcircò trepidas, quia an sit ex Deo hoc, quod de te actum est, nescis: sed quia hoc scire potes, trepidare non debes. Hoc igitur tibi *Signum*, quia te non homo, sed Deus in Principem unxerit: duo videlicèt viri illi tibi dicent: Inventæ sunt asinæ, ad quas jeras perquirendas. Quasi dicat: si illos duos viros inveneris, &

1. Reg. 10.

Lib. 4. in 1. Reg. cap. 10.

hoc

hoc tibi dixerint, ſcito, quia te Deus Principem, non ego conſtitui.] Sic explicato literaliter ſigno per verba expreſſo, & inſtituto, ut duo illi viri eſſent ſignum Principatûs, pergit Sanctus Pontifex ad explicandum quid *res illa ſumpta pro ſigno*, ulteriùs ex Dei ordinatione myſticè ſignaret.

8 Si quis denique opponat, quod Sacra Scriptura efficaciâ prædita eſt ad oſtendendam Veritatem. Videri proinde, non illi congruere Senſuum multiplicitatem, quæ in una ſcriptura parit confuſionem, & deceptionem, & tollit arguendi firmitatem: unde ex multiplicibus propoſitionibus non procedit argumentatio, ſed ſecundùm hoc aliquæ fallaciæ aſſignantur. Verumtamen lapidem hunc offenſionis amoverat *D.Thomas* objectioni reſpondens: [Multiplicitas horum Senſuum non facit æquivocationem, aut aliam ſpeciem multiplicitatis: quia, ſicut jam dictum eſt, Senſus iſti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa ſignificet: ſed quia ipſæ res ſignificatæ per voces, aliarum rerum poſſunt eſſe ſigna. Et ita etiam nulla confuſio ſequitur in Sacra Scriptura, cum omnes Senſus fundentur ſuper unum, ſcilicet Literalem, ex quo ſolo poteſt trahi argumentum, non autem ex his, quæ ſecundùm Allegoriam dicuntur, ut dicit Auguſtinus in Epiſtola contra Vincentium Donatiſtam. Non tamen ex hoc aliquid deperit Sacræ Scripturæ: quia nihil ſub Spirituali Senſu continetur Fidei neceſſarium, quod Scriptura per Literalem Senſum alicubi manifeſtè non tradat.]

1.p. q.1. a. 10.ad 1.

Multiplicitas Senſuũ in Scriptura cur non pariat confuſionem.

Ex ſolo Senſu Literali poteſt trahi argumentum ad Fidei dogmata definienda.

9 Ratio hujus eſt: quia res ſignificata per vocem poteſt aliquando ob diverſam ſimilitudinem ſignificare res oppoſitas, ſicut id, quod ſignificatur per nomen *Leo* poteſt referri ad Chriſtum ob fortitudinem, & liberalitatem: & ad Diabolum ob ſævitiam, & crudelitatem. Ideo ſi alicubi Scriptura non traderet, Vocem *Leo* intelligi literaliter metaphoricè de Chriſto, & alibi etiam literaliter de Diabolo ex verbis contextûs, non poſſet erui efficax argumentum ex myſtica intelligentia, irreperet enim fallacia conſequentis, ut advertit *S.Doctor* inquiens: [Non eſt propter defectum authoritatis, quod ex Senſu Spirituali non poteſt trahi efficax argumentum: ſed ex ipſa natura ſimilitudinis, in qua fundatur Spiritualis Senſus. Una enim res pluribus ſimul eſſe poteſt. Unde non poteſt ab illa, quando in Scriptura Sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinatè, ſed eſt fallacia conſequentis. Verbi gratia, Leo propter aliquam ſimilitudinem ſignificat Chriſtum, & Diabolum. Unde per

Quodl. 7. a. 14. ad 4.

Quod non provenit ex defectu authoritatis, ſed ex conditione ſimilitudinis.

hoc, quod aliquid de Leone dicitur in Sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus in Sacra Scriptura argumentando.]

10 Super hoc igitur quod Apoc. 5. dicitur: Vicit Leo de Tribu Juda, & intelligitur metaphoricè de vero Christi Composito, fundatur argumentum ad suadendum, de Corpore ejus Mystico, scilicèt Ecclesia, intelligendum esse Leonem, in cujus interempti faucibus Sampson favum mellis invenit. De quo *Ambrosius*: [Neque enim otiosum videtur, quod cum tenderet ad mysterium nuptiarum, Leo occurrit ei, quem manibus ille discerpsit, in cujus corpore, connubia petiturus optata, congregationem apum reperit, & mel sustulit de ore ejus, quod Patri tribuit edendum, & matri. Habebat Gentium populus mella, qui credidit: qui corpus feritatis erat ante, *nunc Christi est*..... Et ideo in corpore ejus *(Leonis)* hoc est *Ecclesia*, apes repertæ, quæ condunt mella Sapientiæ.]


Leo, in cujus ore mel inventum, significat Ecclesiam ex Gentibus.

Judic. 14.

Proœm. in Lib. 2. de Spir. San.

SECTIO V.

Non semper uterque Sensus, Literalis, & Mysticus in qualibet Sacræ Scripturæ sententia.

1 Uod triplex Mysticus, & insimùl Literalis in utriusque Testamenti sententiis reperiri possint indubium est. De priori quidem sic profundè discurrit *Ambrosius* de Geminis loquens, Phares interpretato *Divisio maceria*, & Zaram, interpretato *Oriens*, significantibus Synagogam, & Ecclesiam: [Melior igitur maceria, quàm paries. Denique non bonus paries dealbatus. Quod non otiosè dictum est Principi Sacerdotum: eo quod *medii parietis* impedimenta servabat, quem Dominus Jesus *abstulit*, quasi duram militiam, quo clariorem observantiam Religionis infunderet, ut jam non unum Judæorum Genus, quasi corporalis quodam *præscripto Legis* inclusum, sed omnes Gentes ad Dei cultum per *Evangelium* vocarentur. Duo igitur Gemini, duæ *geminæ vitæ*, duæ geminæ sunt militiæ, itaut prior melior sit sequente. Et ideo, quod est melius reformatum est. Quis autem neget

Geminorum Thamar interpretatio, & mysterium.

Lib. 3. in Luc. cap. 3.

Actor. 23.

get, *Evangelium præstare Legi?* Bona tamen Lex si *supra Literam* mentem erigas: Litera enim occidit. Quid autem haberet hæc Historia gratiæ, nisi *lucem tanti mysterii* videremus? Docuit enim nos Apostolus Sanctus, *in simplicitate Historiæ, secretum quærere Veritatis, & in quasdam non intelligibiles secundùm Literam disputationes Sensum referre*, scribens: Dicite mihi sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim: quia Abraham duos Filios habuit, unum ex Ancilla, & unum de Libera: sed qui ex Ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de Libera, secundùm promissionem. Quæ sunt, inquit, *per Allegoriam dicta*: hæc enim sunt duo Testamenta.]

Sensus Mysticus sub litera requirendus.

Ad Gal. 4.

2 Eadem itaque Veteris Testamenti sententia sæpè per quatuor Sensus exponitur, ut illud: *Dixitque Deus fiat lux*, penès *D. Thomam* dicentem: [Et omnium horum patet exemplum. Per hoc enim, quod dico Fiat lux, ad Literam de luce corporali, pertinet ad *Sensum Literalem*. Si intelligatur: Fiat lux, idest nascatur Christus in Ecclesia, pertinet ad *Sensum Allegoricum*. Si verò dicatur. Fiat lux, idest ut per Christum introducamur ad Gloriam, pertinet ad *Sensum Anagogicum*. Si autem dicatur: Fiat lux, idest per Christum illuminemur in intellectu, & inflammemur in affectu, pertinet ad *Sensum Moralem*.]

In cap. 4. Epistol. ad Gal. lect. 6. fi.

Quatuor Sensus in eadem sententia exemplo Lucis.

3 Novi quoque Testamenti gesta, vel sententiæ nedùm præter Literalem habere possunt Sensum Tropologicum, quod passìm apud Patres invenire est, ratione indicata à D. Thoma: [Et etiam ipsa passio Christi, licèt sit *aliquid signatum per alia Sacrificia figuralia*: est tamen *signum alicujus rei observandæ à nobis*, secundùm illud 1. Petri 4: Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed voluntate Dei, quod reliquum est, in carne, vivat temporis.] Hìnc *Gregorius* in illud: *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. [Audistis Fratres Charissimi, quod Sanctæ Mulieres, quæ Dominum fuerant sequutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, & ei, quem viventem dilexerant, etiam mortuo, studio humanitatis obsequuntur. Sed *res gesta* aliquid in Sancta Ecclesia *signat gerendum*. Sìc quippè necesse est, ut audiamus *quæ facta sunt*, quatenùs cogitemus etiam, quæ nobis sint ex eorum imitatione *facienda*. Et nos ergo in eum, qui mortuus est, credentes, si *odore Virtutum* referti, cum opinione *bonorum operum* Dominum quærimus, ad

3. p. q. 48. a. 3. ad 2.

Sententiæ vel Gesta in Novo Testamento præter Literalē possunt habere Sensum Tropologicum.

Marc. 16.

Hom. 21. in Evang.

Aromata significant Virtutum odorem.

mo-

monumentum profectò illius cum aromatibus venimus.]

Novi Testamenti sententiæ aliquando ferunt Sensum Literalem, & triplicem mysticum.

4 Sed, & omnes tres Mysticos Sensus in aliqua Novi Testamenti sententia reperiri posse docet *D.Thomas*:[Ipsum Corpus Verum Christi, & ea, quæ in ipso sunt gesta, sunt *figura* Corporis Christi Mystici, & eorum, quæ in ipso geruntur: ut ex ipso, scilicèt Christo, exemplum vivendi sumere debeamus. In Christo etiam futura gloria nobis præmonstrata est. Unde ea, quæ *ad Literam* de ipso Christo Capite dicuntur, possunt exponi, & *Allegoricè* referendo ad Corpus ejus Mysticum, & *Moraliter* referendo ad actus nostros, qui secundùm ipsum debent reformari: & *Anagogicè*, inquantùm in Christo est nobis iter Gloriæ demonstratum.] *Quodl. 7. a. 15. ad 5.*

Non tamen semper etiam in Veteris Testamenti sententiis.

5 Et hæc quidem frequentèr. Cæterùm non in quolibet loco sivè Veteris, sivè Novi Testamenti Mysticos omnes Sensus includi, sed quandoque nec unum, præter Literalem, indubitatum Hieronymo est, Epiphanio, aliisque Patribus. Iterùmque occurrit *D.Thomas* nuper citatus: [Quatuor isti Sensus non attribuuntur Sacræ Scripturæ, ut in qualibet ejus parte sit istis quatuor Sensibus exponenda. Sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantùm. In Sacra enim Scriptura præcipuè ex prioribus posteriora significantur. Et ideo quandoque in Sacra Scriptura secundùm Sensum Literalem dicitur aliquid de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi, sed non convertitur. Inter omnia autem, quæ in Sacra Scriptura narrantur, prima sunt illa, quæ ad Vetus Testamentum pertinent: & ideo quæ secundùm Literalem Sensum ad facta Veteris Testamenti spectant, possunt quatuor Sensibus exponi.] Ubi tamen intendit hoc concedere, sed non universaliter, ut suprà docuerat. Et loquens de Novo Testamento, in quo possunt omnes quatuor Sensus inveniri, ut claret in Christo, cujus exemplum ex ipso D.Thoma adduximus numero superiori, notatu dignam addit doctrinam: [Sed quando secundùm *Literalem Sensum* dicitur aliquid de Ecclesia, non potest exponi *Allegoricè*: nisi fortè ea, quæ dicuntur de primitiva Ecclesia, exponantur quantùm ad futurum statum Ecclesiæ præsentis. Possunt tamen exponi *Moraliter*, & *Anagogicè*. Ea verò, quæ moraliter dicuntur secundùm Sensum Literalem, non consueverunt exponi, nisi *Allegoricè*. Illa verò, quæ secundùm Sensum Literalem pertinent ad statum gloriæ, *nullo alio Sensu* consueverunt exponi: eo quod ipsa non sunt figura aliorum, sed ab omnibus aliis figurata.]

Hier. epist. ad Avit. Et Prol. lib. 5. in Isa. Et in cap. 27. & 29. Jerem.

Epiphan. epistol. ad Joa. Hieros.

Quodl. cit.

Quādo ex Sensu Literali possit trahi mysticus.

6 Ea-

6 Eapropter *Beati Gregorii* monita non negligenda, dicentis: [Intellectus Sacri Eloquii inter Textum, & Mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursùs torpor incuriæ vacuum relinquat. Multæ quippe ejus sententiæ tanta Allegoriarum conceptione sunt gravidæ, ut quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitiâ per suam incuriam privetur. Nonnullæ verò ita exterioribus præceptis inserviunt, ut si quis eas subtiliùs penetrare desiderat, intùs quidem nihil inveniat, & hoc sibi etiam quod foris loquuntur, abscondat.]

Lib. 21. Mor. cap. 1.

Cautela in Sensibus Mysticis eruendis.

7 Idque ex re gesta à Jacob virgas non in totum decorticante, & ponente in canalibus, sumpta similitudine aptissimè explicat. [Unde benè quoque narratione historicâ per significationem dicitur: Tollens Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his quæ despoliatæ fuerant candor apparuit: illæ verò, quæ integræ erant, virides permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. Ubi, & subditur: posuitque eas in canalibus, in quibus effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in conspectu earum conciperent. . . . . . Ante considerationis enim nostræ oculos præcedentium Patrum *sententiæ*, quasi virgæ variæ ponuntur. In quibus dum plerùmque intellectum Literæ fugimus, quasi corticem subtrahimus: & dum plerùmque intellectum Literæ sequimur, quasi corticem reservamus. Dùmque ab ipsis cortex Literæ subducitur, Allegoriæ candor interior demonstratur: & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla monstrantur. . . . . . . Quia, & nonnunquàm subtracto Literæ cortice acutiùs interna considerat: & reservato nonnunquàm historiæ tegmine, benè se in exterioribus format.]

Grego. Ibid. Genes. 30

Virgæ à Jacob in canali expositæ, significant Mysticos Sensus sub cortice Literæ contentos.

8 Ulteriùs idem alia explicans comparatione subdit: [Nam quia Divinæ sententiæ aliquandò interiùs rimandæ sunt, aliquandò exteriùs observandæ, per Salomonem quoque dicitur: Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementèr emungit, elicit sanguinem. Ubera quippè fortiter premimus, cum verba Sacri Eloquii subtili intellectu pensamus. Qua pressione dum lac quærimus, butyrum invenimus: quia dùm nutriri vel tenui intellectu quærimus, ubertate internæ pinguedinis ungimur. Quod tamen nec nimiè, nec semper agendum est:

Grego. Ibid. Prov. 30.

Nō tamen violenter vestigandos.

est: nè dùm lac quæritur ab uberibus, sanguis sequatur. Plerùmque etenim quidam, dum verba Sacri Eloquii, plusquàm debent, discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippè elicit, qui vehementer emungit: quia carnale efficitur hoc, quod ex nimia Spiritûs discussione sentitur.]

9 Luculenter id etiam *S.Pontifex* expresserat alibì, monens, non violenter Mysticos Sensus eruendos esse cum discrimine non assequendi Literæ veritatem: [Aliquando autem qui verba accipere historiæ juxtà Literam negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit. Cumque laboriosè invenire in eis aliud intrinsecùs appetit, hoc, quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. Sanctus namque Vir dicit: si negavi quod volebant pauperibus, & oculos Viduæ expectare non feci: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: Si despexi prætereuntem, eoquod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est. Quæ videlicèt si ad Allegoriæ Sensum violenter inflectimus, cuncta ejus misericordiæ facta vacuamus. Divinus etenim Sermo sicut Mysteriis prudentes exercet, sic plerùmque superficie simplices resovet: habet in publico unde parvulos nutriat: servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius, ut ita dixerim, planus, & altus, in quo, & agnus ambulet, & Elephas natet. Ut ergo *uniuscujusque loci opportunitas postulat*, ita se per studium expositionis ordo immutat: quatenùs tantò veriùs Sensum Divinæ Loquutionis inveniat, quantò, ut res quæque exegerit, se per causarum species alternat.]

Epistol. ad Lead. Lib. Mor. præfixa.

Job. 31.

Sacra Scriptura Fluvius planus, & altus.

10 Utrumque autem vitio adscribit *Augustinus*, & nunquàm Sensum Mysticum, & semper quærere ubi non est: Ut autem *Literam sequi, & signa pro rebus, quæ iis significantur non accipere*, servilis infirmitatis est: Ita inutiliter *signa interpretari*, malè vagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen *signum esse* intelligit, nec ipse premitur servitute. Melius est autem *vel premi incognitis*, sed utilibus signis: quàm inutiliter ea interpretando, à jugo servitutis eductam cervicem laqueis *erroris* inserere.] Præsertìm aperiendus Sensus Literalis in jis, quæ minima videntur, ideoque crebrò prætermittuntur, vel aliorsùm distrahuntur quorumdam affectata segnitie à *Gregorio* notata. [Solent quidam Scripturam Sacri

Nunquàm Sensum mysticum, & semper quærere, utrumque vitium est.

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap.9. 10.3.

Elo-

Hom. 10. in Ezech. ini. Eloquii legentes, cum sublimiores ejus sententias penetrant, minora mandata, quæ infirmioribus data sunt, tumenti sensu despicere, & ea velle in alium intellectum permutare. Qui si rectè in eo alta intelligerent, mandata quoque minima despectui non haberent: quia Divina Præcepta sic in quibusdam loquuntur magnis, ut tamen in quibusdam congruant parvulis, qui per incrementa intelligentiæ, quasi quibusdam passibus mentis crescant, atque ad majora intelligenda perveniant.] In minimis sententiis non negligendus Literalis.

11 Literalem adminùs Sensum semper esse in qualibet Scripturæ sententia dubitandum non est. Dum enim *Gregorius* dicit: [Aliquando autem intelligi juxtà Literam nequeunt: quia superficietenùs accepta, nequaquàm instructionem Legentibus, sed errorem gignunt.] Intelligendus est de Sensu Literali proprio, quem multotiès verba Scripturæ non habent, licèt saltem improprio, & metaphorico nequaquàm careant. Et notandum, erroris periculum incurri posse non rarò, dum verbo habente duplicem significationem, alteri earum apertiori quis inhæret, & tamen illa vel contextui, vel aliis Scripturæ locis non conformatur. Et inde est, quod videtur verbum illud in Literali Sensu accipi non licere. Unde *Ambrosius* super illud: *Sicut scriptum est in Lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur*, ait: [Nam si Literam sequamur, quomodo Sanctus omnis masculus, cum plures sceleratissimos fuisse non lateat?] Ideoque verbum illud in *Allegorico Sensu* accipit: [Per Legem enim promittebatur Virginis partus, & verè *Sanctus*, quia immaculatus.] Intelligitur tamen verbum, *Sanctum*, in proprio Sensu Literali: quia juxtà Domini præceptum non significat justitiam, sivè Sanctitatem, sed oblationem, & consecrationem Deo factam, ut dicitur Exodi 13. & alibi. Jusserat enim Deus, ut sibi offerrentur primogenita tàm hominum, quàm jumentorum in memoriam primogenitorum in Ægypto interemptorum. In quo etiam Sensu authoritas illa affertur ab Evangelista narrante oblationem pueri Jesu in Templo.

Epist. cit. — Verba Sacræ Scripturæ semper habent Sensum Literalem, vel proprium, vel metaphoricum.

Luc. 2. — Lib. 2. in Luc. — Erroris periculum in vero Sensu Literali percipiendo.

12 Eidem discrimini exponitur, qui propter apparentem incongruitatem verborum Sacræ Scripturæ, Literalem in eis denegat Sensum. Ut cum Deus Adæ pœnam transgressionis infligens, ait: *Maledicta terra in opere tuo*: Non videtur enim rationi congruum, ut super terram nihil peccantem Divina caderet maledictio. Sicque hac extrinseca inconvenientia verborum hallucinatus, imprudenter quis Idem erroris periculum ex apparenti incongruitate sententiæ.

in Literali Sensu illa non esse intelligenda contenderet. Ponderanda propterea, si quæ occurrunt, similia verba, & ad alia contextûs referenda, ut eorum legitimus Sensus appareat. Quod in allatis clarescit: Sapientissimè enim maledixit terræ, vel in Sensu Literali tropico sivè translato, per *Metonymiam*, Adæ videlicèt secundùm corpoream partem *ex terra* coagulatam: Sicque maledictio cadit supra transgressorem. Vel potiùs in Sensu Literali proprio, quatenùs per Divinam maledictionem Terra privaretur primæva fœcunditate, spinas, & tribulos germinaret, & Adæ in sudore vultûs operanti, fructus, in peccati pœnam, non redderet. Quemadmodùm insinuat *Gregorius* loquens de maledictione David super Montes Gelboë. Postquam enim Montes Gelboë de superbis Judæorum cordibus Christum Domini interficientium explicasset in *Sensu Allegorico*; statìm Sensum Literalem exponit: [Possunt tamen idcircò Gelboë Montes ore Prophætæ maledici, ut dum fructus ex arescente terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur: quatenùs ipsi maledictionis sententiam acciperent, qui apud se mortem Regis suscipere, iniquitate sua exigente, meruissent.]

Terra cur à Deo maledictione percussa.

2. Reg. 1.

Montes Gelboë quare maledicantur à David.

Lib. 4. Mor. cap. 4.

13 Hìnc perpulchra mixtio nascitur utriusque Sensùs, dum eadem sententia, & literaliter de vera maledictione, & spiritualiter exponitur quantùm ad personam maledicentem, vel res quibus maledicit; cujus apud *Gregorium* nobile extat exemplum. Adornans enim expositionem in illud Job cap. 3: *Post hæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo*, eorum verborum Jeremiæ 20: *Maledictus vir, qui annunciavit Patri meo dicens: natus est tibi puer masculus*, explicationem præmittit: [Sed quid est, quod à Prophæta maledictionis sententiam Vir ille suscepit, qui nativitatem illius Patri nunciavit? Hoc nimirùm tantò intrinsecùs majori mysterio plenum est, quantò extrinsecùs humana ratione vacuum. Nam si quid exteriùs rationabile fortassè sonuisset, nequaquàm nos ad studium interioris intellectûs accenderet. Eò ergo nobis pleniùs aliquid intùs innuit, quò foris rationabile nihil ostendit. Si enim ex matris suæ utero, hoc in Mundo Prophæta affligendus prodiit, nativitatis ejus nuncius quid deliquit? Sed quid Personâ Prophætæ fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens, humani Generis mutabilitas designatur? Et quid per Patrem illius, nisi iste, de quo nascimur, Mundus exprimitur? Et quis est ille Vir, qui nativitatem nostram Patri annunciat, nisi antiquus hostis?]

Loco nunc. cit.

Eo magis quærendus Sensus Mysticus, quo Literalis non videtur esse proprius.


CA-

CAPUT VII.

De Conceptibus ad Concionem ex Scriptura eruendis.

SECTIO I.

Prærequisita ad Sacræ Scripturæ expositionem.

1 
Dhùc postquàm Deus multifariàm loquens Patribus in Prophætis, loquutus est nobis in Filio: ipsumque Verbum Caro factum, antiquam umbram futurorum, Legem scilicèt, Evangelicâ luce persudit, in visione nondùm manifesta (videmus enim nùnc per speculum in ænigmate, tùnc autem facie ad faciem) Sermo Domini est pretiosus, Verbum absconditum ab oculis nostris: quod vestigare vanum erit, ni idem ipse, qui Veritas est, ex Divinæ Sapientiæ, nimirùm suiipsius, salivâ liniat mentis aciem, & aperiat Sensum, ut intelligamus Scripturas, tectas quidem, sed ratione *Augustini*: [Obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum Divinitùs esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & Intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerùmque vilescunt.] Sed nil labore ipso pretiosius, aut utilius, quippè ad Christiani Populi profectum ordinato. Unde idem monebat *Sanctus Pater*: [Quando itaque possumus de Divinis operibus, quæ leguntur, intellectum alicujus mysticæ significationis exculpere, quasi de abstrusis favorum cellis mella producimus. Vel Christi Discipulos imitantes, spicas manibus confricamus, ut ad latentia grana perveniamus.]

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 6.

Quare Deus multa sub literæ velamine celaverit?

Lib. 14. de Ver. Dom.

2 Prolixiùs id tradit *Gregorius* ad illud: Apparuit Rota una super terram, explicans quantùm rudibus conferat gesta in Divinis Scripturis narrata historicè percipere: doctis verò ea mysticè interpretari. [Circulus quippe Præceptorum illius modò sursùm, modò deorsùm est, quia quæ per-

Ut dum erudiuntur indocti, sublimioribus pascantur eruditi.

Hom 6. in Ezech. init.

 se-

fectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis juxtà literam congruunt: & ipsa, quæ parvuli juxtà literam intelligunt, docti Viri per spiritalem intelligentiam in altum ducunt. Quis namque parvulorum in facto Esau, & Jacob, quod alter ad venatum mittitur, ut benedicatur, alter verò per suppositionem Matris à Patre benedicitur, nisi juxtà Sacræ Lectionis historiam pascitur? In qua videlicèt historia, si ad intellectum paulò subtiliùs adstringatur, videtur, quia Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem surripuit, sed ut sibi debitam accepit, quam concedente Fratre, data lentis mercede, emerat. At verò si quis altiùs sentiens, utrorumque facta velit per Allegoriæ arcana discutere, protinùs ab historia in mysterium surgit. &c.]

Fructus laboris in cognoscendis Sensibus Sacræ Scripturæ.

3 Hujus porrò laboris fructum explicat *D. Thomas* super ea verba: *Omnis Scriptura Divinitùs inspirata utilis est ad docendum, &c.* Ubi ait: [Effectus hujus Scripturæ est duplex, scilicèt: quia docet cognoscere Veritatem, & suadet operari justitiam. Joa. 14: Paracletus autem Spiritus Sanctus docebit, scilicèt cognoscenda, & suggeret operanda. Et ideo utilis est ad cognoscendam Veritatem: & utilis est ad dirigendum in operatione. Est enim Ratio speculativa, & est etiam Ratio practica. Et in utraque sunt duo necessaria, scilicèt, quod Veritatem cognoscat, & errorem refellat. Hoc enim est opus Sapientis, scilicèt non mentiri, & mentientem refellere. Quantùm ad primum, dicit: Utilis est ad docendum, scilicèt Veritatem. Psal: Bonitatem, & Disciplinam, & Scientiam doce me. Quantùm ad secundum subdit: ad arguendum. Ad Tit. 1: Ut sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Item quantùm ad practicam sunt duo necessaria, scilicèt, ut reducat à malo, & ad bonum inducat. Psal: Declina à malo, & fac bonum. Quantùm ad primum, dicit: ad corripiendum, quod est corripere à malo. Matth. 18: Si peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Job 5: Beatus homo, qui corripitur à Domino. Quantùm ad secundum dicit: ad erudiendum in Justitia. Et hæc omnia Sacra Scriptura facit. Esa. 8: In manu forti erudivit me, &c. Sic ergo quadruplex est effectus Sacræ Scripturæ: scilicèt docere veritatem, arguere falsitatem, quantùm ad speculativam: eripere à malo, & inducere ad bonum, quantùm ad practicam. Ultimus ejus effectus est, ut perducat homines ad perfectum: non enim qualitercumque bonum facit, sed perficit. Hebr. 6: ad perfectionem feramur. Et ideo di-

2. ad Tim. cap. 3.

D. Thom. ibid. lect. 3.

A qua dirigitur Ratio tùm Speculativa, tùm Practica.

dicit: ut perfectus sit homo Dei: quia non potest homo esse perfectus, nisi sit homo Dei: Perfectum enim est, cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus, quando est instructus, idest paratus, ad omne opus bonum, non solùm ad ea, quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea, quæ sunt supererogationis: Bonum autem facientes non deficiamus. Ad Gal. ultimo.]

4 Ut igitur tot fructus ex Scripturæ expositione in Auditoribus referat, Concionatorem operæ pretium est præmonere: ut ad Divini Eloquii scrutandi profundam abyssum demissâ accedat humilitate. *Stylus* enim Sacræ Scripturæ, *hominis* quidem, idest planus, & superficietenùs cunctis pervius: sed principaliter Dei est, Sapientiam continens, Superborum, & Sublimium colla calcantem. Abscondit arcana à Sapientibus, & Prudentibus, & revelat ea parvulis, qui, ut ait *Gregorius*: [Tunc verè proficiunt, si ad altitudinem meritorum, & fortitudine conantur operis, & Virtute Humilitatis.]

Humilitas necessaria in Expositore Sacræ Scripturæ.

Lib. 1. in Reg. cap. 2.

5 Cujus gemina ratio: altera, quoniam si *Joannes Chrysostomus* protestabatur: [Beati Pauli Epistolarum lectionem assiduè dum ausculto, perque Hebdomadas singulas bis sæpè, & ter, & quater peragendâ Sanctorum Martyrum memoriæ celebratione, gaudio exulto, interim Tubâ illâ spiritali perfruens exurgo quidem, & desiderio incalesco: *vocem mihi amicam agnoscens: quin, & tantùm non præsentem ipsum imaginatus, disserentem audire videor.*] Quid non exiget reverentiæ, ac demissionis tot Sanctos Viros Scriptores Canonicos, imò Deum ipsum principalem Authorem audire? Ut enim inquit Apostolus: Cum accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) Verbum Dei. Dum Sacros legimus Codices, Deum nobis loqui scimus, nosque cum eo colloquia miscere, dicamus: quid sumus, ut loquamur ad Dominum nostrum? Imo Dominus noster nobis loqui dignetur?

Præf. in Epist. Pauli. To. 4.

Chrysostomus legens Pauli epistolas, ipsum in eis loquentem, sibi videtur audire.

1. ad Thess. cap. 2.

6 Altera: Nam ad Sacræ Scripturæ verba capienda, sententias legitimè exponendas, Sensus germanè eliciendos, Dei Secreta fidentèr scrutanda, mentem intuendam, voluntatem interpretandam, Gratiâ illa gratìs datâ opus omninò est, quam *Interpretationem Sermonum* nuncupavit Apostolus, & Dominus (quamvìs etiam possit elatis, imò, & scelestis) nonnisi humilibus confert. Non ergo alta sapere fastuosè præsumat: non aliud scire ambiat, nisi Jesum, &

hunc

Sacræ Scripturæ intelligentia à Deo humiliter efflagitanda.

hunc Crucifixum: non propriæ fisus ingenii aciei, omnia sibi rimanda, intelligenda, exhaurienda promittat: sed Sapientiæ venas è lucis Fonte derivari precetur: arida enim lingua, quam non infundit Fons aquæ vivæ salientis in Vitam Æternam: Sermo infœcundus, in quo non seipsum Dei verbum serit: & evanidus labor in veris Sacri Eloquii Sensibus colligendis, ubi Deus auxilii sui manum non extendit, dans nobis comedendum Librum involutum, ut eo aperiente, sedulâ attentione ruminemus, & interna probitate custodiamus, illius dulcedinem in nobisipsis experti, cujus mysticam suavitatem cæteris tradimus experiendam.

7 Propterea super ea verba: Factum est in ore meo sicut mel dulce, notat *Gregorius*. [Liber, qui viscera replevit, dulcis in ore, sicut mel, factus est: quia ipsi de Omnipotenti Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura Sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur: quia ei suavis est ad loquendum, cui interiùs impressa ad vivendum fuerit. Nam Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intrà conscientiam remordet. Unde necesse est, ut qui Verbum Dei loquitur, priùs studeat qualiter vivat, ut post ex vita colligat quæ, & qualiter dicat. Ad prædicandum namque plùs conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitatio Sermonis: quia amando Cœlestia, intrà semetipsum Prædicator legit quomodo persuadeat, ut despici debeant terrena.]

Hom. 10. in Ezech.

Per vitæ probitatem faciliùs obtinenda.

8 Perpendat etiam Concionator num ex eorum caterva sit, qui, ut ait idem *Gregorius*: [Non ea quærunt, ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam servent, longanimitatem exhibeant: sed ea solummodò, quæ eos doctos, atque loquaces demonstrent: illa scire appetunt, ex quibus singulariter eruditi videantur....... Quàm benè eorum audaciam Prædicator egregius refrænat, dicens: Non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hinc Salomon ait: Prudentiæ tuæ pone modum. Hinc rursùm dicit: Mel invenisti? comede quod sufficit tibi, ne fortè saturatus evómas illud. Dulcedinem quippè spiritalis intelligentiæ qui ultrà quàm capit comedere appetit, etiam quod comederat evomit: quia dum summa intelligere ultrà vires quærit, etiam quæ benè intellexerat amittit..... At contrà hi, qui in Sancta Ecclesia veraciter sunt humiles, & veraciter docti, norunt de Secretis Cœlestibus, & quædam

Lib. 20. Mor. cap. 16.

Non omnia se intelligere posse Expositor Sacræ Scripturæ præsumat.

Ad Rō. 12. *Prov. 23.* *Prov. 25.*

con-

confiderata intelligere, & quædam non intellecta venerari: ut, & quæ intelligunt, veneranter teneant: & quæ necdùm intelligunt, humiliter expectent. Unde nobis per Moysen dicitur, ut comedentes agnum, quidquid de eo reliquum fuerit, igni comburamus. Agnum quippè comedimus, cùm multa Dominicæ Humanitatis intelligendo recondimus in ventrem mentis. Ex quo quædam nobis remanent, quæ condi nequeunt: quia multa adhùc de illo restant, quæ intelligi nequaquàm possunt. Quæ tamen igne comburenda sunt: quia ea, quæ capere de illo non possumus, humiliter Sancto Spiritui reservamus.]

Exod. 12.

9 Illi utique Divino Igni, qui corda primorum Verbi Propagatorum suo implevit illapsu. Sine eo enim Charitatis Elemento, Spiritus intelligentiæ extinguitur. Ante Dei thronum Seraphim extensis alis assistunt: quia ad ejus consilia in Scripturis penetranda non perveniunt, nisi quos Amoris flamma substollit. Quare *Augustinus*: [Qui protegis in aquis superiora ejus: cujus superiora? Cœli. Quid est Cœlum? figuratè dumtaxàt dicimus Scripturam Divinam. Quæ superiora Scripturæ Divinæ? Præceptum, quo nihil est eminentius, Charitatis. Quare autem aquis comparata est Charitas? Quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.]

Dei Charitate flagret.

Enarr. in Psalm. 103. Conc. 2. to. 8.

10 Ad superiora igitur Scripturæ, ad eminentissimæ Charitatis apicem, ad summum intelligentiæ cacumen Concionator, Charitate levante, perveniet, ejusque Sensus, monita, præcepta Fideli Populo, Charitate urgente, adaperiet. Ideoque *Gregorius* Concionatoris verba ex Divinis Eloquiis desumpta coccineæ in Canticis vittæ conformia dicit: quia quæ sedulus in studio Scripturarum Amor Dei disquirit, largus ad Dei gloriam in animarum bonum idem Amor dispensat: [Labia ergo Sponsæ, sicut vitta sunt: quia exhortatione Sanctæ Ecclesiæ, cuncta in Auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur: ne remissæ defluant: ne se se per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos deprimant: sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam rectè, & *coccineam* asserit: quia Sanctorum prædicatio solo *Charitatis ardore flammescit.*] Et *Augustinus*: [Quapropter cum quisque cognoverit, finem præcepti esse Charitatem de corde puro, & conscientia bona, & Fide non ficta, omnem intellectum Divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum Librorum securus accedat.]

Divina Eloquia vittæ coccineæ comparata.

Lib. 2. Mor. cap. 27. post me.

Lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 40.

11 Sed verò, ut ex Sacris Eloquiis eruantur conceptus

non

non ad Concionatoris arbitrium, ſed ad veritatis lancem, pondus habentes ad inclinandum Auditoris animum: quique menti Scriptoris conformiores, ab intentione Spiritus Sancti per illum loquentis non aberrent, omnis impendendus eſt labor. Graviter proinde monet *Auguſtinus*, cùm aliter, quàm nos explicuimus, Authorem ſenſiſſe, Eccleſiæ censurâ conſtiterit, noſtræ ignorantiæ adſcribamus quod comprehendiſſe præſumpſerat imbecillitas: [Et in rebus obſcuris, atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam Divina legerimus, quæ poſſint, ſalvâ Fide, qua imbuimur, aliis, atque aliis parere ſententiis: *in nullam illarum* nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut ſi fortè diligentiùs *diſcuſſa veritas* eam rectè *labefactaverit*, corruamus: non *pro ſententia Divinarum Scripturarum*, *ſed pro noſtra* ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum eſſe, quæ noſtra eſt: cùm potiùs eam, quæ *Scripturarum* eſt, *noſtram eſſe* velle debeamus.] Et allato exemplo in illis verbis: *fiat lux*, ſi Eccleſia intelligendum definiat tantùm de luce corporali, dùm ab aliquo propriâ voluntate ad aliud traheretur: [Non *hoc habebat* Divina Scriptura, ſed *hoc ſenſerat* humana ignorantia.]

Conceptus erudi cóformes intentioni Sacræ Scripturæ.

Lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 18. to. 3.

Ibid.

12 Inhærendum ideò, ut ſæpiùs inculcavimus, expoſitionibus Patrum in conceptibus proferendis, quatenùs in eis conſtruendis ingenium Concionatoris deſudet, ſed à Sanctorum Virorum ſententiis authoritas deſumatur. Hìnc *Auguſtinus* in ea verba: *Recedite, exite inde, & immundum nè tetigeritis*, ait: [Attendite in facta Sanctorum, ne fortè *noſtra videatur interpretatio*, quomodo hæc verba intellexerunt Sancti, *ſic utique intelligenda ſunt*. Exite inde, inquit Prophæta. Priùs uſitata ipſius verbi conſuetudine *afſero ſententiam*, & poſtea *oſtendo non meam.*] Cavenda inſuper nimia curioſitas, quæ faciat oſtentationem, & officiat gravitati. Eâ rapiuntur Ingenioſi, quos hortatur *Tertullianus*: [Noviſſimè ignorare melius eſt: ne *quod non debeas noris*, qui *quod debeas noſti* ..... Cedat curioſitas Fidei, cedat gloria *(vana)* ſaluti: Certè aut non obſtrepant, aut quieſcant: *adversùs Regulam nihil ultrà ſcire*, omnia ſcire eſt.]

Senſui Sanctorũ Patrum Interpretum,

Iſa. 35.

Ser. 18. de Verb. Dom. tom. 10.

Lib de Præſcript. adv. Hær. cap. 14.

13 Plura documenta pro Conceptibus inoffenſè eruendis cumulat Noſter Segobienſis, ad quem remittimus Lectorem, illud repetentes, ut Sacra Scriptura ſæpiùs evolvatur: nec per portiunculas, & fruſtula, ſed utrumque Teſtamentum attentione maximâ conſideretur, monente *Auguſtino*.

Lib. 2. à cap. 13. uſq; 22.

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 8. *ftino*. [Erit igitur Divinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primò totas legerit, notaſque habuerit, etsì nondùm intellectu, jam tamen lectione, dumtaxàt eas, quæ appellantur Canonicæ. &c.] Unum quippe Corpus Sacra Scriptura, & in diverſis velutì aſpectibus integritas eadem membrorum ſibi concinnè reſpondentium conſtat, quæ uno Dei Spiritu vegetantur. Unde *Gregorius* ſuper illud Ezechielis: *Apparuit rota una ſuper terram juxtà animalia, habens quatuor facies. Et aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris: & una ſimilitudo ipſarum quatuor*. Sic eruditè ſcribit: [Una ſimilitudo ipſarum eſt quatuor: quia quod prædicat Lex, hoc etiam Prophætæ: quod denuntiant Prophætæ, hoc exhibet Evangelium: quod exhibuit Evangelium, hoc prædicaverunt Apoſtoli per Mundum. Una ergo eſt ſimilitudo ipſarum quatuor: quia Divina Eloquia, etsì temporibus diſtincta, ſunt tamen Senſibus unita.]


Studio jugi utriuſque Teſtamenti.

Cap. 1.

Hom. 6. in Ezech.

SECTIO II.

Obſcuritas Sacræ Scripturæ eſt Origo Conceptuum.



1 Fulgente Evangelii luce, magna ex parte prior Sacræ Scripturæ obſcuritas ceſſit; & dum Novi Teſtamenti Doctores occultas in Veteri Allegoriarum caligines rimantur, exinde nobis Chriſtum loquentia Divina Eloquia patere fecerunt. Non ampliùs clauſum eſt Oſtium, quo ad Deum introducimur; apertâ nobis Scripturæ intelligentiâ, per quam Deum cognoſcimus. Unde *D. Thomas* in illud: *Qui non intrat per Oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro*, ſic ait: [Oſtium vocat Chriſtus Scripturas Sacras, ſecundùm illud ad Coloſſ. 4: Orantes ſimùl pro nobis, ut Deus aperiat *Oſtium Sermonis*. Dicitur autem Sacra Scriptura Oſtium; Primò: quia per ipſam acceſſum habemus ad Dei cognitionem. Rom. 1: Quod ante promiſerat per Prophætas ſuos in Scripturis Sanctis de Filio ſuo, &c. Secundò, quia ſicut Oſtium oves cuſtodit: ita Sacra Scriptura conſervat vitam Fidelium. Supra 5: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis vitam in ipſis. Tertiò, quia Oſtium lupos ſupervenire non permittit: Sic Sacra Scriptura arcet Hæreticos à nocumen-

Joa. 10.

D. Thom. ſuper Joan. cap. 10. init.

Sacra Scriptura Oſtium ad cognitionem.

Ad cuſtodiam Eccleſiæ.

Et excluſionem Infidelium.

to Fidelium. 2. ad Tim. 3: Omnis Scriptura Divinitùs inspirata utilis est, &c. Ille ergo non intrat per Ostium, qui ad docendum populum non ingreditur per Sacram Scripturam . . . . Sed contrà hoc est, quod Dominus infra eod. cap. exponens dicit: Ego sum Ostium, &c. Ex quo videtur, quod per Ostium debet intelligi Christus. Ad quod Chrysostomus dicit, quod in hac parabola Dominus dicit se esse, & Ostium, & Pastorem. Unde secundùm quod ipse diversimodè se vocat, diversimodè dicitur Ostium: quia secundùm quod dicit se Pastorem, oportet, quod aliud sit Ostium, quàm ipse: quia non est idem Pastor, & Ostium. Nihil autem aliud à Christo convenientiùs potest dici Ostium, quàm Sacra Scriptura.]

Christus Ostiū mysticè.

2 Eamdem Scripturarum claritatem respectu Christifidelium exaggerat *Gregorius* in illud: *Profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem*: [Aperta namque dicta Exponentium, fecerunt nobis esse jam conspicuas sententias antiquorum Patrum. Unde Isaias Prophæta, plana Sanctæ Ecclesiæ expositionis verba conspiciens, & non Allegoriarum tenebris obscura, exclamavit dicens: Locus fluviorum rivi latissimi, & patentes. Testamenti enim Veteris dicta, quasi angusti, & clausi rivi fuerant, qui immensas Scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebant. At contrà, Doctrina Sanctæ Ecclesiæ rivi, & lati, & patentes sunt: quia ejus dicta, & invenientibus multa sunt, & quærentibus plana. Ait ergo: profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem: quia dum suis Expositoribus intelligentiæ spiritum infudit, antiquas Prophætantium obscuritates aperuit.]

Job 28.

Lib. 18. Mor. cap. 21.

Isa. 33.

Veteris Testamenti obscuritas.

Novi claritas.

3 Denuò autem *D. Thomas* patentia Scripturæ mysteria dicit, per quæ ipsum Christi Cor nobis manifestatur. Exponens enim illud: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens*, ait: [Vel per Cor Christi intelligitur Sacra Scriptura, quæ manifestat Cor Christi. Hoc autem erat clausum ante passionem: quia erat obscura; sed aperta est post passionem: quia eam jam intelligentes considerant, & discernunt quomodo Prophætiæ sint exponendæ.] Scisso enim Templi velo Sancta Sanctorum apparuere, hoc est, exponente *Gregorio*: [Hoc jam Sancta Ecclesia per Spiritum agnoscit, quod Synagoga priùs per Literam intelligere omnino non valuit. Unde, & Moyses cum populo loqueretur, faciem velabat: ut videlicet designaret, quod ille Judæorum Populus Legis verba cognosceret, sed ejusdem clari-

Sacra Scriptura Cor Christi, aperta post ejus passionem.

In Psal. 21.

Loc. cit.

Exod. 34.

Velum super Moysi faciem, quid significaret.

ritatem Legis omnimodo non videret. Unde rectè, & per Paulum dicitur: Usque in hodiernum enim diem, cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum.]

2. Cor. 3.

4 Nec omittenda *D.Thomæ* verborum Apostoli ponderatio: [Circa quod sciendum est, quod velamen dicitur apponi alicui dupliciter: aut quia apponitur rei visæ, ne possit videri: aut quia apponitur videnti, ne videat. Sed Judæis in Veteri Lege utroque modo appositum erat velamen. Nam, & corda eorum excæcata erant, ne cognoscerent veritatem propter eorum duritiem, & Vetus Testamentum nondùm completum erat, quia nondùm Veritas venerat. Unde in signum hujus, velamen erat in facie Moysi, & non in faciebus eorum: sed veniente Christo, velamen remotum est à facie Moysi, idest à Veteri Testamento, quia jam impletum est, sed tamen non est remotum à cordibus eorum. Et hoc est quod dicit: sed usque in hodiernum diem, quasi dicat: amotum est à Fidelibus, Veteris Testamenti velamen: sed adhùc, cum legitur Moyses, idest cum exponitur eis Vetus Testamentum, velamen, idest cæcitas, positum est super cor eorum.]

In 2. ad Cor. cap. 3. lect. 3.

Judæorum Cor excæcatum nè veritatē cognoscerent.

5 Hæc tamen cum ita sint, non ideo tam aperta Scriptura est, ut non suam retineat obscuritatem, non quidem ex defectu, ut pleræque humanitùs inventæ Doctrinæ, sed ex ubertate, & fœcunditate. Hìnc *D.Thomas* ad ea Domini verba: ***Sume tibi Librum grandem, & scribe in eo stylo hominis &c.*** hanc etiamnùm Scripturæ obscuritatem manifestat: [Ut per Librum grandem significetur Sacra Scriptura, de qua habetur Baruch 4: Hic est Liber mandatorum Dei, & Lex, quæ est in æternum. Per stylum hominis, modus Prophætiæ, ***ut non omnibus usquequaque pateat***: sed tantùm rationabilibus, qui ex figuris possunt significata concipere . . . . . Dicitur Liber *Grandis* quantùm ad grande contentum. Prov. 8: Audite me, quoniam de rebus magnis loquutura sum, & aperientur labia mea, ut recta prædicent. Secundò ***signatus*** quantùm ad visum, infrà 29: Et erit vobis visio omnium, sicut verba Libri signati. Tertiò ***involutus*** propter multiplicem Sensum. Ezech.2: Et vidi,& ecce manus missa ad me, in qua erat involutus Liber. Quartò amarus propter laboris studium, Apoc. 10: Et accepi Librum de manu Angeli, & devoravi eum, & erat in ore meo tanquam mel dulce,& cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. Quintò dulcis quantùm ad affectum, Ezech.3: Comede Volumen istud, & comedi illud, & fa-

Isa. 8.

D. Thom. in cap. 8. Isai.

Sacra Scriptura significata per Librum Grandem.

Signatum.

Involutum.

Et volantem. factum est in ore meo, quasi mel dulce. Sextò *volans* quantùm ad intellectum. Zachar. 5: Vidi, & ecce Volumen volans. Septimò *vivificans* quantùm ad fructum. Eccli. 24: Hæc omnia Liber Vitæ, & Testamentum Altissimi, & agnitio Veritatis.]

6 Et verba quidem nuper relati Ezechielis exponens *Gregorius* ait. [Quidquid enim in Sacra Scriptura invenitur, edendum est: quia, & ejus parva simplicem componunt vitam, & ejus magna subtilem ædificant intelligentiam. Sequitur: Comede Volumen istud, & vade loquere ad Filios Israël. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo. Scriptura enim Sacra cibus, & potus est. Unde etiam Dominus per Prophætam alium minatur: Mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Qui ergo nos, subtracto suo Eloquio, fame, ac siti dicit atteri, quia ejus verba, & cibus noster, & potus sint, demonstrat. Sed notandum, quod aliquando cibus, aliquando potus sunt. In rebus enim obscurioribus, quæ intelligi nequeunt, nisi exponantur, Scriptura Sacra cibus est: quia quidquid exponitur, ut intelligatur, quasi manditur, ut glutiatur. In rebus verò apertioribus potus est: potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandata bibimus: quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem, quod multa Ezechiel Prophæta obscura, atque perplexa auditurus erat, nequaquàm ei de Sacro Volumine dicitur, bibe, sed comede. Ac si apertè diceretur: Pertracta, & intellige, idest priùs mande, & tunc degluti.]

Hom. 10. in Ezech.

Sacra Scriptura cibus, & potus est.

Amos. 8.

7 Hujusmodi autem obscuritatem (ut ex Clemente Alexandrino observat *P. Carolus Regius* è Societate Jesu) causant Hebraicæ Linguæ propriæ phrases, loquendi usus, & Idiotismi. Ut illud ad Hebr. 12: Nondùm usque ad sanguinem restitistis, hoc est usque ad mortis contemptum. Et Isa. 63: Numerabo vos in gladio, unum videlicèt post unum neci dabo. Quandoque idem Nomen diversimodè adhùc literaliter accipitur. Ut illud: Non est qui faciat bonum, non est usquè *ad unum*. De quo *Augustinus*. [Usque ad unum vel *cum ipso uno* potest intelligi, ut *nullus* hominum intelligatur: vel *præter unum*, ut excipiatur Dominus Christus. Sicut dicimus: iste ager usque ad mare est, non utique simul computamus, & mare.] Aliquando ponuntur substantiva pro adiectivis, ut Deus Gloriæ, Filius perditionis, Spiritus Sanctificationis, & significant Deum Gloriosum, Filium per-

Lib. 6. Strom. cap. 14.

In Oratore Christiano 1. par. lib. 3. cap. 7.

Phrases, & Idiotismi Sacræ Scripturæ, eam reddunt obscuram.

Psalm. 13.

Enarr. in Psal. 13.

perditum, Spiritum sanctificantem. Propriæ insuper formæ loquendi Sacrorum Voluminum sunt: Filii Pharetræ, Filii areæ, Filiæ Urbis, Filii excussorum, Filiæ Carminis, cornu filius olei, ut exprimant sagittas, frumentum, suburbia, Juvenes, aures, locus uber, & olivarum ferax.

8 Usurpatur sæpè in Scriptura unum pro alio verbo, ut generare pro nutrire. Unde Hieronymus illud: *Ner autem genuit Cis* explicat: non quod eum genuerit, sed quod eum æducaverit, genuisse eum dicitur. Vox designans aliquid apud nos, invenitur in Sacris paginis ex Dei institutione aliud nobis omninò novum, & nonnisi Ecclesiæ Doctoribus exponentibus, significare: ea præsertim, quæ Divinis Perfectionibus derogare manifestum est, si, ut hominibus sonant, accipiantur. Quorumdam indicamus exempla ex *Augustino*, qui ad ea verba: Quoniam novit Dominus viam Justorum, ait. [Quemadmodùm dicitur: novit salutem Medicina, morbos autem non novit; & tamen etiam morbi Arte Medicinæ agnoscuntur. Sic dici potest nosse Dominum viam Justorum, viam verò Impiorum *non nosse*: non quia Dominus aliquid nescit, & tamen dicit peccatoribus: *non novi vos*. Iter autem Impiorum peribit, pro eo positum est, ac si diceretur: iter autem Impiorum non novit Dominus. Sed planiùs dictum est, ut hoc sit *nescire à Domino, quod est perire, & hoc sit sciri à Domino, quod est manere.*] Et super illud: manè exaudies vocem meam, ait. [Et quod nunc ait: manè exaudies, hoc intelligi voluit: manè *intelligam me* esse exauditum. Qualis est ista loquutio: Exurge Domine, *fac me exurgere* ...... Illud certè non potest rectè aliter accipi: Tentat vos Dominus Deus vester, *ut sciat* si diligatis eum: nisi *ut vos per illum sciatis*, & vobismetipsis manifestetur quantùm in ejus amore profeceritis.]

In Quæst. Hebr. Paral. 8.

Enarr. in Psal. 1.

Deus nescire dicitur, dum reprobat.

Enarr. in Psal. 6.

Dicitur tentare ut sciat, quia facit, ut alii sciat.

9 Culpans etiam *Augustinus* præsumptuosam assertionem dicentium, post septem annorum millia futurum extremi Judicii diem, cum hoc Christus se nescire affirmet, hoc tàm implicatum eruditè soluit ænigma. [Ubi erit ergo, quod *nec Filius hoc novit*? Quod utique ideo dictum est, quia *per Filium homines hoc non discunt*, non quod apud se ipse non noverit. Sed secundùm illam loquutionem: Tentat vos Dominus Deus vester, *ut sciat*, idest *scire faciat vos*. Et: *Exurge Domine*, idest: *fac nos exurgere*. Cum ergo ita dicatur, *nescire Filium* hunc diem, non quod nesciat, sed *quod nescire faciat* eos, quibus hoc non expedit scire, idest

Enarr. in Psal. 6.

Nesciri à Christo diem Judicii, idem, quod non manifestari.

non

non eis hoc ostendat,&c.] Psalmum quoque 12. explanans, exorditur. [Finis Legis Christus ad Justitiam omni Credenti. Usquequò Domine *oblivisceris* me in finem ? Idest : *differs me* ad intelligendum Christum spiritaliter, qui est Dei Sapientia, & rectus Finis omnis intentionis animæ. Quousque *avertis faciem tuam à me*. Sicut non obliviscitur Deus, sic nec faciem avertit, sed more nostro Scriptura loquitur. Avertere autem Deus faciem dicitur, dum *non dat animæ notitiam sui*, quæ adhùc purum mentis oculum non habet.] Illud etiam : Qui habitat in Cœlis *irridebit eos*, hoc modo nobis declarat. [Nihil horum tamen sapere oportet carnaliter, quasi aut buccis Deus *irrideat*, aut naso *subsannet*. Sed ea vis accipienda est, quam dat Sanctis suis, ut futura cernentes, idest Nomen Christi, & Dominationem pervagaturam in posteros, & universas Gentes obtenturam, *illos inania meditatos esse intelligant*. Hæc enim vis, qua ista præscita sunt, *irrisio* Dei est, & *subsannatio*.]

Enarr. in Psal. 12.

Deum avertere faciem, vel irridere, subsannare, oblivisci quid sit.

Enarr. in Psal. 2.

10 Obscuræ loquutionis multiplicem modum in Veteri Testamento profert *D.Thomas* exponens initium Epistolæ ad Hebræos : *Multifariàm, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophætis*, ex multiformi figurarum, & loquutionum genere: [Circà autem Vetus Testamentum quinque ponit: primò modum tradendi, quia multifariàm, multisque modis, &c. Secundò tempus, cum dicit, olìm. Tertiò Authorem, sivè datorem, quia Deus. Quartò quibus sit traditum, quia Patribus. Quintò quibus ministris, quia in Prophætis. Dicit ergo Multifariàm; & hoc quantùm ad divisionem, quæ attenditur quantùm ad tria. Primò quantùm ad diversas personas, quia non uni personæ, sed pluribus, scilicèt Abrahæ, Noè, & sic de aliis ...... Item multifariè quantùm ad diversas figuras, quia modò in figura Leonis, modò in figura lapidis; sicut Dan. 2: abscissus est lapis de monte sine manibus. Sequitur: multisque modis. Quod refertur ad tria diversa genera visionum : scilicèt ad visionem corporalem, sicùt Dan. 5: Apparuerunt digiti, quasi manûs Scribentis in pariete, &c. Aliquando aliquibus per visionem imaginariam. Esa. 6: Vidi Dominum sedentem, &c. Aliquibus verò apparebat per visionem intellectualem, sicut David. Psal: Super Senes intellexi. Unde de istis dicitur Oseæ 12: Ego visiones multiplicavi eis. Refertur etiam ad diversos modos loquendi: quia aliquando planè loquebatur: aliquando verò obscurè : nec est aliquis modus loquendi, quo Scriptura Veteris Testamenti non loquatur, &c.]

D. Thom. in Epist. ad Hebr. cap. 1. lect. 1.

Deus in Veteri Testamento multiformiter loquutus.

Visionum in Sacra Scriptura tria genera.

11 In

11 In Novo insuper Testamento habetur aliquando varietas loquutionum, pariens obscuritatem, ut cum ponitur peccatum indefinitè pro peccato determinatæ speciei. Cujus exemplum ex Augustino affert *D.Thomas*:[Et ad hujus evidentiam considerandum, quod ipse circà hoc dicit in Lib.de Verb.Dom. Dicit enim ibi, attendendum esse, quod non omne, quod indefinitè in Sacra Scriptura proponitur, est universaliter accipiendum. Sicut quod dicitur Joa. 15: Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, * *peccatum* non haberent; non est sic intelligendum, quasi *nullum peccatum* haberent: sed quia non haberent *aliquod unum peccatum*, quod commiserunt, contemnendo prædicationem, & miracula Christi. Sic ergo cum dicitur: Qui *dixerit verbum* contra Spiritum Sanctum: & similiter, quod dicitur in Marco, & Luca: Qui *blasphemaverit* in Spiritum Sanctum, &c. intelligendum est: qui aliquo *determinato modo* blasphemaverit.]

Quæst. 3. de Malo. a. 14. cor.

In Novo Testamento obscuritas.

* Heterosis. Vox indefinita pro significanda re determinata.

Matth. 12.

12 Consuevit quoque Sacra Scriptura, adhùc in Novo Testamento, ponere verbum significans omnes, cùm tamen loquatur de aliquibus singularibus, quod est causa obscuritatis. Idque observat *D. Thomas* in illud: *Sicut scriptum est, quia non est* * *Justus quisquam*. Quod postquam explicaverat S.Doctor, quod non est justus quisquam *ex seipso*: vel *quantùm ad omnia* justus, subdit: [Tertiò etiam potest intelligi, ut referatur ad populum malorum, inter quos nullus est justus. Est enim consuetudo Scripturæ, ut quandoque loquatur de toto populo *ratione malorum*, quandoque *ratione bonorum*. Ut patet Hierem. 16. ubi dicitur, quod cum complesset Hieremias loqui omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophætæ, & omnis populus dicentes: morte moriatur. Et posteà subditur: dixerunt Principes, & omnis Populus, non est Viro huic judicium mortis.]

Ad Rom. 3.

* Heterosis. Plurale pro singulari.

Ibid. lect. 2.

13 Similiter super illud Apostoli: * *Omnes quæ sua sunt quærunt*, idem perpendit *S.Doctor*: [Sed numquid Lucas, & Epaphroditus, & alii, qui erant cum Apostolo, quærebant quæ sua sunt? Respondeo, dicendum est, quod in societate Apostoli plures erant, qui hoc quærebant, qui, & deseruerunt eum. 2. ad Tim. 4: Demas enim me reliquit, diligens sæculum, & abiit Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus. Sed consuetudo est, quod aliquando Scriptura loquitur *de nonnullis*, *sicut de omnibus*. Hier. 6: A minori quippe usque ad majorem

Ad Philip. 2.

* Heterosis. Universale pro aliquibus.

Ibid. lect. 4.

rem omnes avaritiæ ſtudent: & à Prophæta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum, &c. Et ideo eſt *diſtributio accommoda.*]

14 Obſcura itidem redditur Sacra Scriptura, dum ad ſignificandam rem maximam, imò infinitam, verbo utitur exprimente minimum quid in ejus genere. Unde *Gregorius* in ea verba: *Factum eſt autem quadam die, cum veniſſent Filii Dei, &c.* [Cur ergo apud eum dicitur, *quadam* * *die*, cui nimirùm dies una eſt *Æternitas ſua*? Quam videlicet nec fine claudi, nec initio vidit aperiri Pſalmiſta, cum dicit: Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Sed cum Scriptura Sacra de temporaliter editis loquitur, dignum eſt, ut verbis temporalibus utatur: quatenùs condeſcendendo levet; & dum de Æternitate aliquid temporaliter narrat, aſſuetos temporalibus ſensìm ad æterna trajiciat: ſeque benè noſtris mentibus Æternitas incognita, dum verbis cognitis blanditur, infundat.] Job 1.

* *Synecdoche. Vox ſignificans rẽ minimam pro ſignificatione rei maximæ.*

Æternitas Dies dicitur.

15 Denique, ut plures diverſimodè loquendi modos Scripturarum, (crevit enim ultrà modum Sectio) omittam, ſæpè ponunt præteritum pro futuro, & econtrà. Exemplum affert *Gregorius* in illis verbis: *Cum ſublatus fuerit,* (Leviathan) *timebunt Angeli, & territi purgabuntur*; Cenſet enim ibi ſermonem eſſe de deſertorum Spirituum poſt Luciferum caſu, & de bonis permanentibus, qui ſociorum ruinâ territi ſunt; & ait: [Scriptura Sacra ita nonnunquam tempus præteritum, futurumque permiſcet, ut aliquandò futuro pro præterito: aliquandò verò utatur præterito pro futuro. Futuro namque pro præterito utitur, cum Joanni Mulier paritura maſculum, qui regat Gentes in virga ferrea, demonſtratur. Quod quia incarnato Domino veniente, jam tùnc factum fuerat, res geſta nunciabatur. Rursùm præterito utitur pro futuro. Sicùt per Pſalmiſtam Dominus loquitur dicens: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Quibus videlicèt verbis ſpecies Dominicæ Paſſionis, quaſi jam tranſacta deſcribitur, ſed tamen adhùc longè poſt futura nunciatur. Hoc ergo loco, quo dicitur: Cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, nil obſtat intelligi, quia ſub futuri temporis modo, præterita deſcribuntur.] Job 41. Lib. 34. Mor. cap. 7. ini.

Sacra Scriptura utitur præterito pro futuro, & è contrà.

16 Et hæc quidem ex parte Scripturæ ob fœcunditatem: ex parte verò noſtri ob intelligentiæ defectum ſe tenet obſcuritas. Multoties enim non capimus ſub qua ſignificatione verba ſint accipienda; ſicut cùm audimus *ſomnum*,

Obſcuritas ex parte humani Intellectus ad Sacræ Scripturæ intelligentiam.

qui tamen in diversis locis diversimodè literaliter ponitur in Scriptura, ut ponderat *Gregorius*: [Aliquando enim *somno* mors carnis: aliquando torpor negligentiæ: aliquando verò exprimitur, calcatis terrenis desideriis, quies vitæ. Somni namque, vel dormitionis nomine, carnis mors intimatur, sicut Paulus ait: Nolo vos ignorare Fratres de dormientibus. Et paulò post: Ita, & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Somno rursùm torpor negligentiæ designatur; sicut ab eodem Paulo dicitur: Hora est jam nos de somno surgere;& rursùm: Evigilate Justi, & nolite peccare. Somno quoque, calcatis carnis desideriis, vitæ quies figuratur, sicut Sponsæ voce in Canticis Canticorum dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quia videlicèt sancta mens, quò se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eò veriùs interna cognoscit: & tantò alacriùs ad intima vigilat, quantò se ab exteriori inquietitudine occultat. Quod benè per Jacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormivit: à terra scalam Cœlo inhærentem, innixum scalæ Deum, ascendentes quoque, & descendentes Angelos vidit. In itinere quippè dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est dierum labentium cursu, ab appetitu visibilium, mentis oculos claudere.]

Lib. 5. Mor. cap. 22 ini. — *1. Thess. 4.* — *Rom. 13.* — *1. Cor. 15.* — *Cant. 5.*

Somnus diversa significat.

Quò mens à tēporalibus elevatur, tantò magis spiritualia percipit.

Scala quam vidit Jacob quid significet.

17 In Sententiis obscuritas invenitur, præcipuè cum ex eis conceptus eruuntur ad *Mysticum* Sensum pertinentes. Vel quia in ipsis aliqua apparet contrarietas, aut incohærentia: vel quia non attenduntur factorum circumstantiæ. In verbis etiam aliquando non percipimus sibiipsis respondere, non superfluere, nec deficere. Hìnc stabilita obscuritate pro prima Conceptuum Concionalium scaturigine, alios fontes ordinatè aperiemus, unde sint eliciendi tàm *ex Verbis*, quàm *ex Sententiis*, distinctè, sed breviter (non enim hìc Sylvam Conceptuum, sed efformandorum normam tradere intendimus) per varias deinceps Sectiones: [Tentabimus, cum confidentia Divini auxilii, ea, quæ ad Sacram Doctrinam pertinent, breviter, ac dilucidè prosequi, secundùm quod materia patietur.] Eò quidem alacriùs, quò nonnihil Tyronum profectui conferre non obsoleto labore speramus, à *Magno Gregorio* discentes. [Magnæ verò utilitatis est ipsa obscuritas Eloquiorum Dei: quia exercet Sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhùc aliud majus:

D. Tho. 1. p. Prol. — *Hom. 6. in Ezech.*

Obscuritas in sententiis.

Admodùm profert ad Sacræ Scripturæ vestigationem.

jus: quia Scripturæ Sacræ intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret: in quibusdam locis obscurioribus, tantò majore dulcedine inventa reficit, quantò majore labore fatigat animum quæsita.]

SECTIO III.

Ex consideratione Verbi in se.

1 

Erissimè dixerat *Augustinus*: [Rarissimè, & difficulter inveniri potest ambiguitas, quantùm ad Libros Divinarum Scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa Sermonis, qua cognoscitur Scripturæ intentio: aut Interpretum collatio: aut præcedentis Linguæ solvat inspectio.] Ad facilitandam proinde Conceptuum formationem, ad ea, quæ subjicimus Concionatoris diligentia ferri debet. Præsertim observando quam vim habeat verbum illud, quod Conceptum parit. Ut enim inquit *Chrysostomus*: [Non verba tantùm sunt, sed Spiritûs Sancti verba, & propterea magnum in his thesaurum invenire licet.] Vim itaque, seu emphasim verbi attendit *Ambrosius* in illo Psal. 48: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*: [Alia est iniquitas nostra, alia *calcanei nostri*, in quo Adam dente Serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. Unde Dominus Discipulis pedes lavit, ut lavaret venena Serpentis.]

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 12.

Verba Sacræ Scripturæ magna in se continent.

Hom. 15. in Genes.

In Psal. 48.

2 Verbum Prophetæ considerans idem *Ambrosius*: *Saturabitur opprobriis*, ait, ad Christum, de quo erat vaticinium, alludens: [Non dixit: Subibit opprobrium; facile est enim unam, aut aliam contumeliam sustinere. Addidit: *Satiabitur* in opprobriis: quo faciliùs Domini moveat misericordiam, opprobriorum quamplurium deformitate miserabilis.] Vim etiam agnoscit idem *Ambrosius* in verbo, quod ad significandam voluntariam Christi mortem usurparunt Lucas, & Matthæus: [Et hoc dicto *tradidit* Spiritum. Et benè *tradidit* qui *non invitus amisit*. Denique Matthæus ait: *Emisit* Spiritum. Quod enim emittitur, *voluntarium est*; quod amittitur, necessarium. Propterea addidit: *Voce magna*, in qua vel professio gloriosa usque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis annunciat: ergo

Thre. 3.

Conc. 10. in Psal. 118.

Christus opprobriis saturatus.

Lib. 10. in Luc.

Mysterium in eo, quod tradidit Spiritum.

nec

nec ego erubescam fateri, quod Christus non erubuit *voce magna* profiteri: Vel evidens manifestatio contestantis Dei secessionem Divinitatis, & corporis. &c.] Pro cujus *magnæ vocis* arcano legendus *Origenes*: [Dignum Deo requirendum est: quæ fuit illa *magna vox* Christi: utrùm Magna rebus significantibus magna mysteria?] Et si hoc Sensu accipiatur, subdit: [Quod omnis vox Christi Filii Dei, etiamsi fuerit lenis, magna est.] Virtutem verò clamantis ostendit, si intelligatur: [Magna, sensibili, corporali *magnæ vocis* auditu.]

Tract. 35. in Matt.

Magna voce, & cur?

2. ad Tim. 3.

3 Profundè *Augustinus* explicat illud Apostoli: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem*, advertens, non improbari divitem esse, si innocenter divitiæ habeantur; sed *velle* ditescere, importare inordinatos motus cupiditatis: [Qui *volunt* inquit, non qui sunt. Nam qui sunt, sint, dummodò sint in operibus bonis.] Et sapientissimè Dominum dixisse: *Aut unum sustinebit, & alterum contemnet*; cum præmisisset: *aut unum odio habebit, & alterum diliget*. Deus enim diligitur, Diabolus odio habetur, hic sustinetur, ille contemnitur: [Dixit autem, alterum *contemnet*, non, odio habebit. Nullus enim verâ conscientiâ potest Deum odisse. *Contemnit* autem, idest non timet eum, cùm quasi de ejus bonitate securus est.]

Ser. 102. de Tem.

Matth. 6.

Lib. 2. de Serm. Dom. in mon. cap. 22.

Divitiarum cupiditas.

Diabolū nemo diligit.

4 Non minùs ponderanter *Chrysostomus* ad illud: *Et concupierunt concupiscentiam in deserto*: [Duo peccata conjunxit, unum, quod in *deserto*, ubi philosophari, atque ab omni cupiditate abstinere oportebat, carnium concupiscentiâ tenebantur: alterum, quod cum aquæ inopiâ laborarent, non eam peterent, sed Deum tentaverunt.] Et ad verbum Psalmi 111: *In mandatis ejus volet nimis*: [Non dixit: mandata ejus faciet, sed *volet*, aliquid ampliùs requirens; quidnam autem hoc est? Ea facere cum studio, & animi alacritate: esse vehementes eorum (*mandatorum*) amatores: amare ea, non propter mercedem, quæ est pro ipsis proposita, sed propter eum, qui illa statuit: Virtutem cum voluntate prosequi, non propter metum Gehennæ, nec propter minas supplicii, nec propter promissionem Regni, sed propter eum, qui Leges tulit.]

Psal. 105.

Chrys. ibid.

Hebræorum cōcupiscentia carnium in deserto.

Mandata Dei alacritèr observanda.

1. Reg. 1.

Greg. ibid.

5 Similiter *Gregorius* graviter reflectit super ea verba: *Fuit Vir Unus de Ramathaim Sophim*: [In hoc *Viro Uno*, quid rectiùs, quàm unusquisque novus Sæculi contemptor designatur? *Vir* namque dicitur, quia proposito fortis est: *Unus* verò, quia amore singularis. *Vir* namque est, quia ex ma-

magna virtute cuncta præsentia despicit: sed *Unus*, quia sola Omnipotentis Dei specie frui concupiscit. Quisquis enim perfectè terrena despicit, Vir est ex fortitudine: sed si Conditorem suum ardentèr videre non cupiat, non est *Unus* ex intentione. Perfectio igitur Viri in præconio ponitur unitatis: ut qui Sæculum potentèr despicit, ***mentem non dividat***, solis supernis inhiet, ad ea tantùm, quæ de visione Conditoris sunt, æterna gaudia suspiret..... De hac Unitate Dominus in Evangelio, Marthæ loquitur dicens: Martha, Martha solicita es, & turbaris ergà plurima: porrò unum est necessarium. Hìnc Lucas de perfecto credentium numero loquens, ait: Erat eis cor unum, & anima una. Unum quippe eis cor erat: quià per intentionem Rationis, solum Conditorem aspexerant: unam animam habebant, quia per affectionem amoris, solùm ejus faciem videre desiderabant.]

Justus mentem nō dividit Deo, & Sæculo.

Luc. 10.

6 Allegoricè ***Virum Unum*** exponens de Christo, iterùm audiendus *Gregorius*: [Dicit ergo: Fuit *Vir Unus*, quia de Deo Homine loquebatur, ut Deitatem, & Humanitatem ejus assereret: & non aliam suscipientis Verbi, & suscepti Hominis Personam, sed Dei, & Hominis unam, eamdemque esse apertiùs demonstraret. Quæ tamen *Unitas* ad excellentiam dignitatis ejus referri convenienter potest. Nam etsì Redemptorem alium Sancta Ecclesia non habuit, ex virtutis ostensione *Viros* nonnullos habuit. Dum ergo *Unus* dicitur, incomparabilis demonstratur. Nam æqualem non habuit, qui dum Humano Generi excellenti vita, & verbo consuluit, ***singulari munere*** dare potuit dona Redemptionis.]

Ibid.

Christus incomparabilis excellentiâ dignitatis.

7 Sed, & *Theodoretus* in illud: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter &c.* ait: [Id verò tuam potentiam maximè demonstrat, quoniam *per homines, qui minimè humanam sapientiam didicerunt*, quique *lactentium puerorum* innocentiam imitati fuerunt, perniciosissimum illum Tyrannum evertisti.] Et *Bernardus* expendens verbum: *Hortus conclusus Soror mea Sponsa*, inquit: [*Conclusus* enim Hortus sancta anima esse dicitur, dum amore Vitæ Æternæ à strepitu sæculari se abstrahit, dum visus hominum fugit, dum bona, quæ agit, propter laudes hominum abscondit, dum se propter Deum, ne ab hominibus videatur, includit.] *Cyrillus Alexandrinus* reflectens super ea verba: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; quamdam in Deo amoris vim agnoscit, ut

Psal. 8.

Anima sancta Hortus conclusus.

Cant. 4

Ser. 60. *in Cant.*

Ad Rom 8.

ad

ad Filium suum morti tradendum induceretur, quod vocat miraculum amoris: quia sicut miraculum potentiæ est opus suprà Naturam; ita miraculum amoris videtur opus supravoluntarium. Unde ait: [Qua enim in re consistat miraculum amoris, quo Deus Pater nos est prosequutus, nisi quod aliquid etiam *præter Voluntatem* substinuisse visus est, tradens pro nobis Filium suum? Tale enim quid nobis innuit Paulus dicens: *Non pepercit.*]

Miraculum Amoris quid sit.

Glaphyr. in Genes. in Abrah.

8 Ad quem etiam locum hæc sentit *D. Thomas*: [Cum autem suprà de multis Filiis mentionem fecisset, dicens: Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum, ab omnibus illis hunc Filium separat dicens: *Proprio Filio suo*, ideſt non adoptato, ut Hæretici mentiuntur, sed naturali, & coæterno. 1. Joa. ult: ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo; de quo Pater dicit Matth. 3: Hic est Filius meus dilectus. Quod autem dicit: *Non pepercit*, intelligendum est, quod eum à pœna non exemit; nam culpa in eo non fuit, cui parci potuisset..... Est autem notandum quod dicit: Qui *etiam proprio Filio suo non pepercit*. Quasi dicat: Non solùm alios Sanctos pro salute hominum tribulationi exposuit, secundùm illud Oseæ 6: Propter hoc dolavi in Prophætis. 2. Cor. 1: tribulamur pro vestra exhortatione, & salute; sed etiam proprium Filium suum.]

In cap. 8. Epistol. ad Rom. lect. 6.

Deum proprio Filio suo non pepercisse quomodò intelligendum.

9 Ponderatio illa gravis est *Augustini* in expositione verborum: Qui loquitur veritatem in corde suo, dicentis. [Nonnulli enim in labiis habent veritatem, & in corde non habent. Tanquam si aliquis dolosè ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dicat: si hàc ieris, à latronibus tutus eris; & contingat, ut verè non ibi latrones inveniantur, verum ille loquutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, & nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit.] Et alio loco in illud: Qui perambulant semitas maris. [Ideſt inquirunt in profundo hujus Sæculi temporalia, quæ tanquam semitæ in mari tàm citò evanescunt, & intereunt cùm rursùs aqua confunditur postquam transeuntibus locum dederit, vel navibus, vel quibuscumque ambulantibus, aut natantibus. Non enim tantùm ambulant semitas maris, sed *perambulant* dixit, ostendens pertinacissimum studium inania, & præterfluentia requirentium.] Sed, & de Judæis explicans verba: Claudicaverunt à semitis suis, ait. [Et tanquam *uno pede debiles*, quia Vetus tenentes, Novum Testamentum respuunt, *claudi* effecti sunt etiam in ipsa Vetere Lege,

Enarr. in Psal. 14.

Veritas in labiis, & non in corde.

Enarr. in Psal. 8.

Pertinax in terrenis inquirendis studium.

Enarr. in Psal. 17.

Judæi etiam in Veteri Testamento non firmi.

ge, potiùs traditiones suas sequentes, quàm Dei. Calumniabantur enim Discipulos de manibus non lotis; quia tales erant semitæ, quas ipsi fecerant, & consuetudine triverant aberrantes ab itinere præceptorum Dei.]

10 In illud autem: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, ait *Theophilactus*: [Hæc ad omnes tàm Episcopos, quàm Doctores dicta sunt. Significantem autem vim habet, *implicatur*. Reverà namque nexus, & serpentes sunt talia.] Et *Chrysologus* expendens verba Centurionis: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus*, ait: [Puer meus *jacet*, meum dico, quia *jacet*: si tuus esset Domine non jaceret. Psal. 133: Qui statis in Domo Domini: Qui statis, non, jacetis, ait: Stant Servi tui, hominum Servi *jacent*: puer meus qui jacet, ut tuus sit, surgat.] Et versans illud de Parentibus Joannis: *Incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini*: [*Incedentes* dixit, ut eos ostenderet cucurrisse Virtutibus, non stetisse: & ambulasse in via Justitiæ, non sedisse: nec remansisse in itinere mandatorum, sed ad mandatorum plenitudinem pervenisse.] Insuper ad ea verba: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo?* sic habet: [Seminasti, non seminavimus. Nos quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus Authori] Et alibi super illud: *Hoc faciam, destruam horrea mea*: [Audiamus quid ei respondeat Consiliarius internus: *Destruam* horrea mea. Evidenter apparuit qui latebat, quia à destructione incipit Inimicus. Agit, agit, ut quæ habes destruas, & quæ concupieras non reportes.] Consule plura infra lib. 3. quæ de Figura *Emphasis* calamum præstolantur.

2. ad Tim. 2. — Theophil. — Matth. 8. — Ser. 15. — Luc. 1. — Ser. 91. — Matth. 13. — Ser. 97. — Luc. 12. — Ser. 140.

Qui sæculo servit jacere dicitur.

Diabolus à destructione incipit.

SECTIO IV.

Ex Verbi affectionibus.



Tor *affectionis* voce ad significanda ea, quæ verbo adjunguntur, ipsumq; veluti afficiunt, ut adverbia, modus, circumstantiæ, & qualitates, de quibus breviter agemus, ut ad verborum conjunctiones transeamus. In illud itaque: *Nunc clarificatus est Filius hominis*, adverbium *Nunc* perpendit *Augustinus*: [Quare *nunc*? * Nunquid, quia exiit qui tradat: quia imminent qui teneant, & occidant? Ita ne *nunc* clarificatus est, qui propè est, ut humilietur ampliùs?

Joa. 13. — Tract. 63. in Joa.

* Subjectatio, Figura.

plius? Cui jam impendet, ut alligetur, ut condemnetur, ut irrideatur, ut crucifigatur? Hæccine est clarificatio, an humiliatio? Tunc ergo nondùm erat glorificatus cum mortuos suscitaret: & *nunc* est clarificatus, cum mortuis propinquaret?] Et *Chrysostomus* considerans, Jesum post baptismum in Jordane, & Patris delatum testimonium, quod Filius ejus esset, in desertum abjisse, teste Matthæo: *Tunc ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo*, ait: [*Tunc* istud ad quodnam tempus aptandum est? Proculdubiò ad illud, quo descendit Spiritus Sanctus: cùm etiam desuper delata vox, ait: Hic est Filius meus. Mirum est verò, quod dixit: à Spiritu, idest Sancto: ab hoc enim illum in desertum ductum esse significat. Quia enim omnia ad nos erudiendos, & facienda sibi, & patienda suscepit, in heremum quoque se patitur abduci, & cum Diabolo inire certamen: ut unusquisque, cum fuerit baptizatus, si post baptisma majoribus tentationibus urgeatur, non utique turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obviaverit: sed permaneat cuncta viriliter substinendo, utpotè quæ sibi consequenter contigerint. Idcircò enim accepisti arma, non ut ocieris, sed ut pugnes.]

Cap. 4.

Hom. 13. in Matt. To. 2.

Christus passione clarificatus.

Post Spiritûs descensum in Columbæ specie, & Patris vocem, in desertum ductus, ut tentaretur.

2 Hermino Comiti scribens *Isidorus Pelusiota*, adverbium *donec* non semper determinatum, sed quandoque perpetuum tempus docet exprimere: [Quandoquidèm existimare te dixisti, offensioni Judæis id esse, quod in Divinis Oraculis dictum est: Non cognovit eam *donec* peperit filium suum; tanquam scilicèt posteà Sponsus cum Virgine congressus sit: noscat contumeliosus, & ingratus Populus, vocem hanc *donec*, pro *perpetuò* in Divina Scriptura sæpè positam reperiri: *Donec* ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; & hoc pro *in perpetuum*. Et: non reversa est columba ad Noë, *donec* siccarentur aquæ; prorsùs enim non reversa est. Et: *donec* senueritis, ego sum, ait Dominus; atqui est perpetuò.]

Epistol. 18. Matth. 1.

Psal. 109.

Genes. 8.

B. Mariæ Virginis perpetua Virginitas.

3 Super illum autem Matthæi locum habet *D. Thomas*: [Sed objicitur, quod non dicitur simpliciter, non cognoscebat, sed *donec* peperit, ergo posteà cognovit. Unde etiam dixit Elvidius: Quamvis Virgo concepit Christum, tamen posteà habuit alios Filios ex Joseph. Et ideo dicit Hieronymus, quod *donec* aliquando significat aliquid finitum, & determinatum. Sic si dicam: non veniam *donec* comedo, quod posteà significo me venturum. Quandoque significat infinitè, & indeterminatè. Verbi gratiâ 1. Cor. 15: Oportet illum re-

In cap. 1. Matth.

Adverbium *Donec*, quandoque sumitur pro perpetuò.

Quando Sacra Scriptura utatur eo modo loquendi.

regnare *donec* ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Nunquid posteà non regnabit? imò. Sed utitur Scriptura tali modo loquendi, quando intendit removere illud, quod potest esse dubium. Dubium enim esse poterat, utrùm regnaret, quando non posuerat inimicos sub pedibus: item dubium esse poterat cum Beata Virgo peperisset, an ante partum fuisset cognita à Joseph, quando primum nulli debebat venire in dubium, scilicèt quoniam Angeli decantaverunt: Gloria in excelsis Deo. Hoc intendit Evangelista, & argumentatur optimè Hieronymus contra Elvidium: * Tu dicis Elvidi, quod antè non cognovit Joseph, quia fuit admonitus in somnis ab Angelo. Si ergo admonitio in somnis tantum valuit, quod non conjungeret se Mariæ: quantò magìs Angelorum cognitio, Pastorum, & Magorum adoratio?] Similia habet S. Doctor exponens citatum locum Apostoli. Lect. 3.

* *Argumentatio à fortiori.*

4 Quàm multa profert *Augustinus* exponens verba Psalmodi: Oves, & boves universas, insuper, & pecora campi! Aliqua non prætercam. [Nullo modo vacat quod additum est *insuper*. Primò, quia pecora campi possunt intelligi oves, & boves. Ut si rupium, & arduorum locorum pecora capreæ sunt, benè intelligamus oves pecora campi. Itaque etiamsì ita positum esset: Oves, & boves universas, & pecora campi, rectè quæreretur: quid sibi vellent pecora campi, cùm etiam oves, & boves hoc possunt intelligi. Quod verò additum est etiam, *insuper*, cogit omninò ad nescio quam differentiam cognoscendam sub hoc verbo, quod positum est *insuper* ..... Videbis Ecclesias interìm hoc tempore usque ad ultimum Judicii tempus, non solùm oves, & boves continere, idest sanctos laicos, & sanctos Ministros, sed insuper, & pecora campi, volucres Cœli, & pisces maris. Pecora enim campi congruentissimè accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes, ubi nihil arduum, nihil laboriosum ascendunt. Campus est enim etiam lata via, quæ ducit ad interitum, & in campo Abel occiditur. &c.]

Enarr. in Psal 8.

Boni, & mali in Ecclesia usque ad diem Judicii.

5 Innumera sunt adverbia, quæ in Scripturis mysterio plena Patres expendunt, duo subjicere liceat ex *Tertulliano*, qui ad Uxori suadendum, cum ipse mortem oppeteret, alium thorum non optare, expendit illud Apostoli: *Quod si dormierit Vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantùm in Domino*; ait: [Ille igitur Apostolus Sanctus, qui Viduas innuptas integritati perseverare mavult: qui nos ad exemplum

1. Cor. 7.

Vidualis continentia commendatur.

Lib. 2. *ad Uxor. cap.* 2.

plum sui hortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum, nisi in Domino, præscribit: huic soli conditioni * Continentiæ detrimenta concedit: *Tantùm*, inquit, in Domino. Adjecit pondus Legi suæ *Tantùm*. Quo sono, & modo enunciaveris dictum istud, onerosum est. * Et jubet, & suadet,& præcipit, & hortatur,& rogat, & comminatur.] Et alibì explicat quàm convenienter dictum sit: *Terra autem erat inanis, & vacua*, sic discurrens: [Quàm denique integer sensus est: In principio Deus fecit Cœlum, & terram: terra *autem* erat invisibilis, & rudis, quam Deus scilicèt fecit, de qua Scriptura cum maximè edixerat. Nam,& *autem ipsum* velùt fibula conjunctivæ particulæ ad connexum narrationi appositum est.Terra *autem*; hoc enim verbo revertitur ad eam,de qua suprà dixerat,& alligat sensum. Adeò aufer hinc *autem*, & soluta compago est.]

** Circumlocutio in verbo.*

** Polysyndeton. Figura.*

Genes. 1.

Lib. adver. Hermog. cap. 26.

Colligatio Sententiæ per adverbium.

6 Verbum alteri adjunctum,quod videtur superfluum, pluribus conceptibus deseruit. Unde *Augustinus* ad illa verba: Et odio *iniquo* oderunt me, vim explicans iniquitatis odio adjunctæ, ait: [Oderunt me *diligentem* se.] Idest injustè, cum potiùs amorem deberent amori rependere. Et *D.Thomas* eadem verba exponens, ait. [Est autem duplex odium. Primum odium est bonum, quando quis odit peccatum, sivè peccatorem propter culpam. Psal. 138: Perfecto odio oderam illos.Item est odium iniquum,quando quis odit naturam, vel Justitiam. Ideo dicit: Et odio iniquo oderunt me, ideſt injusto, & sine causa. Joa. 15: Ut impleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.] Idem verò *Augustinus* ponderans illud: Sepulchrum patens est guttur eorum, ait. [Ad voracitatis significationem referri potest, propter quam plerùmque homines adulatione mentiuntur. Et mirabiliter dixit *patens* sepulchrum, quoniam semper inhiat illa voracitas,non ut sepulchra, quæ receptis cadaveribus muniuntur. Potest, & aliud intelligi, quod mendacio, & blanda adulatione trahunt in se quos ad peccata illectant, & eos tanquam devorant, cum in suam vitam convertunt. &c.] Et ad eadem verba in alio Psalmo relata, ait. [Aut voracitas significatur inhiantis gulæ. Aut in Allegoria, qui occidunt, & quasi devorant interfectos eos, quibus suorum morum perversitatem persuadent. Cui simile est à contrario quod Petro dictum est: Macta, & manduca, ut in suam Fidem, & bonos mores suos Gentes converteret.]

Enarr. in Psal. 24.

In Psal. 24.

Odium culpæ rectum, odium Justitię iniquum.

Gulæ voracitas.

Enarr. in Psal. 5.

Enarr. in Psal. 13.

Sepulchrum patens os Adulātium,& ad imitationē perversitatis inducentium.

7 Modus autem attendendus est, quo Verbum inten-

 tio-

tionem explicat Scripturæ, ut illud: *Neque urgeat super me puteus os suum*; aliquid enim diverso modo significat, ac si diceretur: neque urgear in os putei. Hinc *Gregorius*: [Omnis, qui vitæ viam deserens, in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum, vel foveam mergit. Si verò diutinâ perpetratione, etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora jam possit exurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Unde David Prophæta sub specie peccantium exorat dicens: Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum. Quem enim mali operis iniquitas à bona stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit: sed si adhùc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Jam in puteum cecidit, qui hoc, quod Divina Lex prohibet, perpetravit. Sed si adhùc longa consuetudo non deprimit, nequaquàm os suum puteus coangustavit.]

Psal. 68.

Lib. 26. Mor. cap. 24. ini.

Quàm proxima finali impœnitentiæ consuetudo peccandi.

8 Similiter *Ambrosius* modum attendit, quo Prophæta ab iniquitate flagitat præservari dicens: *Viam iniquitatis amove à me*, ut innueret, non longe esse à peccato, sed intrà se iniquitatem sævire: [Non dixit: amove me à via iniquitatis, sed viam iniquitatis amove à me, quasi in nobis sit, & nobis inesse videatur. Quandiù enim exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interiùs manet, & non recedit à nobis; ideoque studiosè agamus, ut eam à nobis separemus.]

Psal. 118.

Iniquitas intrà nos est.

Ser. 4. in Psal. 118.

9 Ex circumstantia verbum afficiente eruitur copia conceptuum, plures enim sunt, quas hìc enumerare non vacat, indicatâ tantùm ex *Augustino* circumstantiâ temporis, aliis etiam considerandis quàm apta. Unde super illud: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, sic ait: [Quid est, *in matutinis*? Cum jam dies venerit, nocte transacta. *In matutinis* interficiebam omnes peccatores terræ. Quare eis parcit usque ad matutinum? quia nox erat. Nam modò quandiù non vides cor meum, & non video cor tuum, nox est.] Et in illud: *Ambulabat Jesus in Templo, in porticu Salomonis, & hiems erat*: [Hiems erat, & ideo frigidi erant: ad illum enim Divinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere est credere: qui credit, accedit: qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus. Friguerant diligendi charitate, & ardebant nocendi cupiditate.]

Nox pro occultis cogitationibus.

Enarr. in Psal. 110.

Joa. 19.

Tract. 48. in Joan.

Anima movetur affectibus.

10 Ex qualitatibus, seù ex his, quæ propria sunt rei significatæ per verbum, conceptûs geminatum ex *Gregorio* habemus exemplum. Quia enim proprium *Ostii* est, non om-

omninò, sed opportunè aditum negare; nec semper, sed suo
Psal. 140. tempore permittere: ex eo colligit, quàm benè David
ostium poni labiis suis precatus fuerit. [Discretè quippè vi-
3. par. Past. Admon. 15. cissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cùm restringi
lingua debet, per verba inutiliter defluat: aut cùm loqui
utiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod benè Ostium circumstãtiæ labiis poni quid sit.
Psalmista considerans dicit: Pone Domine custodiam ori
meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non enim poni
ori suo parietem, sed ostium, petit: quod videlicet aperitur,
& clauditur. Unde & nobis cautè discendum est, quatenùs
os discretum, & congruo tempore vox aperiat: & rursùm
congruo taciturnitas claudat.]

Psal. 36. 11 Rursùs exponens illud: *Deficientes quemadmodum*
Psal. 82. *fumus deficient*; & aliud: *Deus meus pone illos ut rotam*,
observat, iniquos terrenis inhiantes, & suprà se in mirabi-
libus ambulantes, optimè fumo comparari, & rotæ: [Fu-
Lib. 1. Registr. epist. 5. mus quippè ascendendo *deficit*, & se se dilatando *evanescit*. Seculi felicitas instar fumi.
Sic videlicèt fit, cum peccatoris vitam præsens felicitas co-
mitatur: quia unde ostenditur, ut altus sit, inde arguitur,
ut non sit. Hinc rursùm scriptum est: Deus meus pone
illos, ut rotam. Rota quippe ex posterioribus attollitur, &
in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona Peccator caducis inhians, rotæ similis.
præsentis Mundi, quæ relinquimus: anteriora verò sunt
æterna, & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo testante,
qui ait: Quæ retrò oblitus, in ea, quæ sunt priora me ex-
tendens. Peccator autem cùm in præsenti vita profecerit,
ut rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex poste-
rioribus elevatur: Nam cùm in hac vita gloriam percipit,
quam relinquit, ab illa cadit, quæ post hanc venit.]

SECTIO V.

Ex Verborum comparatione.



Sque hùc de verbis singulariter considera-
tis, sequitur, ut agamus de comparatis, ex
quibus plures conceptus colligi possunt. Ut
enim ait *Tertullianus*: [Ita de vocabulo-
Lib. de Resurr. carnis cap. 54. rum occasionibus plurimùm Quæstiones
subornantur, sicùt, & de verborum com-
munionibus.] Potest autem verbum vel alteri verbo, vel Varia Verborũ comparatio.
Personæ, vel facto comparari: vel quia unum deficere, al-

terum videtur superfluere. Sibimet respondentia verba illa: *Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ*, observat subtiliter *Gregorius*: [In quibus verbis notandum est, quod Amicus Sponsi non solùm *fructus* Pœnitentiæ, sed *dignos* Pœnitentiæ admonet faciendos. Aliud namque est fructum facere Pœnitentiæ: aliud dignum Pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundùm dignos Pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur: sicque Pietatis opera faciat, ut tamen si noluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est: tantò a se licita debet abscindere, quantò se meminit, & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minùs, & ejus, qui ampliùs deliquit: aut ejus, qui in nullis, & ejus, qui in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus, qui in multis est lapsus.] *Luc.* 3. *Hom.* 20. *in Evang.* Dignos Pœnitentiæ fructus qui faciant.

2 Personis verò comparatur verbum, ut illud: *Lectulus noster floridus*, exponente *Gilberto Abbate*: [*Lectulus*, inquit, *noster floridus*, *inculcans studium* in communibus muniis fovendis.] Vel quia verbum non videtur Personæ attribui. Unde subtiliter *Augustinus* exponit de Christo verba Psalmi: Longè a salute mea verba delictorum meorum. [Quorum delictorum, de quo dictum est: Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? Quomodo ergo dicit: delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra, sua delicta fecit, ut justitiam suam, nostram justitiam faceret? Deus meus clamabo ad te per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Dixit utique de me, de te, de illo: Corpus enim suum gerebat, idest Ecclesiam. Nisi fortè putatis Fratres, quia quando dixit Dominus: Pater si fieri potest, transeat à me Calix iste, mori timebat. Non est fortior miles, quàm Imperator: sufficit servo, ut sit sicut Dominus ejus. Paulus enim dicit Miles Regis Christi: Compellor è duobus, concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo: Ille optat mortem, ut sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem? Sed quid, nisi infirmitatem nostram portabat, & pro his, qui adhùc timent mortem in corpore suo constitutis ista dicebat? &c.] Ad Factum autem consideratur verbum referri, quemadmodùm observat *Augustinus* in illud: *Fulgura in pluviam fecit*: [Nam fulgura sine pluvia terrerent te, & nihil tibi darent. Fulgura sunt, contremiscis: pluit,

Serm. 2. *in Cant.* *Psalm.* 21. Christus sua vocat nostra delicta, pro quibus satisfaciebat. *Enarr. in Psalm.* 21. *Conc.* 2. In horto nostri mortis timorem expressit. Dei comminationes Misericordia sequitur. *Enarr. in Psal.* 134

pluit, gaudes. Fulgura in pluviam fecit: qui terruit, ipse ut gauderes refecit.]

Prov. 4. 3 Insuper verbum sequenti respondet, & concinnè infert. Sic *Gregorius* in illud: *Omni custodia serva cor tuum*: [Dicens *custodiâ*, præmisit, *omni*, ut videlicet unusquisque hincindè se diligentèr inspiciat, & quandiù in hac vita est, contrà spiritales inimicos in acie se positum sciat: ne mercedem, quam per has actiones colligit, per alias amittat: ne hìnc hosti fores obstruat, & aliundè aditum pandat. Si qua etenim Civitas contrà insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, unum verò in ea foramen tantummodò immunitum per negligentiam relinquatur; inde proculdubiò hostis ingreditur, qui undique exclusus videbatur. Pharisæus namque ille, qui in Templum oraturus ascendit, civitatem mentis suæ quanta munitione vallaverit, audiamus: Jejuno, inquit, bìs in Sabatho, decimas do omnium, quæ possideo. Quæ præmisit: Gratias ago tibi, magna certè munimina adhibuit. Sed videamus ubi insidianti hosti immunitum foramen reliquit: Quia non sum sicut Publicanus iste. Ecce civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustrà per jejunium, & eleæmosinas clausit.]

Lib. 19. Mor. cap. 12. ad fi.

Nullus locus iniquitati relinquendus.

Pharisæus orans in Templo elatione deliquit.

4 Verbum etiàm comparando alii antecedenti, formatur conceptus. Unde *Augustinus* in illud: *Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: Sanctitas, & magnificentia in sanctificatione ejus*, ait: [Amamus *pulchritudinem*? priùs eligamus *confessionem*, ut sequatur pulchritudo. Iterùm existit qui amat potentiam, amat *magnificentiam*: priùs Justitiam dilige, & sequetur te potentia. Quid enim sequitur, & hìc? Sanctitas, & magnificentia in sanctificatione ejus: cum sanctificatus fuerit, erit, & magnificus.] *Bernardus* etiam exponens illud: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*: [Nõ ait lucens, & ardens: quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore.] Vel idem verbum sibiipsi comparatur, eoquòd in diversis sententiis diversumSensum inducit. Quemadmodùm Ovibus Justi comparantur, & tamen de peccatoribus dicitur: Sicut Oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Ubi *Augustinus*. [Quibus? Illis, quorum via scandalum ipsis. Quibus? Illis, qui præsentia sola attendunt, dum futura non cogitant: illis, qui vitam non putant, nisi istam, quæ mors dicenda est. Non igitur immeritò tanquàm Oves in inferno, &c.] Et Cedrus cum Justi figura sit, potest, & superbum de-

Enarr. in Psalm. 95.

Joan. 5.

Serm. in Nat. S. Joã.

Psalm. 43.

Enarr. in Psalm. 43. Conc. 2.

Justitiam sequitur Potentia.

Joãnes Baptista lucerna ardens, & lucens.

Oves, & Cedri figuræ Justorũ, Impios quoque designant.

designare, teste eodem *Augustino*. [Vox Domini conterens Cedros, vox Domini contritione cordis humilians superbos. Conteret Dominus Cedros Libani. Conteret per pœnitentiam Dominus elatos nitore terrenæ nobilitatis, cum ad eos confundendos, ignobilia hujus Mundi elegerit, in quibus ostendat Divinitatem suam.] *Enarr. in Psalm. 28.*

5 Cum verbum idem sæpiùs iteratur, conceptuum fœcundum est. Ut cum dicitur: *Surge, propera amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni . . . . . Surge amica mea, speciosa mea, & veni.* Ad quæ verba *Gregorius Nyssenus*: [Sponsæ excitatæ rursùm dicit: *surge*: & ei, cum advenisset, dicit: *veni*. Neque enim ei, qui verè surgit, unquàm deerit semper surgere: neque ei, qui currit ad Dominum unquàm consummabitur amplum, & latum campi spatium ad Divinum cursum perficiendum.] Vel cùm iterari videtur ob significationis similitudinem: verè tamen est in ipsis diversitas. Sæpè enim in Psalmis, pauperi egenus conjungitur, & tamen eorum affert discrimen *D. Thomas* super illud: *quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives*: [Et dicit *egenus*, quod plus est, quàm *pauper*. Nam egenus dicitur ille, qui non solùm parum habet, sed qui indiget, seù eget: pauper verò ille, qui parùm habet. Ad significandam ergo *majorem paupertatem*, dicitur egenus factus est, scilicèt in temporalibus.]

Hom. 5. in Cant.

Perfectionis cursus nũquàm cõsummatur in vita.

Christus cur dicatur egenus factus.

2. Cor. 8. Lect. 2.

6 Dum in Psalmo dicitur: Quid est Homo, quòd memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? quamvis in voce *Homo*, & *Filius hominis* eadem significatio videatur, differentia tamen notatur ab *Augustino*. [Quid inter Hominem, & Filium hominis distet, quæri potest. Si enim nihil distaret, non ita poneretur, Homo, *aut* Filius hominis per disjunctionem. Nam si ita scriptum esset: Quid est Homo, quia memor es ejus, & Filius hominis, quoniam visitas eum? repetitum videretur quod dictum est Homo. Nunc verò cum sonat Homo, *aut* Filius hominis, manifestior insinuatur distantia . . . . . Ut qui portant imaginem terreni Hominis, qui non est Filius hominis, Hominum nomine significentur. Qui autem portant imaginem Cœlestis Hominis, Filii hominis potiùs appellentur. &c.] Quod si verba abundare videntur, fons conceptuum exundat. Hìnc *Ambrosius* in illud: *Deus auribus nostris audivimus*, ait: [Quid est quod ait: *auribus nostris*? Quod si non satìs esset *audivimus*, certè si hoc placuerat, *auribus audivimus*, plenum erat. Cur ergo additum est * *nostris*? Quid sibi hoc vult? Nisi ut in-

Psalm. 8.

Enarr. in Psal. 8.

Carnales dicuntur Homines, spirituales Filii hominis.

Psalm. 43.

Enarr. in eum Psal. Tom. 4.

* *Emphasis in verbo.*

intelligas, illa esse *nostra*, quæ mentis sunt: & ea esse meliora, quàm quæ istius corporis?]

7 Si verò deficere necessaria verba videantur, major latet conceptuum fœcunditas. Inde *Augustinus* in illud: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ingeniosè ait: [Nihil de illa adhùc dixerat. Psalmus hic incipit, & ait: Fundamenta *ejus* in montibus sanctis. Cujus fundamenta? Non est dubium, quia fundamenta, præsertìm in montibus, Civitatis alicujus sunt. Repletus ergo Spiritu Sancto Civis iste, & multa de amore, & desiderio Civitatis hujus volvens secum, tanquam plura intùs apud se meditatus, erupit in hoc: Fundamenta *ejus* in montibus sanctis, quasi jam de illa dixerit aliquid.] Et *Gregorius* exponens illud: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam*, argutè loquitur: [Sed quid est, quod viso eo, quem Hortulanum credidit, cui necdùm dixerat quem quærebat, ait: Domine si tu sustulisti *eum*? Quasi enim jam dixisset ex cujus desiderio plangeret, *eum* dicit, quem non dixerat. Sed vis amoris hoc agere solet in animo, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Rectè, & hæc Mulier quem quærit non dicit, & tamen dicit: Si tu sustulisti *eum*: quia alteri non putat incognitum, quem sic ipsa continuo plangit desiderio.]

Enarr. in Psal. 86.

Joa. 20.

Hom. 25. in Evang.

David in meditatione Cœlestis Civitatis assiduus.

Amans nullum ignorare credit, quem ipse semper cogitat.

8 Quandoque comparatio est verborum invicem adversantium, ut illa *Augustini* [Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, acclamando tota die. Quid est hoc? quasi contrarium videtur: Quoniam *tacui*, inveteraverunt ossa mea *acclamando*. Si acclamando, quomodo tacuit? Tacuit quiddam, non tacuit quiddam. Tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret: tacuit confessionem, clamavit præsumptionem. Tacui enim dixit, non sum confessus: ibi oportebat, ut loqueretur: taceret merita sua, clamaret peccata sua. &c.] Et de Lazari resurrectione loquens idem S. Præsul explicat quomodo de illius morte Christus gaudere dicitur: Lazarus mortuus est, *sed gaudeo*; & ad locum veniens, ubi jam quatriduò jacebat sepultus, *lacrymatus est* Jesus. [Sed si gaudere se dicit hìc Dominus propter Discipulos de Lazari morte, quid est, quod posteà flesse refertur in Lazari morte? Sed advertamus rationem gaudii, & lacrymarum. Gaudebat Dominus propter Discipulos: quia per resurrectionem Lazari confirmari habebat Fides ipsorum in Christo. Propter Judæorum flebat incredulitatem, quia nec resurgente Lazaro, Christo Domino fuerant credi-

Enarr. in Psalm. 31. Conc. 2.

Joan. 11.

Serm. 104. de Temp. To. 10.

Tacere simul, & clamare quomodo de se David affirmet.

Christus flevit, ut nos gauderemus.

dituri . . . . . Et idcircò fortè utrumque de Domino in præsenti lectione refertur, quod & gavisus sit, & fleverit : quia qui seminat in lacrymis , ut scriptum est, in gaudio metet. Lacrymæ ergo Domini , gaudia Mundi sunt : quia idcircò ille lacrymas fudit, ut nos gaudia meteremus.]

SECTIO VI.

Ex Verborum positione.

1 Aximè ad conceptus efformandos attenta conducit consideratio quo ordine verba collocentur in sententiis; an sibi adversari videantur; an cum antecedente sensu , aut sequente jungenda: an eorum separatio significationem veram solvat , aut servet . Superficialis enim contrarietas apparet in illis verbis: *Quia vidisti me Thoma credidisti*, quam resolvit *Gregorius*: [Quæ enim apparent,jam fidem non habent,sed agnitionem.Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: Quia *vidisti* me Thoma *credidisti* ? Sed aliud vidit , aliud credidit . A mortali quippe homine Divinitas videri non potuit: Hominem ergo vidit , & Deum confessus est.] Et alibi exponens illud : *Non adæquabitur ei aurum , vel vitrum* . Hæc duo verba sibiipsi non cohærentia primo aspectu videri,ait, quæ proinde mysticè explicat: [Et cum, sicut novimus,*vitrum* longè, atque dissimiliter auro sit vilius: cur post *auri* nomen, metalli utique pretiosi, pro immensa laude *vitrum* quoque dixit Sapientiæ non adæquari? Ipsâ ergo Literæ difficultate compellimur, ut ad sententias horum verborum mysticas vigilemus.]

Joan. 20. *Hom. 26. in Evang.* *Job 24.* *Lib. 18. Mor. cap. 22.*

Thomas quomodo vidēs credidit.

2 At super Psalmodi verba : *Beatus Vir, qui non abiit in Concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit* ; optimam verborum collocationem expendit *Augustinus* : [Considerandus est ordo verborum: abiit, stetit, sedit. *Abiit* enim ille , cùm recessit à Deo: *stetit*, cùm delectatus est peccato: *sedit* , cùm in sua superbia confirmatus , redire non potuit.] Petrus Damianus in ea verba: *Cum esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei*, advertit benè componi, esse Spiritu Sancto plenum, & intendere in Cœlum: [Simul signantèr recollige positionem verborum: *plenus est* *Spi-*

Enarr. in Psal. 1. *Actor. 7.* *Serm. de S. Steph.*

Obstinatus in culpa.

Stephanus conculcatis terrenis , Cœlestibus inhiabat.

Spiritu, & sic *intendit in Cælum*: quia qui Spiritu Divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, Cœlestibus inhiat,& æternis.] Et *Ambrosius* super illud Isaiæ: *Parvulus enim natus est nobis,& Filius datus est nobis*, ait: [Quoniam *puer* natus est nobis, & *Filius* datus est *nobis*. Puer, quia ortus ex Virgine est: Filius, quia ex Deo natus, tantæ author est lucis. Puer *nobis* natus est: Nobis, qui credimus, non Judæis,qui non crediderunt: Nobis,non Hæreticis,non Manichæis &c.]

Isa. 9. *In Psal. 1.*

3 Sicut autem consideratio collocationis verborum ferax conceptuum:sic non sincerè,nec juxtà Patres intellecta, plena periculi esse potest, si verba vel disjungantur, vel ad partem periodi, ad quam non spectant, referantur. *Ambrosius*: [Unde nec illud verendum est,quod solent Arriani sævâ interpretatione componere dicentes: factum est Dei Verbum, quia scriptum est, inquiunt: Quod factum est in ipso vita erat. Primùm intelligant, si ad substantiam Divinam referant, *quod factum est*, Manichæorum se quæstionibus implicari. Objiciunt enim Manichæi:Si quod in ipso factum est, vita est: est ergo aliquid, quod in ipso non sit, & mors sit, ut duo impiè inducant Principia. Sed hoc damnat Ecclesia. Deindè undè possunt docere sic pronunciasse Evangelistam? Plerique enim docti, & fideles sic pronunciant: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,quod factum est. Alii sic: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Deindè: Quod factum est pronunciant, & subjungunt: In ipso, hoc est: quidquid autem factum,est in ipso. Quid est in ipso? Apostolus docet dicens: In ipso sumus, & vivimus, & movemur.]

Lib. 3. de Fide cap. 3. ad fin.

Arriani, factum esse Divinum Verbum impiè dicebant.

4 Refert etiam *D. Thomas* errores Manichæorum, sed subjungit quomodò possit eo modo authoritas illa sine errore legi: [Hìc ponitur tertia particula, ubi cavendus est falsus intellectus Manichæi, qui ex hoc verbo motus est ad dicendum, quod omnia, quæ sunt, vivunt, putà lapis, lignum, & homo, & quidquid est in Mundo, & punctabat sic: *Quod factum est in ipso*, distingue, *erat vita*: Sed non erat vita, nisi viveret: ergo quidquid factum est in ipso, vivit. Vult etiam, quod *in ipso* idem sit, ac si dicatur *per ipsum*, cum communiter Scriptura *in ipso*, vel *per ipsum* accipiatur, sicut illud Coloss. 1: In ipso, & per ipsum condita sunt omnia. Sed hunc intellectum ipsa experientia ostendit esse falsum. Potest tamen sine errore multipliciter exponi. Nam in illa Homelia vox spiritualis exponitur sic: *Quod factum est*

In cap. 1. Joan.

Manichæorum error,quod omnia vivant.

Verborũ: Quod factum est in ipso vita erat, diversa Patrum intelligentia.

est in ipso, ideſt per ipſum : hoc vita erat non in ſeipſo , ſed in ſua Cauſa , &c.]

5 At verò Auguſtinus vocem: *Quod factum eſt*, conjungit cum ſequenti: *in Ipſo vita erat*, ſeù, ut legit, vita eſt : [Ut quid dictum eſt : Quod factum eſt in Ipſo vita eſt ? Si enim omnia in Ipſo vita ſunt. Non te abducat ſic : Quod factum eſt, hìc diſtingue, & deinde infer, in illo vita eſt. Quid eſt hoc ? Facta eſt terra; ſed ipſa terra, quæ facta eſt, non eſt vita. Eſt autem in ipſa Sapientia ſpiritaliter ratio quædam, qua terra facta eſt, hæc vita eſt. Ergo quod factum eſt, in illo vita eſt.] Alibi tamen dicit, emendatiores codices habere: vita erat. *Tract. 1. in Joan.* *Lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 14.*

6 Quam Auguſtini mentem clarè aperit ejus Diſcipulus *D. Thomas*: [Auguſtinus autem aliter legit, ſic punctando: Quod factum eſt, diſtingue, in ipſo vita erat. Res enim dupliciter conſiderari poſſunt, ſecundùm ſcilicèt quod ſunt in ſeipſis, & ſecundùm quod ſunt in Verbo. Si conſiderentur ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, ſic non omnes res ſunt vita, nec etiam viventes: ſed aliquæ carent vitâ, aliquæ vivunt: ſicut facta eſt terra, facta ſunt etiam, & metalla, quæ nec vita ſunt, nec vivunt. Facta ſunt animalia, facti ſunt homines: quæ ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, non ſunt vita, ſed vivunt ſolùm. Si verò conſiderentur ſecundùm quod ſunt in Verbo, non ſolùm ſunt viventes, ſed etiam vita. Nam rationes in Sapientia Dei ſpiritualiter exiſtentes, quibus res factæ ſunt, in ipſo Verbo ſunt vita. Sicut arca facta per Artificem, in ſe quidem nec vivit, nec vita eſt. Ratio verò arcæ, quæ præceſſit in mente Artificis, vivit quodammodò, inquantùm habet eſſe intelligibile in mente Artificis; non tamen eſt vita: quia ipſum intelligere Artificis, non eſt ſua eſſentia, neque ſuum eſſe. In Deo autem ſuum intelligere eſt ſua Vita, & ſua Eſſentia; & ideo quidquid eſt in Deo, non ſolùm vivit, ſed eſt ipſa Vita : quia quidquid eſt in Deo, eſt ſua Eſſentia: unde Creatura in Deo eſt Creatrix Eſſentia. Si ergo conſiderentur res ſecundùm quod in Verbo ſunt, vita ſunt.] *In cap. 1. Joan.*

Res creatæ conſideratæ proùt ſunt in ſeipſis, & proùt ſunt in Verbo.

Quidquid eſt in Deo, eſt Dei Vita.

7 Aliam affert ibidem *D. Thomas* Origenis intelligentiam, & diſpoſitionem eorumdem verborum, dicens: [Origenes verò ſuper Joannem legit hoc aliter punctando ſic : *Quod factum eſt in Ipſo*, diſtingue, *Vita erat*. Ubi notandum eſt, quod de Filio Dei dicitur aliquid, & ſecundùm ſe, ſicut dicitur Deus, Omnipotens, & hujuſmodi. Aliquid verò dicitur de eo per comparationem ad nos : ſicut Salvator, & Re- *Ibid.*

De Filio Dei aliquid dicitur ſecundùm ſe, aliquid quoad nos, aliquid utroque modo.

Redemptor. Aliquid verò utroque modo, ſicut Sapientia, & Juſtitia. In omnibus autem, quæ abſolutè, & ſecundùm ſe de Filio dicuntur, non dicitur, quod ſit factus: ſicut non dicitur Filius factus Deus, neque Omnipotens: ſed in illis quæ dicuntur in comparatione ad nos, ſeù utroque modo, poteſt addi adjunctio facti, ut dicatur ſecundùm illud Cor. 1: Qui factus eſt nobis Sapientia à Deo, &c. Et ſi licèt ſemper fuerit in ſeipſo Sapientia, & Juſtitia: tamen poteſt dici, quod de novo factus eſt nobis Juſtitia, & Sapientia. Secundùm hoc ergo Origenes exponens dicit, quod quamvìs in ſeipſo ſit Vita, tamen nobis factus eſt Vita per hoc, quod nos vivificavit, juxtà illud Rom. 15: Sicut in Adam omnes moriuntur: ita, & in ipſo omnes vivificabuntur. Et ideo dicit, quod Verbum, quod factum eſt nobis Vita, *in Ipſo Vita erat*, ut quandoque nobis fieret Vita; & ſtatìm ideo ſubdit: Et Vita erat lux hominum.]

8 Inſuper acceptionem Hilarii non prætermittit *S. Doctor*, ſubdens: [Hilarius autem ſic punctat: *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt in Ipſo*; & poſteà dicatur: *Vita erat*. Quia ipſe dicit in 11. de Trin: Cum dicit Evangeliſta: *Et ſine Ipſo factum eſt nihil*, poſſet eſſe ambiguum, an quædam alia, adhùc quæ per Ipſum facta ſunt, fuerint facta non per ipſum, non tamen ſine ipſo, ſed in eis aſſociavit facientem: & hanc clauſulam eſſe additam ad correptionem præcedentis. Nè ergo hoc intelligeretur, ideo Evangeliſta cum dixiſſet: Omnia per ipſum facta ſunt, ſubjungit: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod tamen factum eſt in ipſo, ideſt per ipſum: Et ratio hujus eſt, quia *Vita erat*. Manifeſtum eſt enim, quod hoc modo omnia dicuntur per Verbum facta, inquantùm Verbum ex Patre procedens eſt Deus. Ponamus autem, quod aliquis Pater Filium habeat, qui non ſit perfectè habens operationes hominis, ſed paulatìm ad hoc perveniat: manifeſtum eſt, quod multa faciet non per ipſum Filium, licèt non ſine eo. Quia ergo Filius Dei eamdem vitam habuit ab æterno, quam, & Pater, ſecundùm illud Joannis 6: Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit, & Filio vitam habere in ſemetipſo: Ideo non poteſt dici, quod Deus Pater, etsì nihil fecerit ſine Filio; tamen fecit aliqua non per ipſum: quia Vita erat. In Viventibus enim, quæ vitam participant, poteſt contingere, quod vita imperfecta præcedat vitam perfectam: Sed in Per ſe Vita, quæ non participat vitam, ſed eſt abſolutè, & ſimpliciter Vita, nullo modo poteſt imperfectio aliqua eſſe. Quia ergo

Ibid.

Vita participata, & Vita per ſe.

Verbum est per se Vita, nunquàm fuit in eo vita imperfecta, sed semper perfecta: & ideo nihil factum est *fine Ipso*, quod tamen non sit factum *in Ipso*, idest per Ipsum.]

9 En, & alia Chrysostomi ibidem ab eodem *S. Doctore* allata: [Chrysostomus autem alium modum legendi habet, & punctat sic: *Et sine Ipso factum est nihil quod factum est*. Et ratio hujus est, quia aliquis posset credere, quod Spiritus Sanctus esset factus per Verbum; & ideo Evangelista hoc volens excludere, dicit: *Quod factum est*: quia Spiritus Sanctus non est Quid factum; & posteà sequitur: *In Ipso Vita erat*. Quod introducitur propter duo: Unum est, ut post productionem omnium rerum ostendatur indeficientia causalitatis ad res non solùm productas, sed etiam producendas. Quasi dicat: In Ipso Vita erat: quasi non solùm omnia producere potuit: sed etiam quæ habet indeficientem influxum, & causalitatem absque mutationis dispendio ad res continuè producendas, utpotè Fons vivus, non minoratur ex fluxu continuo. Aqua verò collecta, & non viva cum defluit, minoratur, & deficit. Unde dicitur in Psal: Apud te est Fons vitæ. Secundum est, ut ostendatur gubernatio rerum esse per Verbum: quia enim *in Ipso Vita erat*, ostenditur, quod non produxit res per necessitatem Naturæ, sed per Voluntatem, & Intellectum: & quod res productas gubernat. Hebr. 4: Vivus est Sermo Dei, &c.] Et quia apud Græcos Chrysostomus est tantæ authoritatis in suis expositionibus, ut testatur ibidem D. Thomas, quod ubi ipse aliquid exposuit in Sacra Scriptura, nullam aliam expositionem admittant: ideo in omnibus Libris Græcis invenitur sic punctatum, sicut punctat Chrysostomus, scilicèt hoc modo: *Sine ipso factum est nihil quod factum est*.

Ibid.

Vita dans vitam sine dispendio sui.

10. Non abs re latiorem attulimus Angelici Præceptoris explicationem super ea Evangelii verba; tùm quia plurium conceptuum præbet materiam: tùm, ut significaremus quando periculum irrepit in collocando verba Scripturæ. Addendus hic error alius Hæreticorum pravè interpretantium ejusdem Evangelii initium. Ut enim inquit *Augustinus*: [Illa Hæretica distinctio: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat: ut alius sit sensus: *Verbum hoc erat in principio apud Deum*, non vult Verbum Deum confiteri. Sed hoc regulâ Fidei refellendum est, qua nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur, ut dicamus: *Et Deus erat Verbum*. Deinde subjungamus: *Hoc erat in principio apud Deum*.] Suppari exemplo *Tertullianus*: [Scimus

Arrianorũ Hæresis.

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 2. 10. 3.

mus

Lib. 5. cont. Marcion. cap. 11. mus quosdam sensus ambiguitatem pati posse de sono pronunciationis, aut de modo distinctionis, cum duplicitas earum intercedit. Hanc Marcion captavit sic legendo: *In quibus Deus Ævi hujus*; ut Creatorem ostendens Deum hujus Ævi, alium suggerat Deum alterius Ævi. Nos contrà sic distinguendum dicimus: *In quibus Deus*, dehinc: *Ævi hujus excæcavit mentes Infidelium.*]

2. Cor. 4.

11 Sæpè nihilominùs discrimine caret diversa verborum collocatio, & evenit, alteram, & alteram non esse Fidei adversam, proindè conceptibus formandis utramque opportunam. Proponit *Augustinus* exemplum: [Illa verò distinctionis ambiguitas neutra parte resistit Fidei, & ideo textu ipso sermonis dijudicanda est ubi ait Apostolus: Et quid eligam ignoro. Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo, multò enim magìs optimum, manere in carne necessarium propter vos. Incertum enim est, utrum: *ex duobus concupiscentiam habens*; an: *Compellor autem ex duobus*, ut illud adjungatur *concupiscentiam habens dissolvi*, & esse cum Christo. Sed quoniam ita sequitur: Multò enim *magìs optimum*; apparet, eum ejus *optimi* dicere se habere concupiscentiam, ut cum ex duobus compellatur: *alterius* tamen habeat *concupiscentiam*: *alterius necessitatem*: concupiscentiam scilicèt, esse cum Christo: necessitatem, manere in carne.] Hinc perfectum in Paulo amorem agnoscit *D. Thomas* dicens: [Duplex est dilectio Dei, scilicèt dilectio concupiscentiæ, qua vult frui Deo, & delectari in ipso, & hoc est bonum hominis. Item est dilectio amicitiæ, qua homo præponit honorem Dei etiam huic delectationi, qua fruitur Deo, & hæc est perfecta charitas. Unde Rom. 8: Neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. Et subdit 9. cap: Optabam ego anathema fieri pro Fratribus meis, &c. Et hoc ergo dixit, ut ostendat se esse perfectioris Charitatis: quasi sit paratus, propter amorem Dei, & gloriam, carere delectatione visionis Dei. Et ideo hoc elegit, & benè, tanquam magìs perfectum.]

Lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 2.

Ad Philip. cap. 1.

Paulus quodnâ optimum concupiscere se dicebat.

In Epist. ad Philip. cap. 1. lect. 3. f.

Dilectio erga Deum alia cōcupiscentiæ, alia amicitiæ.

Paulus anathema cupit esse pro Fratribus, & quomodo?

2. Cor. 3.

12 Et Apostoli verba: Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam, exponens *D. Thomas* ait. [Quod dupliciter exponitur. Primo modo sic: Quia nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam: idest, illa gloria nihil est in comparatione ad istam Novi Testamenti: quia illa gloria non est omnibus Ministris collata, sed solùm Moysi,

Ibid. lect. 2.

& non

& non claruit in toto Moyse, sed in parte, ideſt in facie solùm particulariter. Et ideo nec glorificatum est, ideſt nec glorificari debet, propter excellentem gloriam, ideſt comparatione excellentis gloriæ Novi Testamenti, quæ abundat gratiâ, ut per eam purificati homines possint videre non gloriam hominis, sed Dei. Secundo modo, ut punctetur sic. Nec glorificatum est quod claruit, quasi dicat: Nam in hac parte, ideſt respectu hujus Naturæ particularis, qua sumus servi, non est glorificatum, ideſt non gloriosum illud, quod claruit in Veteri Testamento. Et hoc propter excellentem gloriam, quæ est in Novo, quia illa est gloria Dei Patris.]

Glorificatio major in Novo, quàm in Veteri Testamento.

SECTIO VII.

Ex Sententiarum comparatione.

1 

Xpositâ methodo pro conceptibus ex verbis Sacræ Scripturæ eruendis, ad eam, quæ pro iisdem ex sententiis opportunè construendis observari debet, transeundum est. Circa quod prima Regula sit: ut quæ extat ambigua, cum sententia clariori conferatur. *Ovis enim occisionis* significare potest, & quam ad usum, & quam pro Sacrificio mactare Homo consuevit. Ideoque sententia illa: *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, concordat cum alia: *Dedisti nos tanquàm oves escarum*. At verò illa: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, est vaticinium de cruento Christi Sacrificio, & confertur alteri: *Sanctifica eos in die occisionis*. Observat proindè diligenter *Augustinus*: [Magnificè igitur, & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Divinas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de ullis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.] Et iterùm: [Conandum est, ut ad obscuriores loquutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla.]

Psal. 43. *Ibid.* *Isa.* 53. *Hierem.* 12. *Lib.* 2. *de Doctr. Chr. cap.* 6. *Ibid. cap.* 9.

Sententiæ obscuræ in Sacra Scriptura, aliis claris manifestantur.

2 Maximè verò Veteris Testamenti obscuriores sententiæ, per alias exponi debent Testamenti Novi, quod sancitum est ad illuminationem scientiæ claritatis in facie Christi Jesu. Unde *D. Thomas* ponderans verba Apostoli: *Multifariam Deus loquens in Prophetis, novissimè loquutus est nobis in Filio*, majorem hanc explicat in Lege Gratiæ cla-

Ad Hebr. 1.

Vid. Act. 1. claritatem: [Ubi notandum est, quod ibi dicit: *loquens*, hic autem dicit: *loquutus est*, ut designet loquutionem Novi Testamenti perfectiorem illâ, quæ fuit in Veteri. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod tria requiruntur ad loquutionem nostram. Primò Verbi conceptio, qua scilicèt præconcipiatur in mente id, quod ore loquendum est: secundò ipsius Verbi concepti expressio, qua insinuetur quod conceptum est: tertiò ipsius rei expressæ manifestatio, qua res expressa evidens fiat. Deus ergo loquendo, primò concepit, cujus conceptio una fuit, & ab æterno. Job 32: Semel loquitur Deus; & hæc fuit Æterna Filii Generatio, de qua in Psal: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te. Secundò hujusmodi conceptum expressit, & hoc tripliciter. Primò in Creaturarum editione: cum scilicèt Verbum conceptum similitudo Patris existens, sit etiam similitudo, ad quam omnes Creaturæ factæ sunt: Genes. 1: Dixit Deus Fiat lux, &c. Secundò per quasdam notiones, putà in mentibus Angelorum, in quibus species omnium rerum, quæ in Verbo latebant, indidit: & in mentibus Hominum Sanctorum, & hoc per revelationes sensibiles, vel intellectuales, vel imaginarias: & ideo omnis talis manifestatio prodiens à Verbo Æterno, loquutio nuncupatur. Tertiò per Carnis assumptionem, de qua dicitur Joa. 1: Verbum Caro factum est, & vidimus gloriam ejus. Et ideo dicit Augustinus, quod hoc modo se habet Verbum Incarnatum ad Verbum Increatum, sicut verbum vocis ad verbum cordis. Prima autem expressio, scilicèt in Creatione, non ordinatur ad manifestationem: manifestum est, quod illa expressio non potest dici loquutio; & ideo nunquàm dicitur, quod Deus loquatur creando Creaturas, sed quod cognoscatur. Rom. 1: Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Secunda verò expressio, quæ est editio specierum in mente Angelica, vel humana, ordinatur tantùm ad cognitionem Sapientiæ Divinæ, & ideo potest dici loquutio. Tertia verò per assumptionem Carnis ordinatur ad Esse, & ad cognitionem, & ad expressam manifestationem: quia per assumptionem Carnis, & Verbum factum est Homo, & nos in cognitionem Dei perfectam ducit, (Joa. 18: Ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam Veritati) & se nobis expresse manifestavit. Baruch 4: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Sic ergo licèt Deus loquatur in Novo, & in Veteri Testamento, perfectiùs tamen nobis loquitur: quia ibi per revela-

Ad humanam loquutionē tria requiruntur.

Verbum Incarnatum se habet ad Verbum Increatū sicùt verbum vocis ad verbum cordis.

velationes in mentibus hominum, hìc per Incarnationem Filii. Vetus Testamentum traditum est Patribus aspicientibus à longè, & intuentibus Deum procùl: istud autem Nobis, scilicèt Apostolis, qui vidimus eum in propria Persona. 1.Joa.1: Quæ audivimus,& vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. Unde patet quod illa loquutio fuit promissio. Ad Gal. 3: Abrahæ dictæ sunt repromissiones: Ista est exhibitio. Joa. 1: Gratia, & Veritas per Jesum Christum facta est. Iterùm ibi loquutus est in Prophætis, hìc in Filio, qui est Dominus Prophætarum.]

Novum Testamentum clarius Veteri.

3 Hujusmodi porrò expositionis Sententiarum Veteris per alias Novi Testamenti exempla sint, quæ subjicimus. Præsertìm illud Psalmistæ: *Domine à paucis de terra divide eos*. Nam qui sint pauci isti, à quibus rogat Prophæta segregandos hostes suos, & Dei, apertè intelligitur ex verbis Evangelii: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*. *Ambrosius* venditionem Joseph viginti argenteis factam, explicat per comparationem triginta argenteorum, quibus fuit proditus Salvator, assignans diversitatis mysterium: [Alibì viginti argenteis emitur, alibì triginta. Quo enim poterat verum ejus pretium comprehendi, cujus non potest meritum definiri? Erratur in pretio, quia erratur in studio .... Nec hìc figura mediocris: ad Sacrilegium perfidi largiores, quàm ad salutem Fideles sunt .... Viginti aurei pretium servitutis, triginta aurei Crucis sunt. Quamvìs enim simili modo assumptionis, & passionis sint admiranda mysteria: plenitudo tamen Fidei in Sacramento est passionis.]

Psal.16.

Matth.cap. 20. & 22.

Christus cur triginta argenteis venditus?

Lib. 3. de Spir. San. cap.18.

Largiores perfidi ad Sacrilegium, quàm Fideles ad salutem.

4 Comparatio etiam fieri potest inter Sententias Veteris Testamenti, vel etiam Novi, unde vivi admodùm conceptus erui solent, præsertìm si altera alteri repugnare videtur. Sic premissis verbis Domini Lege inhibentis: *Non coques hædum in lacte Matris suæ*: quod mandatum *D.Thomas* exponit rationabiliter impositum: [Et ideo ut Dominus Populum Judaicum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam revocaret, voluit eos exercere ad misericordiam etiam circà bruta animalia, prohibens quædam circà animalia fieri,quæ ad crudelitatem quamdam pertinere videntur:& ideo prohibuit,ne coqueretur hœdus in lacte matris.] Ut enim superiùs Sanctus Doctor observat: [Etsì hœdus occisus non sentiat qualiter carnes ejus coquantur: tamen in animo decoquentis ad quamdam crudelitatem pertinere videtur si lac Matris, quod datum est ei pro nutrimento, adhi-

Exod. 23.

1.2.q. 102. a. 6. ad 8

Hædum non coquendũ in lacte matris qua ratione à Deo præceptum.

Ibid ad 4.

adhibeatur ad consumptionem carnium ipsius.]

5 Statim verò exaggerari potest aliud prius Dei mandatum Judæis jam Ægypto exituris per Moysen intimatum, de hœdo immolando, & a decima usque ad vesperam quartædecimæ diei mensis servando; videtur enim aliquam in hœdum exerceri crudelitatem, claudendo illum, & a matre sua per quatuor dies separando. Quod tamen præceptum Ruperto Abbati conceptum præbuit altæ ponderationis: [Ut quid tamdiù ante, tolletis, tanto tempore servaturi? Videlicèt, ut dum ille præsto est, causa quoque ejus corda vestra sollicitet: ne sitis immemores, vel imparati, quia transeundum est, dum ille tot ante diebus de profectione vos admonet: quotiès enim ille balatum emittit, totiès quasi tubæ sonitus, exituras Castrorum acies excitet.]

Exod. 12.

Lib. 2. in Exod. cap. 3.

Hœdus cur à decima die mẽsis usq; ad quartãdecimam servatus.

Mortis meditatio.

6 Similiter Deus Naturæ Author hominem innocentem occidi vetuit, fornicationem prohibuit, sicut; & alteri maledicere. Invenitur nihilominus in Sacra Scriptura præcepisse Abrahæ occisionem unigeniti, & insontis Filii: Oseæ accessum ad mulierem fornicariam: Semei, ut malediceret David, quæ nimirùm prioribus adversantur. De his supra egimus, hìc addenda doctrina *D.Thomæ*. [Nihil prohibet, aliquem actum, qui in se esset peccatum mortale, aliquâ circumstantiâ additâ fieri virtuosum. Occidere enim hominem, absolutè peccatum mortale est: sed Ministro Judicis occidere hominem propter justitiam ex præcepto Judicis, non est peccatum, sed actus Justitiæ. Sicut autem Princeps Civitatis habet disponere de hominibus quantùm ad vitam, & mortem, & alia, quæcumque pertinent ad finem sui regiminis, qui est Justitia: ita Deus habet omnia in sui dispositione dirigere ad finem sui regiminis, quod est ejus Bonitas. Et ideo licèt occidere Filium innocentem de se possit esse peccatum mortale, tamen si hoc fiat ex præcepto Dei propter finem, quem Deus prævidit, & ordinavit, licèt etiam sit homini ignotus, non est peccatum, sed meritum. Et similiter etiam dicendum est de fornicatione Oseæ, cum constet, Deum esse ordinatorem totius humanæ generationis..... De præcepto autem Semei est dicendum aliter. Dicitur enim Deus dupliciter præcipere: uno modo loquendo spiritualiter, vel corporaliter per substantiam creatam, & sic præcepit Abrahæ, & Prophætis. Alio modo inclinando, sicut dicitur præcepisse vermi, ut comederet hederam Jonæ 1. Et per hunc modum præcepit Semei, ut malediceret David, inquantùm cor ejus inclinavit:. . . . , Deus autem non

Cap. 5. Sect. 5.

Quæst. 1. de Pot. ar. 6. ad 4.

Abraham meruit Filium intendens occidere.

Oseæ præceptũ de accessu ad fornicariam.

Deus dicitur ad malum inclinare, permittendo, non movendo.

H h dici-

dicitur inclinare voluntates hominum in malum immittendo malitiam, vel ad malitiam commovendo: sed permittendo, & ordinando, ut videlicèt qui crudelitatem exercere consentiunt, in illos exerceant, quos dignos Deus judicat.] *Ibid. ad 6.*

7 In Novo autem Testamento occurrit quod Dominus ait: *Omnes enim Prophetæ, & Lex usque ad Joannem prophetaverunt. Et si vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus est.* Nihilominùs alibì à Sacerdotibus, & Levitis interrogatus Joannes: *Quid ergo? Helias es tu? Et dixit: non sum.* Ubi *Gregorius*: [Quid est hoc Fratres charissimi, quia quod Veritas affirmat, hoc Propheta Veritatis negat? Valde namque inter se diversa sunt: *Ipse est, & non sum.*] Tollitur contrarietas ex verbis Archangeli ad Zachariam dicentis: [*Et ipse præcedet ante illum in Spiritu, & Virtute Heliæ.* Ideoque idem Gregorius: [Joannes igitur in Spiritu Helias erat, in persona Helias non erat: Quod ergo Dominus fatetur de Spiritu, hoc Joannes denegat de persona.] *Matth. cap. 11.* *Joa. 1.* *Hom. 7. in Evang.*

Joãnes Baptista quomodo erat, & non erat Helias!

8 Eò vel maximè crescit conceptûs vivacitas, quò videtur ab eodem Authore oppositas venisse sententias. Christus enim Petro in Malchi vulnere dixit: *Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et tamen Lucæ 22. idem Dominus Discipulis secùm cœnantibus ait: *Et qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Sed ex hac apparenti sententiarum contrarietate plures conceptus collige ex *Ambrosio* dicente: [Cur emere jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi: nisi fortè, ut sit parata defensio, non ultio necessaria: & videat potuisse vindicare, sed noluisse? Lex tamen referire me non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti: sat est, dicit. quasi licuerit usque ad Evangelium: ut sit in Lege Æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur: sed non iniquus Dominus, qui cum se posset ulcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritalis, ut vendas Patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, & immolatæ carnis exuviis ematur tibi sacri corona martyrii.] *Joan. 18.* *Lib. 10. in Luc.*

Petro gladius parandus, & nõ adhibendus.

Perfectio Evangelii supra Legem Veterem.

9 Eadem apparens contrarietas in sententiis Apostoli profundè attingitur ab *Augustino*, eoquod dixerat ille: Unusquisque onus suum portabit. Subjunxit tamen: Alter alterius onera portate. [Et illinc quæstio, quæ nos cogit *Ad Gal. 6.*

one-

onera distinguere. In ipso quippè Capitulo lectionis habes ibi positum: Unusquisque autem proprium onus portabit. Jam ergo occurrit sensibus vestris: si unusquisque onus proprium portabit, quomodo dicit: invicem onera vestra portate? nisi quia onera nostra distinguenda sunt, ne sibi contraria loqui putetur Apostolus. Non enim longè, non enim in alia Epistola, non enim in hac ipsa longè superiùs, aut inferiùs, sed in eoipso loco, itaut sibi sint eadem verba contigua, utrumque posuit: & quia unusquisque proprium onus portabit: & quod admonuit, & hortatus est, ut invicèm onera nostra portemus. Alia ergo sunt onera, in quibus unusquisque proprium portat, nec portat cum eo alter, nec projicit in alterum: & alia sunt onera, in quibus rectè dicis fratri, porto tecum, aut porto pro te. &c.]

To. 10. Ser. 22. de verb. Apost.

Onera alia quis solus portat, alia ab altero adjutus.

10 Et plausibilior inde conceptus, unde inter duas sententias evidentior ratio dubitandi, & resolvendi modus inopinatior. Verba ideò Christi Servatoris Ligno pendentis ad Patrem: *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*; ingeniosè ab Arnoldo Carnutense ponderantur, ad Christum convertente sermonem: [*Ideò dimittendum censes, quia admissum ignoranter, ipse testaris. Ubi est illud, quod dixeras priùs: Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem, & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum? ...... Quis ignorantiæ locus erat, cum ipsis inquirentibus quomodò literas nosses, quas non didiceras: hoc ipsum Divinæ Sapientiæ documentum esset, quod Te, quem in Scholis suis nunquàm elementarium viderant, eruditum in Lege probarent? ...... Et tamen Christus, nescire eos quid agant, affirmat; ideoque pro errore eorum, & cæcitate obnixè supplicat Patri ...... Nec Ratio, nec Doctrina in culpa erant, quæ utique non deerant: sed dum multo impendio temporis supervacua quæruntur: malum inolitum in ipsis visceribus sedens, medicantem non admittebant manum: ideoque, quia se ægrotare nesciebant, sanitatis contemnebant subsidia. Neque aliquid ipsa luce oculis malignis erat infestius, demissisque palpebris, & complosis in arctum, violenter sibi cæcitatem imprimebant: usqueadeò in hoc malo voluntarii, ut voluntas consuetudinem, & consuetudo faceret necessitatem: necessitas verò usque ad illam vecordiam erumperet, ut nescirent quid facerent. Hæc erat illa animi crassitudo, quam Esaias Populo Judæorum improperat, per quam in hanc hebetudinem venerant, ut videntes non viderent, & audientes non audirent:

Luc. 23.

Tract. 5. de Verb. Dom. in Cruc.

Joan. 15.

* Apostrophe. Figura.

Cōsuetudo pravi inducit mali necessitatem.

Judæorum excæcatio.

rent: quia, exasperantes animos dignum erat in propriis sensibus confundi: & qui abutebantur Justitiæ documentis, & Veritatis radios abhorrebant: abdicati à Naturæ, & Gratiæ luce, in cæcitate sua tabescerent, & haberent intrà se fumosas exhalationes, quæ totum candorem intellectuum, & sensuum denigrarent.]

11 Quandoque duæ sententiæ ab eodem prolatæ, non differre videntur: quod si foret; respectu eorum de quibus proferuntur, ratione careret. Sic Christus Senioribus Judæorum dixerat: *Quò ego vado, vos non potestis venire*. Et Discipulis quidem similia dixit: *Quæretis me, & sicut dixi Judæis: quò ego vado, vos non potestis venire*. Eadem verborum extrinsecùs significatio, sed non eadem dicentis intentio: quæ manifestatur tùm ex diversa conditione personarum, ad quas dirigebantur: tùm ex adjuncto tempore, quo non possent Apostoli venire. In priori loco Judæos arguit pravo corde quærentes: in posteriori amicis præsentiam differt, aliquandò cumulatiùs exhibendam. Hinc *Augustinus*: [Bonum est enim quærere animam Christi, sed quomodò eam quæsierunt Discipuli: & malum est quærere animam Christi, sed quomodò eam Judæi quæsierunt: *Illi ut haberent, isti ut perderent*.] Et mox: [Deindè adjunxit: Quò ego vado, vos non potestis venire. Hoc, & Discipulis suis alio loco dixit; nec tamen eis dixit: In peccato vestro moriemini, sed: quò ego vado, vos non potestis venire *modò*: *non abstulit spem, sed prædixit dilationem*.]

Joan. 8.

Joan. 13.

Christum quære cum Discipulis, non cum Pharisæis.

Tract. 38. in Joan.

SECTIO VIII.

Ex diversa Translatione, ex Dicti, aut Facti novitate, & ex Circumstantiis.

1 Diversæ ejusdem sententiæ Versiones adaugent conceptuum ubertatem, cujus pauca tangemus, quamplurima passim occurrent exempla. Nam illud Psalmi: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, legit *Ambrosius*: *Torrentem voluptatis*, cujus rationem subdit: [Diximus sensum, etiam eloquutionem consideremus: Cur *torrentem* voluptatis, dixerit, potabis eos, & non, *torrente*, quasi de torrente: nisi quia aviditatem bibentium voluit exprimere: quasi torrentem ipsum vellent ebibere,

In Psal. 35.

Beatorum in satietate felix desiderium.

In Psal. 37. si potuissent.] Et illud: *Quoniam sequebar bonitatem* vertens: quoniam *subsequutus sum* justitiam, dignam addit ponderationem: [Quanta vis verbi in unius syllabæ adjectione, ut *subsequutum se* diceret justitiam, & non, sequutum! Propior est enim qui *subsequitur*, quàm ille, qui *sequitur*.]

2 Ejusdem *Ambrosii* nobilis illa reflexio est, verba Psalmistæ: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, sic legentis: *Exitu* aquarum * *descenderunt* oculi mei; & consideratio- (* *Emphasis in verbo. Figura.*) nem subjungit: (In Psalm. 118. Conc. 17.) [Granditer affectum pœnitentiam gerentis expressit, dicens, quod aquarnm *decursu* oculi sui *descenderint*. Sivè quia per eos, tanquàm per meatus undantium fluentorum, ita exuberantium lachrymarum se quidam ductus effuderit, & fletus irrigui per continuum quoddam, & juge profluvium. Sivè quod ipsi *descenderint* oculi: Habet enim hoc vis summi doloris, ut cum lachrymis oculi quodammodò ipsi videantur descendere: eoquòd tanta vis lachrymarum sit, ut putentur oculi in fletus resolvi, & in lachrymas effundi.] (Pœnitētiæ grandis affectus.)

3 Insuper pro conceptu formando multùm facit reflectere super aliquod Divinum Præceptum, an quid mysticum occultet sub cortice, & ex ejus novitate vivacitas conceptûs resultat. (Deuter. 22.) Illud enim præceptum: *Non indueris vestimento, quod de lana, linoque contextum est*, non videtur aliquam habere rationem. Unde *D. Thomas*: (1. 2. q. 102. a. 1. ad 1.) [Observantiæ Veteris Legis possunt dici sine ratione quantùm ad hoc, quod ipsa facta in sui natura rationem non habebant, putà quod vestis non conficeretur ex lana, & lino. Poterant tamen habere rationem ex ordine ad aliud: inquantùm scilicèt vel aliquid per hoc figurabatur, vel aliquid excludebatur.] (Veteris Legis observantiæ aliquæ rationem habebant ex ordine ad aliud.) Hoc autem præceptum *Gregorius* tropologicè exponens, ait: (Lib. 8. Mor. cap. 3.) [Per lanam quippè simplicitas, per linum subtilitas designatur. Ea nimirùm vestis, quæ ex lana, linoque conficitur, linum interiùs celat, lanam exteriùs demonstrat. Vestem verò ex lana, linoque contextam induit, qui in loquutione, vel actione, qua utitur, intùs subtilitatem malitiæ operit, & simplicitatem innocentiæ foris ostendit.] (Vestis ex lana, & lino, versuti typus.)

4 Dei quoque verba punitionis sententiam in Serpentem exprimentia *Chrysostomus* expendens ait: (Hom. de laud. Cruc.) [Quam ob causam tali maledictione percutit Serpentem, per quam super pectus, ac ventrem graderetur, terramque ederet cunctis diebus vitæ suæ? Hac nimirùm ratione pectori maledixit, quia in eo sedes erat cordis, quod Serpenti fuit mali totius (Serpens cur super pectus gradiatur.)

tius adversùs Progenitores nostros concepti domicilium.; Ventri autem maledixit: quia prætensâ escæ illecebrâ, utrumque pertraxit in præcipitium inobedientiæ.] Et *Hieronymus* præceptum illud considerat Dei ad Isaiam:[Vade, & tolle saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis, & fecit sic vadens nudus, & discalceatus. Non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius judicans, quàm obedire Præceptis Divinis.]

Nihil honestius, quàm obedire Divinis mandatis.

Isa. 20.

5 Eamdem conceptuum ubertatem affert novitas gestorum, quorum in Sacris Scripturis copia est. Insolitum quid habet cursus duorum Apostolorum ad sepulchrum in Evangelio: *Currebant autem duo simùl: & ille alius Discipulus præcucurrit citiùs Petro,& venit prior ad monumentum.* Ad quæ verba *Gregorius*: [Quid Fratres, quid cursus iste significat? Numquid hæc tàm subtilis Evangelistæ descriptio à mysteriis vacare credenda est? Minimè. Quid ergo per Joannem, nisi Synagoga: quid per Petrum, nisi præsens Ecclesia designatur? &c.] Et illud: *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec,* novitate non caret: Josve namque in inferioribus pugnante, & Moyse orante in cacumine montis, ex hujus tamen manibus extensis in Crucis modum, victoria pendebat, referante mysterium *Tertulliano*: [Quid Moyses, cùm Jesus adversùs Amalec præliabatur, extensis manibus orabat residens, quando in rebus tàm attonitis magìs utique genibus positis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutata, orationem commendare debuisset: nisi quia illìc ubi *Nomen Jesu* dimicabat, dimicaturis quandoque adversùs Diabolum, *Crucis habitus* quoque erat necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus?]

Petrus, & Joannes typi Synagogæ, & Ecclesiæ.

Joan. 20.

Hom. 22. in Evang.

Exod. 17.

Moysi orantis extensis manibus, & Josve victoris mysterium.

Lib. cont. Judæos cap. 10.

6 Heliam fugientem propter minas Jezabel admirans *Gregorius* exponens verba Job: Et aquas appendit in mensura, ait. [Hinc est enim, quod Helias dum tot Virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jezabel postmodùm, quamvìs Reginam, tamen mulierculam, fugit. Perpendo quippè hunc miræ Virtutis Virum ignem de Cœlo trahere,& secundò quinquagenarios cum suis omnibus petitione subita concremare, verbo Cœlos à pluviis claudere,verbo Cœlos ad pluvias aperire,suscitantem mortuos, ventura quoque prævidentem. Et ecce rursùs animo occurrit,quo pavore ante unam mulierculam fugerit.Considero Virum timore perculsum, de manu Dei mortem pete-

Lib. 19. Moral. cap. 5.

Helias tot virtutibus mirandus, Fœminam fugiēs propriam declarat infirmitatem.

te-

tere, nec accipere: de manu mulieris mortem, fugiendo, vitare. Quærebat enim mortem dum fugeret, dicens: sufficit mihi, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm Patres mei. Unde ergo sic poterat, ut tot illas virtutes faciat? Unde sic infirmus, ut ita Fœminam pertimescat, nisi quia aquæ appenduntur in mensura: ut ipsi Sancti Dei homines, & multum valeant per potentiam Dei, & rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam? In illis virtutibus Helias quid à Deo acceperat: in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat. Illa potentia Virtus fuit: ista infirmitas custos Virtutis.]

7 Ex gestorum circumstantiis plures eruuntur conceptus, quas non iterùm recenseam, uno vel altero exemplo adducto. Ex circumstantia Temporis *Ambrosius* majorem explicat Orbis cruciatum in abundantiæ spe, diluvii aquis absorpti: [Est etiam illa non perfunctoria consideratio, quod sexcentesimo anno Noë, vicesima, & septima mensis fit diluvium. Secundum mensem, verni esse temporis non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter, atque animantium fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluvium, quando dolor eorum major foret, qui in sua abundantia puniebantur. Tunc ultio terribilior, tanquàm dicentis Dei: * Ecce omnia, secundùm liberalitatis Divinæ Providentiæ gratiam dives Natura generavit: omnia in usum hominum germinavit terra fœcundior: segetes spectantur: tritico, & hordeo campi replentur: *comæ arborum venturi fructûs floribus vestiuntur: non deest terra obsequiis suis, non bestiæ desunt muneribus suis, quæ solemnes solvuntur in partus, ut homini nihil desit. Homo solus partubus suis deest: nescit Authorem suum, a quo ei omnia ministrantur, negligit Conditorem. Despicit homo remuneratorem suum, cum Deus opus suum non despexerit. Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia, &c.]

Libro de Noë, & Arca cap. 14.

Diluvium ingruens cum terra inciperet suos fœtus emittere.

* *Prosopopeja Figura.*

* *Metaphora.*

Hominis ingratitudo in Deum.

8 Temporis circumstantiam considerat *Chrysostomus* cum immediatè post narratam unguenti effusionem super caput Christi recumbentis in domo Pharisæi a Maria Magdalena factam subditur: *Tunc abiit unus de duodecim*; Inde colligens Proditoris improbitatem abutentis tantâ Divinæ Misericordiæ affluentiâ erga mulierem, magìsque in sua malitia obfirmati: [Quid igitur *tunc* est? Quando Prostituta lupanar exivit, *tunc* Discipulus gehennam intravit. Quando illa mercedem sui corporis abdicavit: *tunc* iste pretium Magistri sanguinis postulabat. Ideo dixit: *Tunc*, ut

Matth. 26.

Hom. de Prod. Judæ.

Obstinatus, pœnitentium exemplis, & Divinæ misericordiæ ostentis, non movetur.

non

non Magistri infirmitatem accuses, quando Discipulum reperis proditorem.] *Arnoldus* autem Carnutensis, loquens de Sancti Latronis conversione: [Vide *horam*, nota *Personam*. Ultima hora, peccatrix persona. Multa, & antiqua peccata illicò abolet Gratia, nec præcessit mora temporis, indulgentia limat, corroditque culpæ rubiginem. Sed ubi repentè facto cœlitùs sono, Spiritus Sanctus illabitur, quidquid immaduerat peccati tabe, siccatur: nec superest ullum fœditatis vestigium vulneri, quod Misericordiæ abluit lavacrum.]

S. Latronis subita conversio.

Tract. 2. de sept. verb. Dom. in Cruce.

9 Modus etiam actionis, aut passionis consideratus, conceptum ministrare potest. Quemadmodùm *Gregorius* modum perpendit, quo Electi, & Reprobi cadere in Scriptura perhibentur: [Sed quærendum nobis est, cur Ezechiel, & Paulus in faciem cadunt: & de ascensore equi, idest de eo, qui in hujus Mundi gloria elatus est, dicitur: ut cadat ascensor ejus retro? Rursùmque de persequutoribus Domini scriptum est: abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. Quid est hoc, quod Electi in faciem, & Reprobi retrorsùm cadunt: nisi quòd omnis, qui post se cadit, ibi proculdubiò cadit, ubi non videt: qui verò ante se ceciderit, ibi cadit, ubi videt? Iniqui ergo quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur: quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequatur, modò videre non possunt. Justi verò quia in istis visibilibus semetipsos spontè dejiciunt, ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt: quia timore compuncti, videntes humiliantur.] Et alibi idem explicans: [In faciem enim cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere. Retro verò, quò non videtur, cadere, est ex hac vita repentè decedere, & ad quæ supplicia ducatur, ignorare.] Tandem *Isidorus Pelusiota* in vocatione Simonis, & Andreæ, notat circumstantiam, quod fuerunt simùl vocati: [Eaque de causa Discipuli quoque illi, qui priùs ab eo vocati sunt, duo fratres extiterunt. Ex quo statìm per ipsa initia Sapientissimus Salvator illud indicavit, se Discipulos omnes suos fraterno amore copulari velle.]

Cadere in faciem, & cadere retrorsùm.

Justorum, & Iniquorum.

Pœnitentium, & Reproborum.

Charitas mutua Discipulorum Christi.

Hom. 9. in Ezech. post ini.

Genes. 49.

Joan. 18.

Lib. 31. Mor. cap. 10. fi.

Epist. 10.

10 Et circà hanc circumstantiam aliud *D. Thomas* advertit in Sensu Morali, respiciens ad subsequentia verba: *Et procedens indè, vidit alios duos Fratres*: [Nota quod a principio vocavit Fratres, & Fratres: & quamvìs multos alios vocavit, tamen de istis specialiter fit mentio, quia præcipui erant, & quia binos vocavit eos. Lex enim Nova in

In cap. 4. Matth.

in Charitate fundatur. Unde,& in Veteri Testamento duos Fratres vocavit, Aaron, & Moysen: quia etiam ibi dabatur mandatum de Charitate. Et quia perfectior est Nova, ideo in principio vocatur duplex numerus Fratrum. Per istos quatuor designatur doctrina quatuor Evangeliorum; vel quatuor Virtutes: quia per Petrum, qui interpretatur Agnoscens, Virtus Prudentiæ: Per Andream, qui interpretatur Fortitudo, Virtus Fortitudinis: Per Jacobum, qui interpretatur Supplantator, Virtus Justitiæ: Per Joannem propter Virginitatem, Virtus Temperantiæ.]

Lex Nova Veteri perfectior.

Virtutes Cardinales significatæ per quatuor Fratres à Christo vocatos.

SECTIO IX.

Excursus in eos, qui Sacræ Scripturæ abusu delinquunt.

1 Non illum hic pungimus abusum, quo nonnulli Concionatores superfluis, vanis, & Asiaticæ pompæ ornatibus facta in Divinis Scripturis narrata deornant. Sufficit enim illos *Ambrosii* verbis præmonere: [Ac per hoc gloriam suam quærit, qui Fidem Christi verbis exornare vult: obscurat enim illam splendore verborum, non ut illa, sed ut ipse laudetur. Sicut, & Pseudo-Apostoli, nè stulti viderentur prudentibus Mundi, in Sapientia hominum Christum prædicabant duplici genere, ut, & Eloquentiæ studerent, & ea, quæ Mundus in nobis stulta judicat, evitarent.]

In 1. ad Cor. cap. 1.

Sacer Orator gloriam suam quærens.

Pseudo-Apostolis similis.

2 Eum tamen nunquàm sufficienter deplorare possumus Sacræ Scripturæ abusum, quem idem indicat *Ambrosius* citatus ad expositionis initium, loquens de Pseudo-Apostolis prædicantibus tempore Pauli: [Multæ enim Sectæ emerserant, quæ Evangelium Christi *pro Sensûs sui arbitrio* asserebant: ex quibus *rami aridi extant nuncusque*, quarum assertores Ecclesias evertebant.] Hoc malo utinam Deus neminem permiserit occupatum, & protestari quisque posset cum *Tertulliano*: [Malumus in Scripturis *minùs* si fortè sapere, quàm *contrà*.] Credibile nè inveniri Divini Verbi Satores, qui in agro Ecclesiæ bono semini superseminent zizania? Quibus satis non sit, ad proprium, quandoque evanidum sensum Scripturas violenter pertrahere: nisi etiam verba, sententias Divinorum Codicum, imprudenter,

Ibid.

Lib. de Pudic. cap. 9.

Sacram Scripturam pro arbitrio tractantes, infectæ stipitis rami aridi.

ter, ineptè, multotiès infantiliter suis phantasiis accommodent: & quid dici ampliùs potest? impudentissimâ arbitrii licentiâ Sacra Eloquia immutent, distrahant,& multipliciter Altissimi Sermones deturpent: ut non ipsi Spiritûs Sancti Idiomate loquantur; Sed Dei Sapientiam in Sacris Literis eloquentem, eorum barbarismis, & ineptiis balbutire, dimidiato sæpè sermone, cogant?

3 S qui hujus sunt temeritatis, a *Nazianzeno* non suprà meritum appellarentur: [Sacrilegi homines, *Literam depradantes*, ac Scripturæ sensum *suffurantes*, imperitum Vulgus ad suas partes trahunt.] De eis ausûs notarer, si Apostolum affirmarem dicentem: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes Verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coràm Deo, in Christo loquimur.* Quibus innuit, & defectum in prædicatione, & debitum modum proponendi Verbum Dei, exponente *D. Thoma*: [Unde dicit: Non sumus sicut plurimi, scilicèt Pseudo, *adulterantes* Verbum Dei, admiscendo contraria...... Item non adulterantes Verbum Dei, ideſt prædicantes vel propter quæstum, vel propter favorem laudis..... Et ideo subjungit:sed ex sinceritate, ideſt sincera intentione: non pro quæstu, & *sine admixtione corruptionis.* Ponit autem triplicem rationem hujus *sinceritatis.* Prima ratio sumitur ex dignitate Mittentis: Nuntium enim Veritatis decet vera loqui. Et ideo dicit: *Ex Deo*, ideſt illa sinceritate, quæ eſt digna nuntiatio Dei. 1.Pet.4: Si quis loquitur, quasi Sermones Dei. Secunda sumitur ex authoritate Præsidentis, cui adstat, ideo dicit: *Coràm Deo*, coràm quo ex sinceritate loqui debemus. 3.Reg.17: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. Tertia sumitur ex dignitate materiæ, de qua loquitur: nam prædicatio Apostolorum eſt de Christo, & ideo debet esse sincera, sicut, & ipse Deus, & Christus,& ideo dicit: in Christo.]

Literam depradantes. — *Orat. 4. Theol. ini.* — *2.Cor. 2.* — *Ibid. lect. 3. fi.* — *Sacrum Oratorem vera loqui decet.*

4 Quæ authoritas cum altera ex Nazianzeno producta concordans, Pseudo-Concionatores arguit nedùm adulterii, sed furti, dùm, & verba subtrahunt, & sensum pervertunt, unde provenit,& Veritatis turbatio, & animarum seductio. Ideoque *D.Thomas* in illud: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas,* ait: [Spirituale furtum eſt, quando ex verbis Sacræ Scripturæ depravator furatur verum intellectum, & tu consentiens curris cum eo. Hierem. 23: Ecce ego ad Prophætas, qui furantur verba mea. Adulterium spirituale eſt, quando verba retorquentur in alium sensum, vel ad alium finem, putà

Psal. 49. — *D. Thom. ibid.* — *Furti arguitur Sacræ Scripturæ depravator.*

putà si prædicet ad lucrum, vel seductionem. 1.Cor.2:Non sumus, sicut plurimi,adulterantes Verbum Dei.] Concutit adulterantes Verbum Dei pondere plena authoritas *Augustini* loquentis de hujusmodi arbitrario sensu, quo Divina Scriptura profertur. [Corrigendus est tamen, & quàm sit utile viam non deserere demonstrandum est, nè consuetudine deviandi, etiam in transversum, aut perversum ire cogatur. Asserendo enim temerè, quod ille non sensit,quem legit, plerùmque incurrit in alia, quæ illi sententiæ contexere nequeat. Quæ si vera, & certa esse consentit, illud non possit verum esse, quod senserat. Fitque in eo, nescio quo modo, *ut amando sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse, quàm sibi.* Quod malum si serpere siverit, evertetur in eo: Per Fidem enim ambulamus, & non per speciem: *Titubavit autem Fides, si Divinarum Scripturarum vacillet authoritas. &c.*]

Lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 36.

Illi injurius, & ad titubandum in Fide dispositus.

5 Audaciam non absimilem in quibusdam notavit *Augustinus*: [Cum ergo præfiguraret quosdam tales futuros Dominus in Ecclesia sua,quid ait? Scribæ,& Pharisæi super Cathedram Moysi sedent:quæ dicunt, facite,sed quæ faciunt, facere nolite. Quando illud audiunt Clerici mali, quòd in ipsos dicitur, volunt *pervertere* istam sententiam: numquid non, si illis liceret, *delerent* illam de Evangelio? Quia verò *delere* illam non possunt,*pervertere* illam quærunt.Sed adest Domini gratia, & misericordia, nec sinit eos facere: quia circumsepsit Veritate sua omnes sententias suas, & libravit: ut quisquis inde *aliquid præcidere* voluerit, aut inducere malè, *malè legendo, vel interpretando*: ille, qui cor habet, *quod præcisum est* jungat Scripturæ, & legat superiora, vel inferiora, & inveniet Sensum, quem volebat ille malè interpretari.]

Ser. 49. de Verb. Dom. to. 10.

Delendo, pervertendo.

Malè legendo, vel interpretando.

6 In tàm detestabile vitium Sacræ Scripturæ Corruptorum, Divinas sententias vel sibi non faventes, vel libidini propriarum excogitationum servire abnuentes, violentissimè distrahentium, verbis mutatis, ablatis, transpositis, adjunctis plusquàm Poëticâ licentiâ, horrescit manus ipsa *Tertullianicum* telum contorquere, quo Aphricanus Magister Hermogenem transfixit,Scripturæ verbis abutentem ad probandam Materiam Deo, ut fingebat, coëvam: [Bis falsarius, & cauterio, & stylo: totus adulter, & prædicationis,& carnis.] Cauterio quidem in eo,quod Bibliorum Libros, superinductis proprii cerebri notis, vel detractis eorum verbis, stigmatizaverat. Stylo autem: quia, ut som-

Verbis mutatis, transpositis, adjunctis.

Lib. adver. Hermog. cap. 1.

nia sua probaret,& Scripturæ linguâ loqui videretur, scriptis suis verba, quæ Scripturæ falsò attribuerat, inserebat. Utrumque flammæ exurentis luce dignissimum: & ea proferre tanquàm Dei testimonia, de quibus Dominus protestatur: *Nec loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum*: & ea fraudulenter dissimulare, quæ voluit Dominus omnibus patefieri. Per utrumque vitium, spiritus mendacii sathanicâ vafricie Spiritum Veritatis mentitur, & rectè dixerat *Tertullianus*: [Tantum Veritati obstrepit *adulter* Sensus, quantum & *corruptor* stylus. Variæ præsumptiones: necessariò *nolunt* agnoscere ea, per quæ *revincuntur*: his nituntur, quæ *ex falso composuerunt*, & quæ de ambiguitate cœperunt.]

Hierem. 19.

Adultero Sensu, & stylo corruptore.

Lib. de Præscript. adver. Hær. cap. 17.

7 Contrà hanc plurium corruptelam, & periculi plenam audaciam, qui justo ardentiùs fortasse nos invehi censeat, judicium suspiciat Magni Pontificis *Gregorii*, illos in falsorum Prophætarum cuneum referentis:[In eo,quod Dominus Prophætæ dixit: loqueris verba mea ad eos: quid aliud, quàm ejus ori *frænum moderaminis* imponit,nè quæ priùs intùs non audierit, forìs dicere præsumat? Nam Prophætæ falsi *sua*, *& non Dei verba* loquebantur, de quibus scriptum est: nolite audire verba Prophætarum, qui prophætant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Et rursùm: Non loquebar ad eos, & ipsi prophætabant. Qua ex re quoque colligendum est: quia, & quisquis Expositor in explanatione Sacri Eloquii,*ut fortassè Auditoribus placeat,aliquid mentiendo componit,sua, & non Domini verba loquitur*.]

Hom. 10. in Ezech.

Loquens sua, & non Dei verba.

Hier. 23.

Ibid.

8 Imminet illis judicium Domini, quemadmodùm, & eis, qui Sacræ Scripturæ verba dictis Gentilium associant eâdem periodo, aut carmine, & Sacramenta Cœlestia ethnicum quid sonare compellunt.Prophæticos Threnos,Æneæ quærelis aptant: ac Tragœdiarum cothurnatis facinoribus vilescere sinunt Divina Mysteria tristem exitum in Canonicis Historiis narrantia. Nec dissimulat Dominus innovare exempla suppliciorum anteactis Sæculis inflictorum hujusmodi amphibia loquutione dicacibus, loquentibus ex media parte Azoticè,& ex media Judaicè. Unde ex Eusebio refert Noster Segobiensis: Theopompum Rhetorem, & Theodotum Poëtam, Ptolæmei Regis (cujus rogatu Translatio LXXII. peracta est) ætati viciniores, cum ille Atticæ Palladi, hic Sæcularibus Musis Divinam Sapientiam fecissent obnoxiam: alterum oculis captum, alterum paralysi

Taxantur qui verba Sacræ Scripturæ Gentiliũ sententiis sociãt.

2. Esdr. 13.

Formidãda punitio duorum Gẽtilium Sacra verba usurpantium.

Euseb. lib. de Præpar. Evang. cap. 8.

Segob. lib. 2. cap. 5.

ſi percuſſum, eouſque plagâ perſeverante, quo Cœleſti inſomnis monito paruere: nè res Divinas humanæ Artis lænocinio inquinatas hominibus traderent: nevè Poëtico ſtylo Sacrorum Vatum ſcripta in tumidos Tragœdorum rhythmos irreligiosè redigerent.

9 Horum ſimiles graviter vituperat *Hieronymus*, illos videlicet: [Qui ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia. Quaſi Grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi Genus, *depravare ſententias*, & ad voluntatem ſuam, Scripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homæro-centonas, & Virgilio-centonas; ac non ſic etiam *Maronem ſine Chriſto* poſſimus dicere *Chriſtianum*, quia ſcripſerit: Jam redit, & Virgo, redeunt Saturnia Regna: Jam nova progenies Cœlo demittitur alto. Et Patrem loquentem ad Filium: Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus. Et poſt, verba Salvatoris in Cruce: Talia præſtabat memorans, fixuſque manebat. *Puerilia ſunt hæc*, & Circulatorum ludó ſimilia docere quod ignores: imò, ut cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire, quod neſcias.] Unde ſivè abuti Scripturæ verbis ad prophana, ſivè prophanis ad Sacræ Scripturæ arcana promenda, utrumque vix non Sacrilegium ſapit.

Epiſt. ad Paulin. S. Bibliis præfixa.

Vitioſum dicendi Genus, ad Voluntatem ſuam trahere Scripturam repugnantem.

CAPUT VIII.

De Uſu Fabularum, & Eruditionum Sæcularis Literaturæ.

SECTIO I.

Fabularum ſuperfluus uſus in Concionibus.

1 On mediocre hujus Sæculi malum, in eam incidiſſe miſeriam, cujus præmonitum voluit Paulus Timotheum: *Erit enim tempus, cum ſanam Doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & a Veritate quidem auditum avertent, ad Fabulas autem convertentur.* An verò frequentem

2. Ad Tim. cap. 4.

Fabularũ copia in Sacris Concionibus.

tem Fabularum in concionibus usum vanitas Oratorum intruserit: an extorserit curiositas Auditorum, me certè clàm est. Nisi affirmare velimus, illos immodicâ ostentatitiæ Facultatis prurugine: hos intemperanti aurium salacitate, purissimum Sacræ Prædicationis Officium in profanam nugarum Histrionicam transformasse.

2 Equidem Oratores fallaciâ capti, ut Auditores, nil quod in concione desiderare possint agnoscentes, aliò aurem non divertant; sed fabularum illecebris allecti gravioribus facilè intendant: per omnem ferè periodum has vanitates dispergũt. Auditores fastidio Verbi Dei distenti, nauseant etiam super manna, nisi habeat omnis terreni saporis suavitatem, & vermibus scateat poëticæ corruptelæ. Unde benè dixit Apostolus: *Sanam Doctrinam non sustinebunt*; velùt enim ad Equuleum damnati, se tormentum substinere testantur, si concio gravis tota Scripturis, & Patrum authoritatibus constet, nihilque contineat, quod ipsi vocant amœnitatis oblectamentum, sed verè est irritamentum vanitatis.

Ex culpa Auditorum gravia fastidientium.

3 Hinc *D.Thomas* ad relata Apostoli verba: [Unde dicit: *non sustinebunt*, idest erit eis odiosa vestra doctrina, scilicèt Christi. Prov: Justi sunt omnes Sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. Alia perversitas: quia volunt inordinatè audire curiosa, & noxia. Prov. 1: Usquequò parvuli diligitis infantiam: & stulti ea, quæ sunt sibi noxia cupient: & imprudentes odibunt scientiam? Et ideo dicit: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, scilicèt Auditores. Pruritum dicitur habere in pedibus, qui non vult quiescere: in auribus verò qui semper audire vult nova, inaudita, curiosa, & quandoque noxia. Actor. 17: Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut discere, aut audire aliquid novi. Consequenter cum dicit: & à veritate, exponit dictum. Et primò exponit quod dixerat, quod sanam Doctrinam non substinent, cum dicit: à veritate auditum avertent. Sana Doctrina est, quando non habet admixtam falsitatem; ergo sanam Doctrinam non substinent, dum veritatem nolunt audire . . . . . Ad fabulas autem convertentur: Fabula est composita ex miris, *in quibus deficit veritas*: & talia homines habentes in auribus pruritum volunt audire. 1.Tim.4: Ineptas, & inanes fabulas devita.]

In 2. ad Tim.4. lect. 1. post me.

Novis inhiantium.

Fabula quid sit,

4 Magistri verò prurientes Auditorum auribus sunt, ut notat *Chrysostomus*: [Voluptatis gratiâ loquentes, & auditum oblectantes.] Quod longè esse à Sacris Concionatoribus

Et ex culpa Oratorum.

Hom. 9. in 2. ad Tim.

bus vult Paulus verbis postremò relatis: Ineptas, & inanes fabulas devita. Ubi *D.Thomas*: [Ostendit quid vitandum sit, (*Concionatori*) quia fabulæ ineptæ, & inanes. Fabula enim, secundùm Philosophum, est composita ex miris: & fuerunt in principio inventæ, ut dicit Philosophus in Poëtria, quia intentio hominum erat, ut inducerent ad acquirendum Virtutes, & vitandum vitia: Simplices autem meliùs inducuntur repræsentationibus, quàm rationibus. Unde in miro benè repræsentato videtur delectatio, quia Ratio delectatur in collatione. Et sicut repræsentatio in factis est delectabilis, ita repræsentatio in verbis: & hoc est fabula, scilicèt Dictum, aliquod repræsentans, & repræsentando movens ad aliquid. Antiqui enim habebant aliquas fabulas accommodatas aliquibus veris, qui veritatem occultabant in fabulis. Duo ergo sunt in fabula: quod scilicèt contineat verum sensum, & repræsentet aliquid utile: item quod conveniat illi veritati. Si ergo proponatur fabula, quæ non potest repræsentare aliquam veritatem, est inanis: sed quæ non propriè repræsentat, est inepta; sicut fabulæ de Thalmuth.]

Lect. 2. prope med.

Fabulæ ad quid inventæ.

5 De his igitur fabulis ineptis, vanis, falsis, Poëticæ Phantasiæ figmentis hìc sermo est, quæ aurium vellicatione cauteriatam relinquunt conscientiam in Oratore, & Auditore: cognata enim sunt: & audire quæ placent, & dicere quæ delectant: Utinàm his, qui hujusmodi vanitatibus student ad concionem ventoso tumore inflandam, non alluderet quod dicit Dominus per Hieremiam: *Prophetæ fuerunt in ventum loquuti, & responsum non fuit in eis. Hæc ergo evenient illis.* Quod exponit *D.Thomas*: [Fuerunt in ventum, idest in vanum loquuti: & responsum, scilicèt Divinum, non fuit in eis.] Quantùm quippè fabulosis narrationibus Oratio redundat, tantùm Divinis Eloquiis egena sit oportet, ut modus ejus, & quantitas ultrà mensuram non excrescat.

Vanis fabulis utentes, in ventum loquuntur.

Hierem. cap. 5.

D. Thom. ibid.

6 Tenentur itaque illi, quorum interest ex proprio munere, Concionatores in talia procliviores, injecto correptionis fræno retinere: & si opus sit, severiori animadversione, velùt Prophætici Seraphim ignito calculo, linguam inurere polluta labia habentium: Imò, & alii publicæ existimationis Viri, hujusmodi Pseudo-Rhetores saltem admonere debent muneris sui: in mentem reducere, à Poëta Oratorem differre: Justitias Dei enarrantem, inventis hominum non insanire.

Isa. 6.

7 Sed quid dico, si talibus Atticas Noctuas ad plenum Evan-

Evangelii Solem trahentibus, ipsæ etiam Christianæ Sapientiæ Aquilæ plaudunt: & per fabellarum inanitates evanescentibus, à plebe, ab eruditis resonat Acclamatio illa: *Philosophicè*, cum opportunior esset: *Poëticè*, & aptissima: *Ineptissimè*? Alii enim videri volunt in his periti: alii, qui sunt, Platanum, vel Laurum juxta Crucem affectant, & Suggestum Ecclesiæ versum in Exedram Academiæ. Hinc idem subdit Prophæta: *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & Populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo ejus?*

Quibus tamen inepiè plauditur.

Hierem. 5.

8 Audiendus super hæc verba D. *Thomas*: [Hic arguit perversitatem Doctrinæ. Et primò ponit *admirabilem culpam*: *stupor*, idest stupenda res. Prophætæ prophætabant mendacium, quorum erat veritatem docere. Et Sacerdotes applaudebant, consentientes mendaciis, *quorum erat Prophetas corrigere* . . . . Et populus meus dilexit talia. Eccl.10: Qualis Rector Civitatis, tales, & inhabitantes in ea. Secundò innuit admirabilem pœnam: Quid igitur in novissimo? scilicèt captivitatis, vel *mortis*. Esa.27: In mensura contrà mensuram, cum adjecta fuerit, judicabit eam.]

D. Thom. ibid.

Sed punitio reservatur.

9 Certè timendum Divinum in morte judicium: admirabili enim, idest magnæ culpæ, admirabilis pœna respondet. An verò levis culpa, ex qua sequitur Evangelii deturpatio, Divini Verbi neglectus, animarum pernicies? Veneris Iconem Romanis insculptam Rostris, Acta ferunt Sancti Ginesii Martyris. Inpudentiùs Christianis in Suggestis Venus nedùm effingitur, sed eloquitur, quo fructu? Equidem sicut Verba Scripturæ simpliciter prolata efficacia sunt ad convertendas animas: ita Poëticæ Phantasiæ auribus præsentatæ vim secùm ferunt quàmmaximam ad animas pervertendas. Vix enim fabula affertur, quæ ad libidinem, ad crudelitatem, ad injustitiam non permoveat. Nonnè ab his Oratoriæ Artis Nundinatoribus Angeli, Mercurii talaribus calceantur? Nonnè, & Deo ipsi Nostro Vero, Summo, Vivo, Altissimo, Terribili, & ei qui aufert Spiritum Principum, *Jovis*, idest fictitiæ Deitatis *Nomen, & fulmina* appinguntur? ut dementiora interìm probra, sub accommodatitii Sensûs larvâ, prætercam?

Licentia quorundam Oratorum in usu Fabularum.



SE-

SECTIO II.



Nimiùm Fabulis abutentes Sacri Oratores improbantur.

1  B his proindè exorbitantis ingenii excessibus abhorrentes cuperem Christianos Oratores, quibus concredita sunt Eloquia Dei, ut animarum lucra, non omnigenæ eruditionis, aut popularis plausûs auram negotientur. Quid enim in Catholico Declamatore indignius, quàm plenis labiis Gigantomachias, Mavortias strages, Numinum in Dardanico bello conflictus, & futilia ejus furfuris chimærica resonare? Hæccine Mundum Christo lucrifacient? Vulcani retè, homines Petrus piscabitur? Jovis aureo imbre, Ecclesiæ Segetes maturescent? Certè etsì ad quamlibet auditam fabulam, cor audientis in suspiria resolveretur: nescio an Domino acceptabilis esset ille fumus ascendens e thuribulo, quod Concionator implevit *igne alieno*. Qui igitur Apostolorum legunt vestigia, illis suppares in Prædicationis Officio, memoriâ non excidere permittant, quod scribit Apostolici Ordinis
2. Pet. 1. Princeps: *Non enim doctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini Nostri Jesu Christi Virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis*. Quod exponens
D. Thom. ibid. *D.Thomas* ait: [Dicit ergo: Non enim, ideò sum solicitus, quia magna res est, quam doceo. Non doctas fabulas, scilicèt doctrinas indignas, sequuti. Fabula est, ait Tullius, in qua *nec veræ, nec verisimiles res* narrantur. Tangit autem, & errorem Paganorum, secundùm fabulosas narrationes Deos sibi fingentium: & errores Hæreticorum, Scripturas Sanctas fabulosè interpretantium. 2. Tim. 4: A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Psal.118: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut Lex tua. Notam fecimus vobis, prædicando manifestè, non obscurè, vel parabolicè, Domini Nostri Jesu Christi Virtutem.] Fabula est, in qua nèc vera, nec verisimiles res narrantur.

Psal. 118. Com. 11. 2 Contrà hujusmodi, quas Psalmista, explicante Ambrosio, quasi fabulæ cujusdam nænias narratas sibi dicit Ἀδολεσχίας, hoc est superfluas loquacitates, extat detestantis *Augustini* querimonia: [Sed væ tibi flumen moris hu-

mani, quis resistet tibi? Quandiù non siccaberis? Quousquè volves Evæ filios in mare magnum,& formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint? Nonnè ego in te legi, *& Tonantem Jovem, & adulterantem*? Et ùtique non posset hæc duo: sed actum est, ut haberet authoritatem *ad imitandum* verum adulterium, *lenocinante* falso tonitruo. Quis autem penulatorum Magistrorum audit *aure sobria* ex eodem pulvere hominem clamantem, & dicentem: fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat? *Divina mallem ad nos* . . . . . . Et tamen o flumen tartareum! Jactantur in te filii hominum cum mercedibus, ut hoc discant: *& magna res agitur*, cùm hoc agitur *publicè* in foro, in conspectu Legum, super mercedem salaria decernentium: & saxa tua percutis, & sonas dicens: *hinc verba discuntur*, *hinc acquiritur Eloquentia*, rebus persuadendis, sententiisque explicandis maximè necessaria.

Lib. I. Confess. cap. 16.

Fabulis delectantur plurimi.

3 Et juvenilem hanc sui vanitatem memorans *Sanctus Pater*, ob quam sibi (ut evenit etiam Poëticis Oratoribus) acclamabatur, subdit: [Sine me Deus meus dicere aliquid, & de ingenio meo munere tuo, *in quibus à me deliramentis atterebatur*. Proponebatur enim mihi negotium animæ meæ satis inquietum, præmio laudis, & dedecoris, vel plagarum metu: ut dicerem verba Junonis irascentis, & dolentis, quod non posset Italiâ Teucrorum avertere Gentem, quæ nunquàm Junonem dixisse audieram: sed figmentorum Poëticorum vestigia errantes sequi cogebamur, & tale aliquid dicere solutis verbis, quale Poëta dixisset versibus. Et ille dicebat laudabiliùs, in quo pro dignitate adumbratæ Personæ, iræ ac doloris similior affectus eminebat, verbis sententias congruentes vestientibus. Ut quid mihi illud, o vera Vita mea Deus meus? Quid *mihi recitanti acclamabatur* præ multis coëtaneis, & conlectoribus meis? Nonnè ecce *illa omnia fumus, & ventus*? *Ita nè aliud non erat*, ubi exerceretur ingenium, & lingua mea? *Laudes tuæ Domine, laudes tuæ per Scripturas tuas* suspenderent palmitem cordis mei, & non raperetur *per inania nugarum*, turpis præda volatilibus. Non enim uno modo *sacrificatur* transgressoribus Angelis.]

Ibid. cap. 17.

Augustini querela de seipso fabulis erudito.

4 Verè. Æqualis quippe piaculi est, Arcam Fœderis in Templo Dagon collocare: (Scripturas ad fabulas amplificandas trahendo) & stare Abominationem Desolationis in Loco Sancto. (Fabulas ad Scripturarum intelligentiam applicando:) Salomonem Sydoniorum Diis incensa Domini ado-

1. Reg. 5.

Dan. 9.

3. Reg. 11. Levit. 10. adolere: & Nadab, & Abiu thuribulum Religionis implere igne alieno. Pro salute animarum, (potiore quàm corporum) non consulendus Astarten, cum sit Deus in Israël: & ad incendendum contriti cordis victimam invocandus non Baal; sed Deus Heliæ. Manum retraho, injuriâ abstineo, nè aliquid Idololatriæ his Poëtistis appingam. Sed nec Augustinus citatus huic notæ pepercit: nec ipsi, quibus inuritur, offendi putant, quod Parnassum Calvario, vix non dixerim, præhabeant. Sibi Sapientissimi, si Ovidianas omnes Metamorphoses calleant, & Apostolicarum Epistolarum etiam numerum ignorent. Divinè loqui opinantur, & censentur, si ad Concionem suam cum Virgilio, & Luciano universum advocent Deorum Senatum: quando *Augustinum* pœnituit, semel, & quidem per lusum, Musas Deas nuncupavisse. [In his libris (De Ordine) displicet mihi, quod *Musas*, quasi aliquas *Deas*, quamvìs *jocando*, commemoravi.]

Exaggeratur culpabilis fabularum nimius usus.

3. Reg. 14.

3. Reg. 18.

Lib. 1. Retract. cap. 3.

5 Isti verò Græcæ Fidei inventis jungunt Testimonium Domini Fidele Sapientiam præstans parvulis: fabularum adinventionibus Æternas sociant Veritates. Hoc utiquè est: Panes propositionis in Templi mensa locandos inficere fermento Pharisæorum: Ex diversis metallis Simulacra compingere, hôc illo, quod Nabuchodonosor somnio vidit, vaniora, quod lutum in capite elevatur nedùm auro commiscetur. Nituntur siquidem conciliare Deum, & Belial, fabulis Sacra Mysteria convestire. Super genas Hester spargunt Helenæ flores: obarmant pectus Deboræ Amazoniâ loricâ: Sampsonis gesta Herculeis signant laboribus: Aurea vellera Colchidis capiti Sponsæ Canticorum imponunt: confundunt Colubros Triptolemi, & Currum Tesbitis: Diluvia Noë, & Deucalionis: Miracula Moysis, & præstigia Magorum: Crucem ipsam super conglobatum fabularum imponunt. Væ qui non sinunt, Mortuos sepelire mortuos suos: sed diligunt Vanitatem, & aliis fiunt in scandalum. Plures namquè, sicut in Comico Theatro psallentem Davidem, vel lamentantem Agar in deserto pro puero animam agente, partes agere importunum ducunt: ita in Suggesto Ecclesiastico tàm prolixis narrationum circulationibus, Satyros Nimpharum speciem depereuntes, amatorias inanitates tenui modulantes avenâ: aut discerpti casum Adonidis Venerem fusis crinibus lachrymantem, audire stomacantur: quemadmodùm ut abominationes magnas, Prophætæ Deus ostendit, in Templo Domini Mulieres plangentes Adonidem.

Et importuna aptatio rebus sacris.

Ezech. 8.

SECTIO III.

In Scriptura nè, & Patribus usus reperiatur Fabularum?

1 PRæoccupare hìc placeat tacitam objectionem: Nempè nonnihil Sanctos Patres in Poëtarum atramentariis calamum intinxisse: idque se audere fassos Scripturarum exemplo. Quis enim ignoret quotiès in Sacris Literis Gigantum mentio fiat? Præsertìm cùm dicitur: *Ecce Gigantes gemunt sub aquis*. Et rursùm: *Morientes non vivant, Gigantes non resurgant*. Et post pauca: *Et terram Gigantum detrahes in ruinam*. Et alibì: *Nec filii Titan percusserunt eum: nec excelsi Gigantes imposuerunt se illi*. Sirenas Prophæta non tacuit: *Et respondebunt ibì ululæ in adibus ejus, & Sirenæ in delubris voluptatis*. Expresè etiam Poëticis vocabulis astra quædam in Scriptura memorantur; dicitur enim de Deo Creatore: *Qui facit Arcturum, & Orionas, & Hyades, & interiora Austri*.

Job. 26. — Isa. 26. — Judith.16. — Isai. 13. — Job. 9.

Voces in Scriptura, quæ ad fabularum significationem vergere videntur.

2 Perspicuè insupèr *Ambrosius*. [Et quìd *Hydræ* nominis, & *Scyllæ* Littoris comparationem induximus, ut ostenderemus: vel *rediviva* plantaria cavendæ perfidiæ: vel *famosa naufragia*? Si quis *contrà licitum* putat calorem disputationis ejusmodi *à Poëticis fabulis* derivatum: & cum in Fide nihil, quod vituperare possit, invenerit, aliquid *in sermone* reprehendit: agnoscat, *non solùm sententias, sed etiam versiculos Poëtarum Scripturis insertos Divinis*. Undè etiam illud: *Hujus, & Genus sumus*, quod Paulus usu Prophætico doctus usurpat. Nam, & *Gigantes*, & Vallem *Titanum* Prophætici Sermonis series non refugit. Et Isaias *Sirenas, & Filias passerum* dixit: & Hieremias de Babylone memoravit, quod habitabunt in ea *Filiæ Sirenum*, ut ostenderent: Babylonis, hoc est fæcularis confusionis illecebras, *vetustis lasciviæ fabulis* comparandas: quæ velùt scopuli in istius vitæ littore, dulcem sonare quamdam cantilenam, ad capiendos animos adolescentium, viderentur.]

Lib.3. de Fide cap. 1. — Actor. 17.

Et versus Poëtarum.

3 Eumdem fabularum usum non reprehendendum alibì censet *Ambrosius*, dum ait. [Nam si Ulyssem illum, ut Fabulæ ferunt: licèt, & Prophæta dixerit; habitabunt

Praef. lib.4. in Luc.

in ea Filiæ Sirenum; & si non dixisset Prophæta, nemo tamen jure reprehenderet, cum, & *Gigantes*, *& Vallem Titanum* Scriptura comprehenderit. Si ergo Ulyssem illum post decem annorum exilia, *quibus bellatum in Ilio est*, decemque erroris annos, festinantem ad Patriam, *Lotophagi* suavitate baccarum tenere potuerunt: si *Horti Alcinoi* retardarunt: si postremò *Sirenes cantu vocis* illectum, ad illud famosum voluptatis naufragium penè deduxerant; nisi adversùs illecebrosæ sonitus cantilenæ *insertâ cerâ* sociorum clausisset aures: quantò magìs Religiosos Viros Cœlestium factorum decet admiratione mulceri? atque hìc jam non baccarum suavitas haurienda, sed panis ille, qui descendit de Cœlo: non olera Alcinoi spectanda, sed Sacramenta sunt Christi.] En quomodo Scripturæ, & Patres docent, ad fidelium mores formandos, fabulas quoque posse converti.

Ulyssis fabula indicari videtur in Scriptura.

4 Quis neget? Sed qui hinc excusationem obtendere præsumunt Fabulantes Oratores, germanam Scripturarum, ac Patrum intelligentiam nec primis labris attigerunt. Non enim illæ voces idem, vel eo modo significant in Scripturis, & Patribus, quo in Poëtis: hi enim de Gigantibus loquuntur tanquàm ex matre Tellure, seù terrâ genitis. In Scripturis verò quando in Literali Sensu sumuntur, aliter significatur. Unde ad illud: *Gigantes autem tunc erant super terram in diebus illis: Postquam enim ingressi sunt Filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt: isti sunt potentes à sæculo viri famosi*, alludens *D. Thomas*, quinam essent, & qualiter procreati explicat: [Sicut Augustinus dicit 15. de Civ. Dei, multi se expertos, vel ab expertis audisse confirmant, Sylvanos, & Faunos (quos Vulgus Incubos vocat) improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum expetisse, atque peregisse concubitum. Unde hoc negare, impudentiæ videtur. Sed Angeli Dei Sancti nullo modo sic labi ante diluvium potuerunt. Unde per Filios Dei intelliguntur Filii Seth, qui boni erant. Filias autem hominum nominat Scriptura eas, quæ natæ erant de Stirpe Cain. Neque mirandum est, quod de eis Gigantes nasci potuerunt: neque enim omnes Gigantes fuerunt, sed multò plures ante diluvium, quàm post. Si tamen ex coitu Dæmonum aliqui interdùm nascuntur, hoc non est, &c.] Ubi Sanctus Doctor clarè affirmat, (quod plures alii Patres præstant) Gigantes, idest homines miræ proceritatis, in Scriptura memoratos, ex humanis Genitoribus prodiisse.

Illæ tamen voces non idem significant, ac apùd Poëtas.

Genes. 6.

1. p. qu. 51. a. 3. ad 6.

Angeli mali incubi.

Per Filios Dei ingredientes ad mulieres intelliguntur homines ex Progenie Seth.

Gigantes qui?

5 Producta verò ex Job verba sìc exponit *Gregorius*;

[Gi-

Vel Angeli Apostatæ, vel homines superbi.

[Gigantes enim, vel Apostatas Angelos, vel superbos quosque homines nil obstat intelligi. Hinc enim per Prophætam dicitur: Mortui non vivent, Gigantes non resurgent. Quos namque mortuos, nisi peccatores nominat? Et quos Gigantes, nisi eos, qui de peccato etiam superbiunt, appellat? Illi autem non vivunt, quia peccando, vitam Justitiæ perdiderunt? Isti etiam resurgere post mortem nequeunt; quia post culpam suam, inflati per superbiam, ad pœnitentiæ remedia non recurrunt. Hinc rursùm scriptum est: Vir, qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur: quia quisquis iter rectitudinis deserit, quorum se numero, nisi superborum Spirituum, jungit? Benè autem contrà elatos dicitur: Ecce Gigantes gemunt sub aquis; ac si apertè diceretur; Cur de scientia homo superbiat, cum ignorantiæ abyssus & ipsos superbissimos Angelorum Spiritus premat? Si autem Gigantum nomine, potentes hujus Sæculi designantur, in aquis possunt Populi figurari, Joanne attestante, qui ait: Aquæ enim sunt Populi. Benè autem contrà Superbientem dicitur: Ecce Gigantes gemunt sub aquis: quia elati omnes dum in hac vita assequi honorum celsitudinem cupiunt, sub ponderibus Populorum gemunt. Nam quantò quis hìc altiùs erigitur, tantò curis gravioribus oneratur: eisque ipsis Populis mente, & cogitatione supponitur, quibus superponitur Dignitate.]

Lib. 17. Mor. cap. 12.

Isa. 26.

Prov. 21.

Apoc. 17.

6 De Gigantibus etiam *Ambrosius* ipse supèr ea verba: *Gigantes autem erant in terra in diebus illis*, apertè explicat, non eos fuisse, quos e Terra prognatos, per Phantasiam Homericam concepere Poëtæ, sed ab hominibus editos, illis videlicèt, qui ob probam, innocentemque vitam, Angeli, & Filii Dei vocantur in Scripturis. Unde ait: [*Non Poëtarum more* Gigantes illos, *Terra Filios* vult videri Divinæ Scripturæ Conditor; sed ex Angelis, & mulieribus generatos asserit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem. Et consideremus, nè fortè Gigantium sint similes homines cultui studentes carnis suæ, animæ autem nullam curam habentes: sicut illi, *qui de Terra, secundùm Poëticam fabulam, orti*, mole corporis sui freti, feruntur habuisse contemptum Superorum. An dispares æstimandi sunt, qui cum ex anima constent, & corpore, mentis vigori (quo nihil habet anima pretiosius) aversantur: & se carnis hujus imitatores, velut maternæ exhibent stoliditatis hæredes? Itaque in vanum laborant Cœlum votis usurpantes superbis, & terrenis operi-

Genes. 6.

Lib. de Noë, & Arca cap. 4.

Non ex terra progeniti.

ribus incubantes, qui electione inferioris, & contemptu superioris consortii, tanquàm voluntarii obnoxii peccatis, graviori condemnantur severitate. Plerùmque Angelos Filios Dei vocat Scriptura: quia ex nullo homine generantur animæ. Itaque Viros fideles, Filios suos dici, non est aspernatus Deus, &c.]

7 Eodem prorsùs modo Sirenarum nomen in Scripturis non exprimit monstra illa Semi-virginum è Tyrrhenis fluctibus emergentia; & præternavigantes, per canoras insidias, crudeli somno consopitos, in profundum trahentia, ut devorarent, quæ Sirenum fabula est: sed vox illa potest plura significare; quæ in locis Babyloniæ voluptuoso luxui addictis succederent, ad exprimendam peccatricis Urbis desolationem. Ideoque *D.Thomas* ad relata Isaiæ verba: *Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus; & Sirenæ in delubris voluptatis*, hæc habet: [Ululæ aves quantitatis corvinæ, maculis conspersæ; ex hoc dictæ; quòd vocem habeant ad modum ululantium luporum. Sirenæ, secundùm quosdam, Serpentes cristati, & alati: vel pisces marini ad similitudinem mulierum: vel aves dulciter canentes. In delubris voluptatis, idest locis, in quibus luxuriabantur. Infrà 34: Et erit cubile Draconum, & pascua Struthionum.]

Isa. 13.
D.Tho.ibid.

Sirenæ quædam marina animalia.

8 De Arcturo, Orione, & Hyadibus quomodò Scriptura loquatur, opportunè profert *Gregorius*: [Nequaquàm Sermo Veritatis, Hesiodi, Arati, & Callimachi fabulas sequitur, ut Arcturum nominans, extremam stellarum septem *Caudam Ursæ* suspicetur, & quasi *Orion gladium teneat amator insanus*. Hæc quippè Astrorum nomina à cultoribus Sapientiæ carnalis inventa sunt. Sed Scriptura Sacra idcircò eisdem vocabulis utitur, ut res, quas insinuare appetit, notitiâ usitatæ appellationis exprimantur. Nam si astra, quæ vellet, per ignota nobis nomina diceret: homo, pro quo hæc eadem Scriptura facta est, nesciret proculdubiò quid audiret. Sic igitur in Sacro Eloquio Sapientes Dei sermonem trahunt à Sapientibus Sæculi, sicut in eo pro utilitate hominis, vocem in se humanæ passionis ipse Conditor hominum sumit Deus, ut videlicèt dicat: Pœnitet me fecisse hominem super terram: cum profectò constet, quia is, qui cuncta priùs quàm veniant conspicit, nequaquàm postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscat. Quid ergò mirum si spirituales Viri utuntur verbis carnalium, quando ipse ineffabilis, & Creator omnium Spiritus, ut ad intellectum suum carnem pertrahat, in seipso Carnis sermonem

Lib.9. Mor. cap. 6.

Arcturi, & Orionis fabellâ Sacra Scriptura non utitur.

Deum pœnitere quid sit?

nem format? In Scriptura igitur Sacra dum nota astrorum nomina audimus, de quibus astris sermo moveatur, agnoscimus.]

9 Enimverò si, ut apud Patres, apud Sapientes Dei, nimirùm Canonicos Scriptores, apud Apostolos Prædicationis Protho-exemplaria, ita apud nos usus sit trahere à Sapientibus Sæculi sermonem, sivè voces, quas ipsi pro fabula posuerunt, non inficiabor permittere. Sed perpendatur *Ambrosius* rationem adducens, cur Paulus in Areopago verba adduxerit Poëtæ Græci: *Ipsius enim, & Genus sumus*: quoniam Athenienses Sapientiâ elati sic paulatìm ad Fidei mysteria disponendi erant, ut etiam ipsis celsæ ut putabantur, eruditionis hominibus aliquid Apostolus deferre videretur, quasi suo ipsorum testimonio de Idolorum vanitate pervictis: [Qui enim tractat, debet Audientium considerare personas, nè priùs irrideatur, quàm audiatur. Quando enim Athenienses crederent, quia Verbum Caro factum est, & de Spiritu Virgo concepit: qui irridebant, quia resurrectionem audierant mortuorum?]

Paulus usus versu Græci Poëtæ;

Ut eos disponeret suo ipsorum testimonio convictos.

Lib. 6. in Luc. propè fi.

10 At apud Catholicos Verbo Dei pascendos, ab omni inquinamento carnis, & spiritûs purgandos, & ad Veritatis normam in novitate sensûs formandos, quæ necessitas fabularum? Sacra Biblia ad Gentilium manus venisse, pluribus exploratum est Patribus: Nunquid Philosophicas doctrinas, Scripturarum authoritate firmarunt? Nunquid quæ de conditæ rerum universitatis, de diluvii ingruentis, aliarumque assertionum historiis, ex Divina suffurati sunt Pagina, non multiplici phantasticæ additionis chimæra deformarunt: consulentes, nè quid dicerent, quod deprehenderentur à Spiritûs Sancti Amanuensibus usurpasse? Et cur in tanta Veritatum abundantia, e pauperculo Fingentium penore Christiani Oratores mendacia speciosa emendicant, & ditescere, nisi Ægypto spoliata, non possunt?

11 Versum Paulus semel, & iterùm ex Poëta desumpsit, causam rogas? Satisfacit *Ambrosius* nuper citatus: [Sic interdùm etiam Apostolus suadet incredulis, nec versus refugit Poëticos, *ut fabulas destruat Poëtarum.*] Sequere exemplum, & imitatio permittetur. Alioquin si *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs Scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, ut protestatur Apostolus: quid retusa, & rubigine semirosa arma

Ut fabulas Poëticas destrueret.

2. Cor. 10.

cap-

captas ex Gentilium armamentariis ? Quid ad vitiorum aciem debellandam, auxiliares petis copias Exterorum ? Si enim Platonem Gentilem hominem arguit *S. Paulinus* quod in Libro 10. suæ Reipublicæ, ubi de Deo disserit, fabulam de Clotho, Lachesi, & Atropo inseruerit : [Tantum absus est humanis auribus *arrogantiâ inanis facundiæ*, ut ridiculam *anilis fabulæ* cantilenam non erubesceret scriptis suis, quibus *de Divina etiam Natura*, quasi conscius, disputare audebat, inserere.] Quo debet Ecclesiastes rubore perfundi, *etiam de Deo loquens*, meditari inania, loqui futilia ? Quantum, Divina Misteria sibi ad exponendum concredita fabulis conspurcare, Oratorem dedecet Christianum ?

Epist. 38. ad Jovium.

Plato de Deo agens, redarguitur, quod fabulas inseruisset.

SECTIO IV.

Regulæ ex Patribus pro usu Fabularum.



1 VT itaque in hac lata via, per quam multi ambulant, recta semita custodiatur, Patrum vestigiis insistendum, ad offendicula crebra vitanda. Et primò nullum habeo Sanctorum exemplum illis exhibendum, qui Concioni fabulosum imponunt *Assumptum*; apud neminem enim legi : Herculeam Clavam, Daphniticam Laurum, Mercurianum Caducæum, Jovis fulmina, Orionis Gladium, aliave id genus Poëtica insomnia fronti Orationum impressa ; quæ vel à gravioribus Academiæ prælectionibus aliquo ex his titulo prænotandis abegit Sapientum censura. Videant proindè Christiani Oratores, an liceat, Sacræ Concionis corpori superponere monstrosa hujusmodi capita, faciem fictam Chimæræ. An permittendum, ut Populis petentibus panem, dentur prima epularum specimina Scorpiones: expectantibus vel mysteriorum, vel gestorum seriem, quibus ad compunctionem excitentur, initiatum fabulis exhibeatur exordium, quibus devotæ mentis propensionem, si quam ad Templum attulerant, in Templo amittant.

Assumpta Orationum fabulis inscripta improbantur.

2 Hôc autem leviter indicato, diversis modis (qui pro Regulis statuendi) Sancti Patres fabulis utuntur in corpore Concionis. Primò per Rejectionem. Unde *Ambrosius*, allatâ Ulyssis malo navis alligati, & Sirenum fabellâ, addens;

Usus earum licitus *per rejectionem*.

Christi Crucem fortiùs nos à Mundi illecebris custodire, ait. [Sed omittamus Ulyssis fabulam, *quæ ficta, non facta est*: videamus si quod in Scripturis exemplum simile possumus invenire, quod Dominus per semetipsum posteà completurus, per Prophætas suos ante præmiserit. Legimus in Veteri Testamento, cum Moyses Sanctus Filios Israël de captivitate Ægypti produxisset, atque idem Populus in deserto gravi a Serpentibus incursione laboraret, nec aliqua illis armorum defensio posset obsistere: tunc Sanctus Moyses Divino repletus Spiritu, Serpentem æneum *affixum ligno* inter medias morientium erexisse turbas . . . . . Unde si affixus Serpens ligno filiis Israël contulit sanitatem: quantò magìs salutem præstat populis Dominus in patibulo crucifixus? Et si figura tantum profuit: quantum prodesse credimus Veritatem? &c.]

Serm. 55. de Cruce.

Serpens æneus ligno elatus.

Christi Crucifixi typus.

3 Ea etiam, quæ de Inferis fabulantur Poëtæ rejiciendo refert *S. Paulinus*:

Non commenta loquor Vatum terrentia parvos;
Latrantem in foribus *per tria rostra Canem*:
Terrentemque *Umbras* tristi squalore *Charontem*,
Vipereis sævas crinibus *Eumenidas*:
Æternùm *Tition* funesti *vulturis* escam,
Arentemque siti *Tantalon* inter aquas:
Volventem sine fine *rotam*: & *volubile saxum*,
Cassaque sudantum *dolia Danaidum*.
Hæc, inopes veri, *vani cecinere Poëtæ*
Qui Christum Veri non tenuere caput.

Carm. in Obitu Celsi pueri.

Fabulæ commentæ à Poëtis existentes apud inferos.

4 Iterùm *Ambrosius* per rejectionem Ulyssis fabulam memorans ait: [Non corporalibus Ulysses ad arborem vinculis alligandus, sed animus ad Crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendus, nè lasciviarum moveatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis. *Figmentis enim Poëticis fabula coloratur*, ut quædam puellæ scopuloso in littore maris habitasse prodantur: quæ, si quos deflectere navigium propter aurium suavitatem dulci voce pepulissent, in vada cæca deductos, & infida statione deceptos, naufragii miserabilis sorte consumerent. *Compositum hoc specie*, & ambitiosa comparatione *fucatum est*, ut mare, vox fœminæ, littora vadosa *fingantur*.]

Præf. lib. 4. in Luc.

Ulyssis fabula rejecta.

5 Fabulam Phætontis ineptè Solis currum agitantis, & e Cœli fastigio, Orbe ardente, præcipitis, *Cyprianus* (sivè

Ter-

Tertullianus ejus Carminis author sit) rejiciendo refert:

In Carm. Sodoma.

. . . . Simùl exoritur Sol
Ultimus ille quidem, in Sodomamque incendia fervens
Infert: nam toto radios armaverat igni.

Phaëtõtis fabula.

Et post pauca de indicata Fabula, subdit:

Hinc habet *in falso* de vero *fabula famam*,
Solis Progeniem currus optasse Paternos,
Nec valuisse levem puerum frænare superbos
Ignis equos, arsisse Orbem, &c.

6 Exponens quoque *Ambrosius* rationes veritæ ab homine mortis, affert quæ adinvenerunt Poëtæ ad inferorum supplicia explicanda: cum tamen veros illorum cruciatus, Fidei lumine destituti, scire non possent: [Altera autem causa, quòd pœnas reformident, Poëtarum videlicèt *fabulis* territi, latratus Canis infernalis Cerberi; & Cocyti fluminis tristem voraginem: & nautam inferni gurgitis Charontem tristiorem: Furiarum agmina, aut prærupta Tartarea, in quibus Hydra sævior sedem habeat: Titii quoque viscera reparandis fœcunda suppliciis, quæ vultur immanis sine ullo fine depascitur. Ixionii quoque orbis perpetuam, sub pœnæ atrocitate vertiginem: & saxi desuper imminentis super capita accubantium inter epulas impendentem ruinam. *Hæc plena sunt fabularum*.]

Lib. de Bono Mor. cap. 8.

Plura à Poëtis ficta, esse apud inferos.

7 Et Gentilibus improperans *Nazianzenus* opinantibus, neminem posse castum vivere, cum nec cœlibatum Numina coluerint, vitia illa, & simul vitiosos homines Deorum albo, Poëticâ adscriptos tincturâ, dum refert, execratur.

Præcep. ad Virg. Carm. 3.

Dii Gentium criminosi.

Hæc Graci fingant, quorum vesania Divos
Condidit authores vitii, scelerumque patronos,
Fures, androgynos, mœchos, pestesque virorum,
Carnifices, Natos tollentes morte, Patresque:
Quodque etiam multò gravius, Templisque, Sacrisque
Crimina non puduit miseros ornare *nefanda*.
Perspice *quàm varias* Proles Saturnia *formas*
Sumpserit, insanæ veneri dum laxat habenas.

Juppiter.

8 Secundò per redargutionem indicando fabulæ falsitatem. Sic *Ambrosius* loquens de exortis ex Hydræ dentibus militum turmis. [Quod si veteres Sapientes, satis Hy-

Lib. de Fide Resur.

Usus fabularum per redargutionē.

dræ dentibus in Regione Thebana, inhorruisse armatorum segetem crediderunt: *cum utique alterius natura semina certum sit in naturam verti alteram nequivisse: nec partum suis discordem fudisse seminibus, ut ex Serpente homines nascerentur, ut caro ex dentibus gigneretur*: quantò magis utique credendum est, &c.] Ubi nota, fabulam allatam ideo ab Ambrosio, quia contrà Gentiles Fidem resurrectionis tractans, commodè ostendit, aliquod resurrectionis vestigium in ipsis Impiorum inventis deprehendi. Quemadmodùm *Cyrillus Hierosolimitanus* eisdem Gentilibus, Virginis partum impugnantibus, portentosas ab eisdem inventas Nativitates falsorum Numinum redarguendo objicit.

Armatorū acies ex Hydræ dentibus.

[Qui ex Jovis cerebro natam Filiam *fabulamini*: quomodo ex utero Virginali nasci aliquem impossibile esse dicitis? Qui de femore vestri Jovis prognatum *falsò* dicitis Bacchum, cur nostram veritatem rejicitis?]

Pallas ex Jovis cerebro.

Catech. 12.

9 Tertiò per Præteritionem: cum videlicèt innuitur fabula, sed ut omninò contrà rationem, adeoque confutatione indigna præteritur. *Nazianzenus*. [Verùm quemadmodùm Chamæleontem ajunt in quidvis facilè mutari, atque omnes subindè colores, candore uno excepto, suscipere; *fabulosum enim illum Protheum Ægyptium Sophistam prætereo*: sic etiam ille Christianis, præter clementiam, in quidvis se vertebat: ac perquàm credulis erat ipsius lenitas, &c.]

Usus fabularum per Præteritionē.

Orat. 3 quæ est 1. in Julian.

Protheus multiformis.

10 Quartò per Irrisionem. Idque sæpè *Tertullianus*, præsertìm Valentini delirium, quod non in terra, sed in Cœlo esset Christi Nominis confessio, ac protestatio constituta, refutans, fabulosa de astris commenta Ironicè irridet: [Erit certè etiam carcer in Cœlo carens Sole, aut ingratis luminosus, & vincula fortasse de zonis, & equuleus axis ipse, qui torquet: Tum si lapidandus Christianus, grandines aderunt: si urendus, fulmina præ manu sunt: Si trucidandus, *Orionis armati* manus operabitur: si bestiis finiendus, *Ursas* septemtrio emittet, Zodiacus *Tauros*, *& Leones*. *Hæc qui substinuerit in finem, iste erit salvus.*] Et alibì, purissimam Verbi Hominis Generationem, æternam ex solo Patre, temporalem ex sola Matre tangens: Poëtici Jovis facti Deorum parentis varias recenset, irridetque salacitates. [Hujus igitur Gratiæ, disciplinæque Arbiter, & Magister, Illuminator, atque Deductor Generis Humani Filius Dei annunciabatur. Non quidem ita genitus, ut erubescat in Filii nomine, aut de Patris semine: non de *Sororis incesto*, nec de stu-

Usus fabularum per Irrisionem.

In Scorpiaco adv. Gnostic. cap. 10.

Fabulosa Nominà Astris attributa.

Apolog. cap. 21.

Jovis impura facinora.

stupro Filiæ, aut *Conjugis alienæ*, Deum Patrem passus est, *squammatum, aut cornutum, aut plumatum*, amatorem, aut *in auro* conversum Danaidis: *Jovis ista sunt, & Numina vestra.*]

11 Aureæ Arboris innuens *Nazianzenus* Virgilianam fabellam, sic de ea ludit. [Est quædam *in Fabulis arbor*, quæ cum cæditur, viret, & adversùs ferrum certat: ac si de re nova novo modo loquendum est, morte vivit, & sectione pullulat, atque cùm absumitur, crescit. Habetis fabulam, *jure suo quidvis liberè confingentem*. Mihi verò hujusmodi quiddam planè esse Vir Philosophus videtur. Floret enim inter cruciatus: ac vitæ molestias, Virtutis segetem æstimat, atque in adversis gestit, & gloriatur, &c.] Alibì etiam idem *Nazianzenus* exaggerans versutam Juliani Apostatæ crudelitatem. [At qui Hydram nemo unquàm lenem, & mansuetam dixit, quòd novem capita pro uno proferebat: (*si quid fidei Poëtis habendum est*) nec Pataricam Chimæram, quòd tria, ac diversa, ut formidabilior esset: aut illum apud inferos Cerberum, quòd totidem, & similia: aut Scyllam * æquoream pestem, quod sex in orbem, maximèque horrenda: & tamen superiores ipsius partes suaves, & humanas fuisse narrant, nec aspectu injucundas: (Virgo enim erat cognationis cujusdam necessitudine nobiscum devincta) ac reliqua capita canina erant, & belluina, atque omninò perniciosa, classes totas arripientia, nec, quantum ad periculum, ab opposita Charybdi quiddàm differentia.]

Orat. 28.

Aurea arbor à Virgilio ficta.

Vir bonus inter cruciatus gloriatur.

Orat. 1. in Julian.

Hydræ capita repullulantia.

* *Metaphora de Specie ad Genus simul cum Metonimia effectus pro Causa.*

Scyllæum Mõstrum classes absorbens.

12 Disertissimè Ambrosius describens panum multiplicationem in deserto, & aquarum in vinum mutationem in Nuptiis Canæ Galileæ, irrisoriè insultat Fabulæ de Myda Lydiæ Rege, quem à Diis obtinuisse commentum est, ut quæ tangeret in aurum verteret. Audi Elegantissimum Præsulem. [Comprehende si potes tanta rerum miracula: hìc edentibus Populis, crescunt suis fragmenta dispendiis, & de quinque panibus majores reliquiæ, quàm summa est, colliguntur: illìc in alienam speciem vertuntur elementa, nec suos patitur Natura defectus, nec suos agnoscit ortus, usus tamen proprios recognoscit...... Conferant Gentiles, si placet, cum Christi beneficiis, Deorum suorum *non facta, sed ficta*. Ferunt certè eorum Fabulæ, fuisse Regem quemdam, qui quidquid tangebat, aurum fiebat. Sed etiam *convivia ipsa feralia*: Nam, & ipsa mantilia digitis apprehensa riguerunt, & cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta, sed vulnera, & in gutture potus hærebat, nec pene-

Lib. 6. in Luc.

Panes à Christo multiplicati.

Mydæ Regis fabula.

* Irrisio Figura.
* Epiphonema Figura.

netrare facilis, nec redire. * Digna beneficia votis: digna tanto munera precatore: digna liberalitas conferente.* *Talia sunt Idolorum beneficia, ut cum videntur prodesse, plus noceant*. At verò Christi munera parva videntur, & maxima sunt. Denique non uni collata, sed Populis. Nam, & cibus edentium in ore crescebat, & videbatur esse corporalis alimoniæ, sed sumebatur Salutis Æternæ.]

Gentiles Scriptores quædam a Sacris Scripturis suffurati.

13 Postremò Fabulas Patres asseruit aliquandò, ut furta detegant Poëtarum, qui earum materiam e Scripturis subripuere. Unde *Ambrosius* Jovis Hortum à Platone quidem imaginariè confitum, sed ex Libro Canticorum Salomonis, quem fortè legerat, exemplatum affirmat. [Hìnc *Hortum illum* sibi Plato composuit, quem *Jovis Hortum* alibì, alibì *Hortum Mentis* appellavit. Jovem enim, & Deum, & Mentem totius Mundi dixit; in hunc introisse animam, quam Venerem nuncupat, ut se abundantiâ, & divitiis horti repleret: in quo repletus potu jaceret purum qui nectar effunderet. *Hoc igitur ex Libro Canticorum composuit, &c.*] *Lib. de Bono Mort. cap. 5.*

14 Gemina hìc animadversio ex eisdem Patribus occurrit. Prior, ut si comparatio sit facienda, frequentiùs malorum facinora, quàm bonorum gesta, fabularum narrationibus conferantur. Sic enim *Ambrosius* Hydræ, Scyllæque, Hæreses Fidem dilaniantes assimilavit: [Hæreses enim velùt quædam *Hydra fabularum*, vulneribus suis crevit: & dum sæpè reciditur pullulavit, *igni debita, incendioque peritura*. Aut velùt quædam monstruosi Scylla portenti, in varias formas distincta perfidiæ, velùt supernè, vacuum Christianæ Sectæ nomen obtendit: sed quos in illo impietatis suæ freto miseros inter naufragia Fidei repererit fluctuantes, belluinis succincta prodigiis, tetri dogmatis sævo dente dilacerat.]

Hydræ Hæresis comparata. *Lib. de Fide ad Gratian. cap. 4.*

Et Scyllæ.

15 Quod si ad Virtutis opus explicandum necessitas cogat aliquam adducere ex Fabulis, modestiores, gravioresque, & a turpitudine remotiores seligantur. Unde *Hieronymus*. [Arbitror te accinctam gladio militari. Ut autem scias, semper Virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera Carnis, & superat voluptates: *Gentilis quoque error Deas Virgines finxit armatas.*] Et *Eusebius Emissenus* Anthei fabulam memoravit agens de lucta inter Jacob, & Angelum. [Refert, & traditio Sæcularium Literarum, habuisse quemdam in exercitio, usque certaminis hoc genus virtutis, ac roboris: ut quotiès in luctamine suc-

Modestiores fabulæ afferantur ubi opus est.

Epist. 140. ad Principiam.

Anthei fabula.

Hom. 8. de Pasch.

ſuccumbens, virium ſuarum amicam, & nutricem Terram impulſu Adverſarii contigiſſet, totiès de ſolo ſurgens, magìs, ac magìs in Adverſarium prævaleret. * Ac ſic dejectio proſtrati, occaſio fiebat triumphi: dabat enim quodammodò infirmitas fortitudinem, lapſus palmam, ruina victoriam. Puto hæc illi Cœleſti Athletæ, qui contrà Jacob legitur fuiſſe luctatus, juſtiùs aptari poſſe.] — * *Periodus concisa.*

16 Altera animadverſio eſt: ut quocumque ex prædictis modis, Fabulæ levitèr, & curſìm tractentur: Satius enim eſt minùs intelligendas proponere, nè in mentibus Auditorum altè imprimantur, dum curioſiùs deſcribuntur. — Fabulæ leviter tractandæ.

Ex his enim, quas *flumen moris humani* Auguſtinus ſupracitatus appellat, non flexo poplite ingurgitandum, (quemadmodùm à Gedeone rejecti gregarii milites) ſed manu ad os aquam projiciente lambendum eſt. Unde *Ambroſius*. — *Judic. cap. 7.*

[Quid igitur facerem? Non audirem? ſed aures non poſſem * *cerâ veterum fabularum claudere*. Proderem? ſed quod in tuis, &c.] Vide quàm leviter Sanctus Præſul, & vix non jejunè fabulam Ulyſſis libaverit? Rationem hujus alibì reddit. [Cavendum eſt etiam in Fabulis, *nè inflectant gravitatem ſermonis propoſiti*.] — *Epiſt. 28. ad Theod. Imper.* — * *Metalepſis.* — *Lib. 1. Offic. cap. 23.*

SECTIO V.

Prudens Eruditionum Sæcularium uſus commendatur.

1 Axiorem in ſæcularibus eruditionibus habenam permittendam exemplo ſuo docuere Patres, quos hìc liberalitèr attexam, pluresque multò in eis verſatus reperiet. *Nazianzenus*. [Verùm quemadmodùm Ætnæum ignem narrant Ætnæ radicibus abſcondi, ab ima parte exundantem, ac retentum, atque compreſſum, (ſivè hoc aliud quippiam eſt, ſivè Gigantis pœnam dantis anhelitus) priùs quidem horrendum quemdam ſonum edere, fumumque propinqui mali indicem vertice ſuo evomere. Quod ſi fortè amplior, & exuberantior fuerit, rapidiorque quàm ut coërceri queat: tum verò finibus ſuis æſtu vehementi extruſum, ſursùmque tendentem, ac ſuprà foramina ſua ſe ſe effundentem, finitimas quoque nonnullas terræ partes incredibili illo, & horibili fluxu per- — *Orat. 1. cōt. Julian.* — Æthnæ eruptio, & ſonitus.

pervastare. Eodem modo &c.]

2 Parvæ aviculæ Crocodylum dirumpentis similitudine, trophæum Christi de morte triumphantis *Petrus Damianus* expressit. [Quid * Hydrus, nisi victoriam innuit Salvatoris? Limo igitur hydrus obvolvitur, dum Redemptor Noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur Crocodyli: quia Dominus claustra penetravit inferni. Hic demolitur intima viscerum: & Dominus, Mortis evertit imperium: Ille corroso, ac penetrato cadavere post victoriam redit: quia Salvator Noster, postquàm infernum moriendo momordit, cum triumphali de Sepulchro gloria resurrexit.]

* *Allegoria.*

Hydrus Crocodylum perimit.

Lib. 2. epist. 18.

3 Quantum etiam pro Deo, veraque gloria Fidelium patientia debeat sustinere: cum tantum ausa fuerit fœmina Gentilis in seipsam pro inani gloria, *Tertullianus* exaggerat. [Ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suæ pareret.] Et Hieronymus duos se nosse Conjuges testatur: [Unum, qui viginti sepelisset uxores: alteram, quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio Virorum pariter, ac fœminarum, post tantas rudes quis quem priùs efferret. Vicit Maritus, & totius Urbis Populo confluente coronatus, & palmam tenens, adoreamque per singulos sibi acclamantes, Uxoris multinubæ pheretrum præcedebat.]

Lucretiæ mors ultrò oppetita.

Conjuges multigami, quorum Vir uxori superstes.

Lib. ad Martyr. cap. 4.

Epist. 11. ad Geront. de Monog.

4 Advertat tamen Orator, nè Sæcularium, præsertìm Ethnicorum doctrinis, eruditionibus, historiisve superfluè delectetur: ac, verbis utar *Tertulliani*, [à Christianis conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam, & Porticum,] à Sacris, verisque Scripturarum dogmatibus desuescat. Stulto namque labore consumuntur, qui vestigandis, rimandisque Exterorum voluminibus toti sunt, ut inde Spiritu jejuna præcepta, apophtegmata, aliaque curiosa reportent: quando his incomparabiliter affluentiora Divina Biblia, simplicibus utplurimùm verbis, Oratorio quandoque cothurno, offerant, minori temporis, sudorumque dispendio.

Coërcendus nimius eruditionum usus.

Lib. adver. Hermog. cap. 1.

5 Temporis equidem incassùm consumpti in tot legendis rerum sæcularium libris, Sylvæ illi parandæ, quæ Sylva tandem est, sæpè utilitatis sterilitate otiosa, nonnullos, sed serò pœnitet, consultiùs descensuros in Sponsæ hortum, ubi omnia poma nova, & vetera servantur, idest cun-

cti Sapientiæ fructus vividi, imò in Ligno Vitæ pendentes, non sulphurei sub cortice pulchra, quales in Sodomorum igne tacta tellure refert *Tertullianus*. [Olet adhùc incendio terra, & si quæ illìc arborum poma conantur, *oculis tenùs* cæterùm contacta *cinerescunt*.] Et idem de eisdem alibi:

In Apolog. cap. 40.

Poma cinerescentia in Sodomis nata.

Carm. de Sod.

Semiperempta etiam si qua illìc jugera lætus
Autumni conantur opes, facilè optima se
Promittunt oculis pyra, persica, & omnia mala,
Donec carpuntur; nam protinùs indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

6 Ægyptianis opibus sæculares eruditiones passìm assimilantur, Christianis veritatibus famulatum præbituræ, quemadmodùm illæ sacræ suppellectilis usui in deserto hæbraicæ peregrinationis destinabantur. Unde ad ea verba: *Fecit, & labrum æneum de speculis mulierum*, sic ait *Theodoretus*: [Mos erat Ægyptiis præsertìm mulieribus, cum ad Sacra pergerent, uti linea veste, & gestare sinistrâ speculum, dextrâ verò sistra. Quæcumque ergo de suo mundo, aut de Ægyptiorum reliquiis talia invenerunt, omnia in usum rei sacræ contulerunt.] Ex quo opportunè *Gregorius Nyssenus* explicat quod dicebamus: [Quasi nimirùm Scriptura jubeat, ut ji, qui honestè, ac liberalitèr ex Virtute vitam instituunt, *eruditionis Gentilium divitias* sibi comparent, quibus alieni a Fide homines exornantur, & *in meliores usus transferre jubemur*: ut quæ nobis usui futuræ sint, cùm opus fuerit Divini Ministerii Templum his opibus exornare. Qui enim tales opes sibi collegerunt, Moysi circà Tabernaculum Testimonii laboranti, de rebus suis ad Sanctorum constructionem conferunt. Cujusmodi Magnus ille fuit Basilius, qui cum *Ægyptias opes* in juvenili ætate sibi egregiè comparasset, Deoque consecrasset, verùm Ecclesiæ Tabernaculum hujusmodi opibus exornavit.]

Exod. 18.

In Cat. Græc. in Pentat.

In Vita Moys.

Speculum, & Sistra gellare solitæ mulieres ad Sacra pergentes.

Eruditiones Gentilium Ægyptiis opibus assimilatæ.

Basilius Magnus eruditus.

7 Evenit nihilominùs ad profanum, quandoque damnabilem usum tales opes conferri. Nam & inaures aureæ ab Ægyptiis acceptæ in vitulum fusæ sunt, ut dicitur in Exodo; Nam Aaron instantiâ Populi coactus, ait: *Tollite inaures aureas de Uxorum, Filiorumque, & Filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque Populus quæ jusserat, deferentes inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis Vitulum conflatilem*. De quo loquens *Tertullianus*: [Aberat apud Deum in Monte Moy-

Exod. 32.

In Scorpiaco adv. Gnost. cap. 3.

Vitulus aureus ex Inauribus Ægypto asportatis.

Moyses: cùm Populus tàm necessariæ absentiæ ejus impatiens, Deos sibi producere quærit, quos potiùs ipse perdiderat. Urgetur Aaron, jubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in judicium sibi vera ornamenta aurium, Dei voces.* Sapiens ignis effigiem Vituli defundit illis, sugillans illìc cor habentes, ubi, & thesaurum, apud Ægyptum scilicèt, inter cætera animalia, Bovis etiam cujusdam consecratricem.] Non semel autem superflua eruditionum abundantia in vanitatem Orationis redundat, Ægyptus Ægyptio mori deseruit: Secularia ingenii bona Sæculi genio pompas ministrant:

* *Energia.*

8 Sed aberit hoc inconveniens, adhùc tanta in eruditionibus non est necessaria sedulitas occupationis, nunquàm ad hoc perventura, ut tantum ex illis colligat, quantum potest ex Divinis paginis adunare. Quocircà singularis occurrit animadversio Augustini ponderantis, invicèmque comparantis Vasa ex Ægypto à Judæis asportata: ac argenti, & auri copiam Jerosolymis, Salomone regnante, affluentem, quæ Ægyptianas divitias in immensum superabat. De illis enim dicitur: *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam.* Sed ea fuere, quæ quisque potuit à vicinis expetere, & humeris ferre, tanquàm commeatûs impedimenta; nam Dominus præceperat: *Dices ergo omni Populo, ut postulet vir ab amico suo, & mulier à vicìna sua vasa argentea, & aurea.* De alia verò illustre redditur testimonium, tantam fuisse, ut nihili haberetur argentum. Dicitur enim: *Sed & omnia vasa, de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & universa suppellex domûs saltûs Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis.* Et infrà: *Fecitque, ut tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta, & lapidum.*

Sæcularibus Eruditionibus nõ nimia impẽdenda opera.

Exod. 12.

Exod. 11.

Auri, argentiqꝫ tempore Salomonis copia major eâ, quæ ex Ægypto delata.

3. *Reg.* 10.

Ibid. *Et 2. Paral. cap.* 1.

9 Eruditionum proindè sæcularium quælibet, plurimo impenso oleo, collecta abundantia ex Neothericorum, Veterumque Bibliotheca, neutiquàm poterit comparari cum illa, quæ in una Scripturæ sententia, imò & verbo invenitur, & velutì ex inexhausta pretiosorum lapillorum fodinâ eruitur. Historia enim extrà Sacram Scripturam, unum nonnisi Sensum habeat necesse est, quem voces exprimunt: in Divinis Bibliis quinam hucusquè omnes Sensus sub uno verbo, unave re latentes assequutus est? Sed nè semper orbitam versemus ad idem, audi *Augustinum.*[Quantum autem minor est auri, argentique, vestisque copia, quam de Ægypto

Lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 41.

to secùm ille Populus abstulit in comparatione divitiarum, quas posteà Jerosolymæ consequutus est, quæ maximè in Salomone Rege ostenduntur: tanta sit cuncta scientia, *quæ quidem est utilis*, collecta de libris Gentium, si Divinarum Scripturarum Scientiæ comparetur. Nam *quidquid homo extrà didicerit* si noxium est, *ibi damnatur*: si utile, *ibi invenitur*. Et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibì didicit; *multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquàm omninò alibì, sed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.*]

Eruditionũ copia in Sacra Scriptura, major, quàm in Libris Scientiæ Sæcularis.

10 Profectò commendandum studium in Sæcularibus Literis, profuturum quandoque Ecclesiæ, quæ Corpus Christi Mysticum est. Voluit enim Dominus duplici vestimentorum genere, physicum sui Corpus contegi, nempè consutis, in quibus militari judicio divisis humanorum scientia designatur: & tunicâ inconsutili desupèr contexta per totum, qua Unitas mysteriorum in Sacris Bibliis contentorum adumbratur. Quasi in se Christus utramque Sapientiam consecrasset, sicut in eo omnes erant thesauri Sapientiæ, & Scientiæ absconditi: quatenùs disceremus, etiam in Corpore suo Mystico, nimirùm Sancta Ecclesia, humanam sapientiam (si eâ prudenter ad Fidelium instructionem utamur) posse Divinæ ancillari. Quod indicat *S. Maximus.* [Vestimentum autem ejus, quod non erat consutum, Sapientiam Cœlestem possumus approbare: nostra autem sapientia, hoc est humana, consuitur.]

Christus vestibus cõsutis usus, & tunicâ inconsutili.

Hom. in Dam. Pal.

11 Hinc etiam *Isidorus Pelusiota* allatis Apostoli verbis: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo* ad suadendam carnis continentiam, humanam addit Historiam: [Quamquàm autem Nos *Apostolico testimonio contentos esse oportebat*: tamen quoniam ea quoque, quæ ab Exteris præstita sunt, *ad pudicitiam acuunt*, nè hæc quidem oblivione prateribo. Lectione igitur didici, Regem quemdam, cum Ephesiam Sacerdotem, cujus incredibilis quædam, ac singularis pulchritudo erat, conspexisset, statìm ex Ephesina Urbe digressum esse: illud videlicèt metuentem, nè præter voluntatem, nefarii aliquid admittere cogeretur.]

1. Cor. 9.

Lib. 2. epist. 62.

Rex Urbe Epheso egreditur, nè conspectam Virginem Sacerdotẽ concupisceret.

12 Virtuosæ igitur actiones Sanctorum aptè etiam ex Gentilium factis amplificantur. Unde *Ambrosius* de Sancta Sotere agens nobilissima Virgine ob Christi Fidem crudeliter in faciem cæsa, ait: [Quam persequutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera Virgo dolori cederet, aut pudori. At illa, ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, so-

Exhort. ad Virg.

Sancta Soter in vultu ob fidem percussa.

li invelata, atque intacta martyrio, & volens injuriæ occurrit, vultum offerens: ut ibi martyrii fieret Sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim, dispendio pulchritudinis periculum integritatis auferri.... Hetruscum Juvenem veteres fabulæ ferunt, cum propter admirandam oris proprii pulchritudinem in amorem accenderet fœminas, stigmatibus inarasse vultum suum, ne qua eum adamare posset. Videro utrùm castus fuerit illius animus, affectus tamen non innocens, propter quem in se ipse animadverteret. Ille tamen sola excepit vulnera, ne noceret: hæc triumphales retulit martyrii cicatrices, ut imaginem Dei, quam acceperat, reservaret.]

Juvenis semet stigmatibus in facie deformas, nè a mulieribus amaretur.

13 Nec observare negligimus, quod sicut Populus Israëliticus, armis Ægyptiorum ad rubri maris oram ejectis, (cum: *viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contrà eos,*) in quadraginta annorum itinere tot Reges debellarunt: quatenùs ex eadem Ægypto, & opibus ad Dei cultum, & armis ad Barbarorum excidium cumularentur: Ita ex Sæculari Sapientia sumptæ eruditiones, & Dei Mysteriis deservire possunt, & Veritatis hostes confodere; idemque est, ac, ut inquit *S.Paulinus*: [Quasi quædam de hostilibus armis spolia cœpisse.]

Hebræi armis Ægyptiorum cõtrà hostes dimicarunt.

Exod.14.

Epist.35.

14 Illud nihilominùs cavendum, nè in qualibet eruditione narranda, amplificanda, cum Sacrarum rerum præjudicio, Oratio consenescat. Utplurimùm (præsertìm ubi frequentes, & Auditoribus peritis, proferuntur) indicandæ sunt, nec morâ ad propositum transeundum. Imò *Tertullianus* aliquas cursim innuit potiùs, quàm referat, etsì non admodùm notas. Taxans enim Virgines gerentes nescio quæ signa Virginitatis extrinsecùs, ut agnoscerentur, inferens, hoc exemplum ad homines, vanitatis œstro transiturum, ait. [Debebunt etiam & ipsi aliqua sibi insignia defendere: aut *pennas Garamantum, aut Crobylos Barbarorum, aut Cicadas Atheniensium, aut Cirros Germanorum, aut stigmata Britonum.*]

Eruditiones breviter tractandæ.

Lib. de Virg. Vel. cap.10.

15 Non tamen adeò aridè vellem eruditionum nontùm facta insinuari, quàm nomina, ut in producta Tertulliani periodo, loquentis forsitàn quibus ji Gentium mores notissimi erant, Garamantum videlicèt interioris Libiæ Populorum variè plumatas frontes gestantium. Barbarorum *Crobyli* sivè essent crinium plexus in acumen desinentes, ut significare videtur Græca vox Κρώβυλος: sivè *Corym-*

rymbi quidam aurei, aut argentei ex capillorum flexura pendulí. Athenienses dicti sunt πιττιγόφοροι, quasi dicas *Cicadiferos*; nam, ut se indigenas ostenderent, in capillis aureas Cicadas ferebant, quæ erant Urbis Insignia, & Græci πίττιγας Cicadas vocant. Unde *Nazianzenus*.

Cicadæ aureæ ab Atheniensibus gestari solitæ.

Cecropidæ indigenæ natam tellure Cicadam
Innodant cirris .....

Germanorum cirri, morem ejus Nationis exprimunt, crines obliquare, & in nodum substringere in usu habentis. Ea autem verba:aut stigmata Britonum explicat Rhenanus: [Britanni super Ligerim hospites in Gallia, cujus maritimam partem ex adversa veteri Britannia, quæ nùnc Anglia est, advecti, quondàm occupavere, solemniter certis notis apud suos inurebantur.] Is itaque Eruditionum usus, qui faciat ad intelligentiam, ideſt ad faciliorem captum Scripturarum, & ut ait *Tertullianus* de Philosophicis disceptationibus: [Revocando quæstiones ad Dei Literas: exceptis planè, quæ sine laqueo alicujus præjudicii, ad simplex testimonium licebit assumere,si non Æmulis prosint.]

Britāniæ Minoris incolæ notis corpus inurentes.


Lib. de Anima cap. 2.

CAPUT IX.

De formis Oratoriis Argumentorum.

SECTIO I.

De Ratiocinatione, & Enthimemate.

1 
Omparatis, quæ ad Assumptum Concionis suadendum conducunt, & nos hucusquè non angustè præstitimus, formas quasdam illis oportet imponere, ut artefacta resultent nedùm robusta ad probandum, sed ad oblectandum decora, quò mentes Audientium convictæ rationum soliditate, & illectæ artificii concinnitate, intentioni Oratoris consentiant. Argumentorum tela Dialecticæ quidem debet Rhetorica, sed huic illa vicissìm debet, quod acutiora, politiora, ac limatiora reddiderit. Omnis au-

autem argumentandi modus fit per Ratiocinationem, Enthimema, Exemplum, Inductionem: quæ, more aliorum, tractabimus, additis argumentationum singularibus, iisque validioribus generibus, quæ apud Sanctos Patres observantur.

Ratiocinatio Oratoria quid sit, & quibus cōstet.

2 Ratiocinatio igitur perfecta, sivè Syllogismus, trimembris Oratio est, constans Propositione, Resumptione, & Complexione; (si Majoris, Minoris, & Consequentiæ terminos intactos Logicæ velis relinquere) servans eamdem legem, sed non eodem modo: nec semper particulis illativis, seù deductivis Summulistarum ritu, sed Oratoria gravitate concludens. Cujus exempla promiscuè dabimus. *Ambrosius* ad ea verba: *Nemo Lucernam accendit, & in abscondito ponit*, hunc construit Syllogismum. [Verbum enim Dei Fides nostra est: Verbum Dei Lux est: Lucerna est Fides.] Et *Augustinus* impugnans Manichæos blasphemantes, quod Christus fuerit non verus homo, sed hominis Phantasma, nec fœmineo natus ex utero, argumentatur. [Si Phantasma fuit Corpus Christi, fefellit Christus; & si fallit, Veritas non est: Est autem Veritas Christus: Non ergo Phantasma fuit corpus ejus.]

Lib. 7. in Luc.

Lib. 83. Quæst.

Anima Justi Cœlum, & Sedes Dei.

3 Absolutè *Gregorius* duas propositiones prævię obfirmat, ut indè intentum ratiocinando concludat. [Quia per Prophætam Dominus dicit: Cœlum mihi Sedes est; Et Salomon ait: Anima Justi Sedes est Sapientiæ; Pauls etiam dicit, Christum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam; liquidò colligere debemus: Quia si Deus est Sapientia: Anima autem Justi Sedes Sapientiæ: Dum Cœlum dicitur Sedes Dei: Cœlum ergo est anima Justi.] Insuper brevissimè *Tertullianus* detegens errorem arbitrantium, Dæmones habere Divinitatem ex hoc, quod de remotissimis oracula in Sculptilibus promant, addit, hoc non esse mirum propter velocitatem, qua hinc quopiàm migrare possunt, & inde remeare, ut rerum peritiam captent, ultrà scientiam plurium rerum naturalium, qua sæpè utuntur, & unde dicti *Dæmones*. Ait ergo: [Omnis Spiritus ales est: Hoc Angeli, & Dæmones: Igitur momento ubique sunt.]

Hom. 38. in Evang.

In Apol. cap. 22.

4 Progreditur adhùc Ratiocinatio latiori circuitu, Complexioni alias duas Propositiones adnectens conformes Logicali Minori Subsumptæ, & Conclusioni, ut illa *Ambrosii*. [Quod invenitur, quæritur, & quod quæritur temporis est: Quod temporis est, utique diligentiæ est: Ingenium igitur Divini est muneris. Quod autem Divini mune-

Ingeniū Divini muneris est.

Lib de Fuga Sac. cap. 8.

ne-

neris, hoc Naturæ: Ingenium ergo Naturæ eſt, Inventio diligentiæ: illud ſine tempore, hoc indiget tempore : ideoque illud in tempore præſtò eſt , hoc in ſpatio temporis inveſtigatur.] Et *Drogo Hoſtienſis* . [Qui portat Crucem tuam, portat gloriam tuam: Qui portat gloriam tuam, portat Te. Portantem autem te tu portas ſuper humerum tuum : Ergo qui te portant , Imperium tuum ſunt ; in ipſis enim tu regnas.]

Lib. de Sacram. Dom. Paſſ.

Portans Chriſti Crucem Imperiū Chriſti eſt.

5 Enthimema Oratio , in qua ex una Propoſitione intentum concluditur. Qualis videtur illa Pſalmiſtæ : Ecce ipſi peccatores, & abundantes in Sæculo obtinuerunt divitias; & dixi: Ergo ſinè cauſa juſtificavi cor meum. Et *Apoſtolus* : Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti ? Tollens ergo membra Chriſti , faciam membra Meretricis?Et alibì: Quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt: Ergo omnes mortui ſunt . *Tertullianus* : [Ubi autem erit cor tuum , ibi erit , & theſaurus tuus . Ibi ergo ſit cor noſtrum,ubi volumus habere theſaurum.] Alibì verò loquens de mulierum fuco in vultu colorando, vanitatis illius Diabolum probat inventorem. [Ille indubitatè hujuſmodi ingenia concinnavit , ut in nobis quodammodò manus Deo inferret. Quod naſcitur, Opus Dei eſt: Ergo quod fingitur, Diaboli negotium eſt.]

Pſal. 72. *1. Cor. 5.* *1. Cor. 5.* *Lib. ad Mart. cap. 2.* *Lib. de Cult. Fem. cap. 5.*

Enthimema Oratorium.

Mulierū cultus Diabolo adinventori tribuendus.

6 Accedit ad Enthimema , cum duæ propoſitiones in unam colligatæ per particulam conjunctivam , duplicem eodem modo inferunt Concluſionem. Sicut illud Prophætæ increpationem referentis Domini : [Filius honorat Patrem, & Servus Dominum ſuum . Si ergo Pater Ego ſum: ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus Ego ſum : ubi eſt timor meus?] *Tertullianus* à Spectaculorum voluptate fideles avocans , eâdem ferè utitur argumentandi formâ: [Vicibus diſpoſita res eſt: Nunc illi lætantur,nos conflictamur: Sæculum gaudebit, vos triſtes eritis . Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent: ut cum lugere cœperint , gaudeamus. Dicas velim : * Non poſſumus vivere ſine voluptate , qui mori cum voluptate debebimus?]

Malach. 1. *Lib. de Spectac. cap. 28.*

Sæculi jucunditas inanis .

* *Reverberatio Figura* .

7 Idem inſupèr artificiosè unum Enthimema veluti infert ex alio , probans , Chriſtianos non eſſe dicendos reos læſæ Romanæ Religionis , quia Romanorum Religio incerta erat, ut incerta ejus Numina. [Omnis iſta confeſſio illorum, qua ſe Deos negant eſſe , quaque non alium Deum reſpondent, præter Unum, cui nos mancipamur, ſatìs idonea eſt ad depellendum crimen læſæ maximè Romanæ Religionis .

In Apolog. cap 23.

nis. Si enim non sunt Dei pro certo: Nec Religio pro certo est. Si Religio non est, quia nec Dii: Nec pro certo rei sumus læsæ Religionis.] Propositio autem antecedens aliquando multiplex est, continens veluti unius rationes, & explicationes, ex quibus intentum infertur vivaciùs quidem, & nervosiùs per unam illationem. Sic *Tertullianus* deducit Christiani Nomen malè odio haberi, ex hoc, quod nil continet noxii. [Nunc igitur si Nominis odium est: quis Nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum, nisi aut barbarum sonat aliqua vox Nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum? Christianus verò, quantum interpretatio est, ab unctione deducitur. Sed, & cum perperàm *Chrestianus* pronunciatur à vobis, (Nam nec Nominis certa est notitia apud vos) de suavitate, vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam Nomen innocuum.]

In Apol. cap. 4.

Christiani Nomen ab unctione deducitur.

SECTIO II.

De Exemplo.

1 VNa omnium vox est, Exemplum esse imperfectam quamdam Inductionem, quemadmodùm, & Enthimema imperfectum Syllogismum. Sed si imperfectio utriusque attendatur ex eo, quod illi deficit, nimirùm Enthimemati altera propositio, ut sit Syllogismus: Exemplo alia similia, ut faciat Inductionem, consentio. Si verò attendatur imperfectio ex parte ipsius Orationis inferentis quod intenditur persuadere, non ita facilè subscribo: quippè qui sentiam, Enthimema, ut brevius, itá robustius, unicâ præstans propositione antecedente, quod geminâ præmissâ Syllogismus; proindèque idem habens in virtute, brevitatem addens audientibus gratiorem. Ad eum modum Exemplum hôc Inductioni eminere videtur, quòd hæc pluribus indigeat ad suadendum: illud tantæ efficaciæ, ut se solo convincat.

Enthimema quò brevius, eò robustius.

2 Est autem Oratio, qua opportunè proposito alterius facto, dictove, res consimilis infertur agenda. Sufficienter discriminatur à Comparatione inter Oratorios Locos relata: quia hæc non necessariam habet illationem, sed pluribus partibus Orationis deseruit, ut Narrationi, Amplificatio-

Exemplum quomodò differat à Comparatione.

tioni, & similibus. De hac autem argumentandi forma admodùm manifesta, illud tantummodò monemus, ut artificiosè diligenterque tractetur: nec rudi illo usitatoque modo, quo utplurimum solet, putà: Petro jugitèr culpam trinæ negationis lugenti Deus pepercit: parcet ergo & tibi, si peccatorum pœniteat. Vulgarem nimìs hanc existimamus formam argumentationis ex Exemplo, & elevatiorem habemus ad manum ex Sanctis Patribus, quam observandam, imitandamque proponimus.

3 Hìnc exaggerans *Ambrosius* filialem ergà Genitores reverentiam, dum ageret de Filiis Noë nudatum Patrem aversâ facie velantibus, in probationem adducit Romanum morem. [Litera evidentem pietatis expressit affectum, quòd nudatum amictu Patrem boni Filii videre caverunt: nè paterna reverentia vel ipso minueretur aspectu: siquidem etiam tacito vultu Pietas frequentèr offenditur. Unde etiam Romæ vetus fuisse usus dicitur: nè filii cum parentibus, & maximè puberes, intrarent lavacrum.] Et alibì ad jejunium suadendum. [Et quid de Viris loquar? Judith luxurioso Holophernem haudquaquàm inflexit convivio: solo titulo sobrietatis, desperatum lacertis virilibus reportavit triumphum, Patriam obsidione exuit, Ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum evidens, quòd, & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria sua emollivit: & hanc Fœminam temperantia cibi fortiorem viris fecit. Non hìc in sexu suo victa est Natura, sed luxuria in cibo suo victa est, & Regem superbum suis inclinavit jejuniis.]

Lib. de Noë, & Arca cap. 31.

Filii puberes simùl cum parentibus nequaquàm intrabât balnea.

Epist. 82. aliquantò post init.

Judith jejunans Holophernem peremit.

4 Et infrà pro Patientiæ munere commendando, ut alterius iræ locus detur, & rixæ occasio præcidatur, id probat ex duplici in una sententia exemplo, Jacob videlicèt peregrinantis, & Matris à se dilectum filium mittentis. [Imitare Patriarcham, qui de consilio matris longinqua petiit. Et Matris cujus? Rebeccæ utique, hoc est Patientiæ. Cujus enim, nisi Patientiæ hoc consilium esse poterat? Amabat mater: contrà affectum pii amoris dimittit Filium: maluit enim sibi eum exulare, quàm Deo. Et quia bona mater, utrique detulit: Juniori filio benedictionem, quam conservare poterat: non enim filium filio, sed impigrum otioso prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parùm contulit, amando minorem filium, nè parricidium faceret.] Et ad jejunium provocans, exemplo urget Domini jejunantis. [Bonum est quidem cun-

Ibid. ad fi.

Rebecca prudèter minorē majori Filio prætulit.

Ser. 34.

ctis temporibus jejunare: sed melius Quadragesimam jejunare cum Christo. Hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. * Quo dixi jejunio, non jejuniis; unum enim jejunium Domini fuit: quia continuatis quadraginta diebus, & noctibus, cibum omninò non sumpsit: Quisquis ergo Christianus consecratam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis, & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem divinitùs pro salute sua datam prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non custodis. *Qualis autem Christianus es, cùm Domino jejunante tu prandes? Qualis Christianus es, cùm Christo esuriente tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet: tu pro peccatis tuis jejunare formidas.] Ubi etiam est alia probandi formula infrà expendenda, per Argumentum à fortiori.

** Epizeuxis Figura.*

Jejunium Quadragesimæ commendatur.

** Argumentatio à fortiori.*

5 Christi vocationi continentèr parendum probat *Gregorius* exemplo, & argumento à fortiori: [Audistis fratres charissimi, quod ad unius jussionis vocem Petrus, & Andreas, relictis retibus, sequuti sunt Redemptorem. Nulla verò eum facere adhùc miracula viderant: nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant; & tamen ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt. * Quanta nos ejus miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur, & tamen vocantem sequi contemnimus?]

Hom. 5. in Evang.

Petrus, & Andreas Christum vocãtem statim sequuti.

** Argumentatio à fortiori.*

6 Exemplo etiam Davidis habentis sub hasta Saulem inimicum in spelunca remotum, in tentorio dormientem, & ab ejus cæde abstinentis probat *Chrysostomus* cohibendam esse iram, hostique veniâ indulgendum. [Hæc nunc loquutus sum, non tantùm, ut laudemus Davidem, sed, ut æmulemur quoque. Hanc igitur historiam in suo quisque corde sibi depingat, contemplatione, veluti manu, assiduè proponens oculis speluncam illam, illam clamydem, ipsum Saulem intùs dormientem, somnoque perindè, ut catenâ vinctum, ejusque quem gravissimè læserat dextræ subjectum: David imminentem dormienti: præsentes milites, & ad cædem adhortantes: Beatum illum philosophantem, hoc est, & illorum animos, & suam ipsius iram cohibentem, eumque, qui tàm multa peccaverat, excusantem, ac defendentem. Hæc, inquam, non solùm in animo depingamus, verumetiàm in consessibus inter nos assiduè loquamur: has apud uxorem: has apud liberos frequentèr renovemus narrationes. Etenim sivè de Rege loqui

Hom. 1. de David, & Saul propè fi. to. 1.

David mansuetus in hostem.

Exemplum injuriæ non vindicandæ.

qui voles, ecce Rex: sivè de militibus, sivè de re familiari, sivè de publicis, civilibusque negotiis, videbis in scripturis horum omnium magnam copiam. Hujusmodi commemorationes, maximam afferunt utilitatem. * Impossibile est enim, impossibile inquam, est, animum in hoc genus historiis versantem à cupiditatibus superari.]

* *Epizeusis Figura.*

7 Ægyptianæ cladis exemplo in primogenitorum nocturna interfectione, probat *Rupertus*, peccatores obdurati animi, dùm nil minùs cogitant, pœnam daturos. [Cur media nocte dormientes placuit interfici? Videlicèt, ut historicum etiam exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret: scientes, quia quisquis exemplo Ægyptiorum thesaurizabit sibi iram Dei; nihilo minùs exemplo eorum improvisam accipiet vindictam.] *Salvianus* memorans Nadab, & Abiu filios Aaron offerentes ignem alienum, egressâ e Sanctuario flammâ consumptos, ait. [Quid enim aliud, quàm extentam super nos dexteram suam, & imminentem jugitèr gladium ostendere voluit, qui errorem supradictorum statìm in ipso opere punivit: nec penè peractum est facinus, quàm ulcisceretur pœna peccatum?] *Nanzianzenus* periculum Virginis pendens relictum sæculum denuò respicientis, & celeri gradu non fugientis, Loth, uxorisque exemplum indicat.

Lib. 2. de Exod. cap. 17.

Ægyptiorum primogeniti nocte percussi.

Lib. 1. de Provid.


Subita in peccatores Dei animadversio.

In Carm. quod inscribit. Pracep. ad Virg. post init.

* Nec verò Sodomam fugiens, Mundique favillas,
Horribilesque minas labentis ab Æthere flammæ,
Ad Sodomam flectas oculos: nefortè repentè
Concrescas salis in statuam, cunctisque columna
Publica tùm vitii prostes, tùm mortis acerbæ.
Nec Sodomam liquisse fugâ contentus, in arvis
Vicinis defige gradum, flammæque propinquis:
Sed celer in montem propera, ne te * igneus imber
Obruat, & sævos pariat mora longa dolores.

* *Stylus scripturalis per usum Historiæ.*

* *Metaphora.*



SECTIO III.

De Inductione, & Dilemmate.

1  Quamvìs Inductio sit Oratio ex pluribus Exemplis inferens intentum: nihilominùs non per hoc solùm statuitur nova argumentandi forma. Si enim multa proferantur exempla, ex quibus inducatur probatio, adhùc potest remanere intrà limites Exempli, nec Inductionem constituere, nisi multitudo exemplorum per modum unius propositionis se habeat, ex qua, velùt ex uno antecedente, inferatur Conclusio intenta. Quæ regula conformatur Dialecticæ, ex eo enim, quod hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit; sicque de aliis, veluti ex una propositione præmissa infert, quod omnis ignis calefacit. Unde sequentia Sancti Paulini carmina loquentis de Martiniano è navi in Cimbam saltu se demittente, non procedunt nisi ex Exemplo.

Inductio quomodò formanda.

Sicut recussis fugit olìm vestibus *Carm. 2. ad Auson.*
Joseph furentem fœminam:
Sic hic relictis omnibus nudus fugâ
Evasit infidam ratem.
Et sicut olìm jussa Jonam obvio
Excepit ore bellua,
Et hiulca latè lubricum per guttura
Transmisit in ventrem suum,
Incolume corpus * dente * suspenso vorans,
Et quem vorabat non edens:
Sic hunc alta nave in cernuum
Suscepit occurrens scapha.

Jonas in Ceto illæsus.

* *Heterosis singulare pro plurali.*

* *Et simul Energia.*

Nì potiùs hæc ad Locum à Comparatis affirmativis referre justiùs velis.

2 Inductionem verò ponit *Tertullianus* ad spem veniæ peccatori persuadendam, dùm ait. [Heùs tu peccator bono animo sis. Vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Quid illa similitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt: quod mulier dracmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium invitat? Errat, & una Pastoris ovicula, *Lib. de Pænit. cap. 8.*

Dei Misericordia in peccatores.

la,sed grex unâ charior non erat:Una illa conquiritur:una præ omnibus desideratur,& tandem invenitur, & humeris Pastoris ipsius refertur:multùm enim errando laboraverat. Illum etiam mitissimum Patrem non tacebo, qui prodigum Filium revocat, & post inopiam, pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum:convivio gaudium suum exornat: quidni? Filium enim invenerat,quem amiserat, chariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille vobis intelligendus Pater? Deus scilicèt, &c.]

3 Et alibì exaggerat,Confessoribus Fidei mortem non timendam ex inductione plurium tàm virorum, quàm fœminarum,aùt hostium rabiem ridentium,aut sibi manus ultrò inferentium. [Timebit forsitan caro gladium gravem,& Crucem excelsam,& rabiem bestiarum,& summam ignium pœnam, & omne Carnificis ingenium in tormentis. Sed Spiritus contraponat sibi, & carni, acerba licèt ista,à multis tamen æquo animo excepta: imò, & ultrò appetita Famæ, & gloriæ causâ, nec à viris tantùm, sed etiam à fœminis ...... Longum est si enumerem singulos, qui se gladio confecerint animo suo ducti. De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suæ pareret. Mutius manum suam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Minus fecerunt Philosophi: Heraclitus, qui se bubulo stercore oblitum exussit: item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis dissiluit: & peregrinus, qui non olìm se rogo immisit: cum fœminæ quoque contempserint ignes. Dido, cum post Virum dilectissimum nubere cogeretur: item Asdrubalis uxor, quæ jam ardente Carthagine, cum maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium Patriæ devolavit,&c.]

Lib. ad Martyr. c. 4.

Feminę obviam morti euntes.

Fama Nominis morte comparata.

4 Disertissimè *Sanctus Zeno Martyr*, hominis resurrectionem inductione probans. [Non homines tantùm, sed penè omnia suis * mortibus vivunt. Stellæ præcipites labuntur è Cœlo, & à tergo longo Stellarum albescentium tractu, funereæ facis solemnitate, in occasus suos,quasi quibusdam deducuntur exequiis. Sol quotidie nascitur,eademque die, qua nascitur, moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, ut repigret cursus, ut horas, & momenta producat, ut saltem paulò diutiùs diei sui demoretur in vita: sed fidelis semper, semper intrepidus, ad * sepulchrum noctis cognatæ contendit, * scius in ipso se habere, quod vivit:denique adimitur ei ortus, si ei aufertur occasus. Luna

Serm. de Resur.

* *Antithesis in sententia.*

Astrorum revolutio: Solis ortus, & occasus.

* *Metaphora.*

* *Energia.*

* Synecdoche. Pars pro Toto.

Lunæ vicissitudines.

* Circumloquutio Figura.

* Energia.

na quoque,quæ verè * Rationis humanæ omnia in se lineamenta depingit, nata sanguineæ teneritudinis dubio cornu, primò quasi de cunis apparet: paulatìmque crescendo in puellam jam Virgo, pro quotidianæ ætatis incremento progrediens,lascivi cursùs ambagibus carpit pensa mundana. At ubi matura, aureo igne flagrantis luciflui Aurigæ, * par * laboribus Fratris, augustis circulis argenteum complevit globum, paulatìm devergit in senium: donèc ultima senectute consumpta, sua morte reviviscens, menstrualis ignis solemni germine accenso, sumat rursùs de fine principium.]

5 Nec minùs eleganter *Ambrosius* inductione revincens Symmachum Urbis Præfectum supplici Libello Romam ipsam inducentem, & à Valentiniano Cæsare veteres sibi cultus restitui flagitantem, quibus se Orbis Imperium prætendebat obtinuisse.Probat autem Ambrosius,non Deorum sacrificiis, sed Ducum robore Rem crevisse Romanam. [Facessat igitur invidiosa illa Populi Romani querela. Non hæc Roma mandavit: aliis illa eos interpellat vocibus: Quid me casso quotidiè gregis innoxii sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum trophæa victoriæ sunt. Aliis ego disciplinis Orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio Signa, cæsis Tarpejæ rupis triumphatoribus, reportavit: stravit virtus, quos Religio non removit. Quid de Attilio loquar, qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter Capitolii aras, sed inter Hannibalis acies triumphum invenit, &c.] *Epist.* 31.

Romanorum Ducum virtus.

6 Inductione etiam *Cyprianus* Veri Dei Unitatem probat. [Ad Divinum imperium etiam de terris metuemur exemplum. Quando unquàm Regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum (*filiorum OEdipi*) germanitas rupta, & permanens, rogis dissidentibus,etiam in morte discordia.Et Romanos Geminos unum non capit Regnum,quos unum uteri cœpit hospitium.Pompejus, & Cæsar affines fuerunt: nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tantùm de homine mireris, cum in hoc omnis Natura consentiat. Rex unus est apibus, & Dux unus in gregibus, & in armentis Ductor unus: multò magis Mundi unus est Rector, qui universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat.]

Lib. cont. Idola Gentil.

Veri Dei Unitas.

Regni societas inconstans.

Dilemma modus vehemens argumentandi.

7 Dilemma sic dictum, quòd duplici constet lemmate, sivè

sivè membris invicèm pugnantibus, necessariò tamen alterutrum concludentibus. Oratio vehemens, utrimque premens: biceps enim, geminoque cornu, (vocata ideo *Argumentum cornutum*) velùt duabus impetit aciebus. Tale quippiam Christo legimus à Pharisæorum discipulis objectum: *Licet censum dari Cæsari, an non?* Ubi *D. Thomas*. [Et videte qualiter malitiosi erant. Quomodò habebat duo membra: scilicèt quod non solverent, ad honorem Dei pertinebat: quod solverent, ad favorem hominum. Unde voluerunt, quod honorem Dei quæreret, & viam Dei doceret: & sic si diceret, quod non, quod magis volebant, statìm caperetur ab Herodianis.]

Matth. 22. *D. Tho. ibid.* — Pharisæorum versutia in censûs solutione.

8 Sed Divina Sapientia astutos plenâ responsione confundens: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; in angustias Pharisæos dilemmatica interrogatione induxit. Alibì quoquè: *Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos: si licet Sabatho curare? At illi tacuerunt.* In quem locum, dilemma explicat *Beda*. [Sed meritò interrogati tacent: quia contrà se dictum quidquid dixerint, vident. Nam si licet Sabatho curare: quare Salvatorem, an curet observant? Si non licet: quare ipsi Sabatho pecora curant?] *Cyprianus* in Demetrianum invectus Fideles acri persequutione affligentem, ait. [Quæ est hæc insatiabilis carnificinæ rabies? Quæ inexplebilis libido sævitiæ? Quin potiùs elige tibi alterutrum de duobus: Christianum esse aut est crimen, aut non est. Si crimen est: cur non interficis confitentem? Si crimen non est: quìd persequeris innocentem?]

Lucæ cap. 14. *In eum locum.* *Lib. cont. Demetr.* — Christi interrogatione confusi.

9 Consimili forma *Hieronymus* Sathanam interpellat Christo jejunanti dicentem: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* [Sed duobus contrariis teneris ò Diabole. Si ad imperium ejus possunt lapides panes fieri: ergo frustrà tentas eum, qui tantæ potentiæ est. Si autem non potest facere: frustrà Dei Filium suspicaris.] *Ambrosius* fœneratorum fraudem arguens. [Fraus enim ista, & circumscriptio Legis est, non custodia. Et putas te piè facere, quia à negotiatore velùt mutuum suscipis. Inde ipsa fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram. . . . . . Si licitum est: cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis? Si illicitum est: cur incrementum requiris?]

Matth. 4. *Ibidem.* *Lib. de Tob. ca. 14.* — Fœneratores arguuntur.

10 Insupèr ineffabilem Charitatem Dei exaggerans, in hominis reparatione, elucentem in Patre, qui tradidit Filium,

lium, & in Filio, qui seipsum tradidit pro nobis; adeoque Filio Pater non fecit injuriam, quia tradidit volentem. Etiam tamen dato, quod repugnantem Filium Pater tradidisset, adhùc plùs Deo deberemus ex beneficio. [Vas electionis unitatem hanc Divinæ Charitatis evidentèr ostendit: quia & Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit. Pater tradidit, quia Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. De Filio quoque dicit: Qui se tradidit pro me. Tradidit, inquit: Si gratiæ: quid arguo? Si injuriæ, plùs debeo.] Alio etiam loco Arrianis improperans, quod ex Evangelio verba illa: *Spiritus est Deus* erasissent, sed frustrà: quoniam ex una parte ipsi dicebant, ea verba non pertinere ad Spiritum Sanctum, sed ad Patrem: ex alia obliterando illa, negabant Patrem esse Deum. [Cur auferebatur: quoniam Deus Spiritus est, si non pertinebat ad Spiritum? Si enim de Deo Patre vultis expressum: ergo, & Deum Patrem negatis, qui putatis esse delendum. Utrum vultis, eligite: in utroque vos laqueus vestræ impietatis adstringit.]

Dei Charitas in hominis reparatione.

Lib. I. de Spir. Sanct. cap. 12.

Joan. 4.

Arriani Sacræ Scripturæ verba subtraxerunt.

Lib. 3. de Spir. Sanct. cap. 13.

11 Idem Theodosium convincit, ejusdem in eo culpæ esse, aut confessionem, aut negationem extorquere ab Episcopo incensionis Synagogæ apud Cæsarem insimulato, & ait. [Necessè erit igitur, ut aut prævaricatorem, aut martyrem faciat. Utrumque alienum temporibus tuis: utrumque persequutionis instàr: si aut prævaricari cogatur, aut subire martyrium. Vides quò inclinet causæ exitus? Si fortem Episcopum putas: caveto martyrium fortioris. Si inconstantem: declina lapsum fragilioris.] Et Symmachi positionem redarguens dicentis, victorias à Romanis ex Deorum auxilio partas: [Verùm * quid negem, Sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Hannibal eosdem Deos colebat. Utrum volunt igitur eligant. Si in Romanis vicerunt Sacra: in Carthaginensibus ergo superata sunt. Si in Carthaginensibus triumphantia: Romanis utiquè non profuerunt.]

Epist. 29.

* *Concessio Figura.*

12 Sæpè hanc argumentandi formam vehemens *Tertulliani* stylus usurpat, præsertìm arguens excusationem malè concupiscentium, sibique adulantium de culpa, quam concupiscerent, non exequerentur. [Vanissimum est dicere: *Volui*, nec tamen *feci*. Atquìn aut perficere debes, quia *vis*: aut *nec velle*, quia *nec perficis*. Sed ipse conscientiæ tuæ confessione pronuncias. Nam si bonum concupisceres perficere gestisses. Porrò sicut malum non perficis, nec con-

Concupiscentia mali mala est.

Lib. de Pœnit. cap. 3.

concupiscere debueras. Quàque te constitueris, crimine adstringeris: quia aut malum volueris: aut bonum non adimpleveris.]

13 Idem, postquàm Dei Unitatem probasset, eoquòd nequeunt esse duo Summa Magna, subdit. [Ineluctabilis iste Complexus in hoc sententiam constringit: Aut negandum, Deum esse Summum Magnum; quod nemo patietur sapiens: aut nulli alii communicandum.] Et infrà, Deum Novum à Marcione confictum, chimæricum esse probat dilemmate, cujus tamen utramque partem negandam esse, ratione suadet. [At enim viva, & germana Divinitas, nec de novitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur. Non habet tempus Æternitas: omne enim tempus ipsa est: quod facit, pati non potest: caret ætate, quod non licet nasci. Deus si est vetus: non erit. Si est novus: non fuit. Novitas initium testificatur: vetustas finem comminatur. Deus autem tàm alienus ab initio, & fine est, quàm à Tempore arbitro, & metatore initii, & finis.] *S. Paulinus* Ausonio quærenti de longa Sancti Præsulis in solitudine mora, sic dilemmate satisfacit.

Ibid. cap. 8.

Deus verus, nec novus, nec vetus.

In Carm. 1. ad Auson.

Sed cur remotus tandiù degam arguis,
　Pioque motu irasceris?
Conducit istud: Aut necesse est: aut placet:
　Veniale quidquid horum erit.
Ignosce amanti, si geram quod expedit:
　Gratare, si vivam ut libet.

SECTIO VI.

Aliæ Argumentationum Formæ:

1 
Quia præcipuum Orationis robur in argumentis, quibus mentem vincendo, affectum inclinat, & docendo movet, non incongruum videbitur adducere singulares eorum modos à Patribus servatos. Nonnumquàm ergò argumentum procedit *à majori ad minus*: quod tunc quidem valet affirmativè, cùm res antecedens aliquam habet respectu rei illatæ rationem Causæ, sivè finalis, sivè efficientis, sivè etiam exemplaris. Quarè ad ea verba: *Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit, & mortalia corpora vestra*, ait alibì *D. Thomas*, [Sed

Ad Rom. 8.

[Sed videtur, quod hæc argumentatio non valeat, cum sit locus à majori affirmando: quia licèt Christus resurrexit specialitèr ex virtute Divinitatis suæ, non sequitur, quod alii homines resurgant. Sed ad hoc dicunt aliqui, quod non est locus à majori, sed à simili. Mori enim, & resurgere competit Christo secundùm Humanam Naturam. Et dicunt, quod est simile argumentum, sicut si dicerem: Anima Sortis est immortalis: ergo omnes, scilicèt animæ hominum sunt immortales. Videtur autem, quod sit meliùs dicendum, quod sit locus à Causa: quia Resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ. Et ideò dicendum est: *Si Christus*, qui est Causa efficiens nostræ resurrectionis, *resurrexit, quomodò, &c.* Sed tamen non est dicendum, quod sit Causa efficiens tantùm per modum meriti: quia resurgendo non meruit eam, cum jam esset Comprehensor, & viveret vitâ gloriosâ: nisi fortè meritum resurrectionis mortuorum referatur ad Passionem Christi. Nec est Causa Exemplaris tantùm, ut quidam dicunt, sed est Causa efficiens, & exemplaris. Undè Augustinus dicit super Joannem: Quod Verbum Caro factum vivificat animas, & resuscitat mortuos. Sic ergò patet, quod si Christus resurrexit, & mortui resurgent.]

In 1. ad Cor. cap. 15. lect. 2. post ini.

Christi resurrectio causa nostræ resurrectionis Efficiens, & Exemplaris.

2 Hoc argumento probat *Ambrosius*, non esse pauperes contemnendos à divitibus, ac potentibus, ex eo, quod Dominus universorum paupertatem nedùm amare, sed dignatus est in se consecrare.] Exinanivit se, cum esset in Dei forma: cum dives esset, pauper factus est. * Noli, & tu contemnere plebejum, quia Nobilis: noli despicere servum, quia potens es: noli pauperem fastidire, quia dives es. Nunquid nobilior, nunquid potentior Christo es? Ille pro te suscepit illa, quæ tu despicis, &c.] *Tertullianus* ex præcepto Apostoli, ut mulier caput velet propter Angelos, infert, etiam esse velandum propter homines. Si enim fœmineus decor olìm potuit Angelos malos (ut ejus sententia est propter ea verba: Videntes Filii Dei filias hominum, &c.) ad obscænos concubitus inducere, inclinabit quoquè ad inhonestos ausus homines. [Et cum Deo assistens, cui rea est Angelorum exterminatorum, cæteris quoquè Angelis erubescat: & malam illam aliquandò libertatem capitis sui comprimat, jam nec hominum oculis offerendam.] Alibì quoquè probat, Deo non inconveniens fuisse, quod quasdam humanas in assumpta Natura infirmitates susceperit, cum majus quid substinuerit, nempè mortem. [Si enim Deus, & quidem sublimior, * tanta humilitate fastigium Di-

** Complexio Figura.*

Serm. 20.

Pauperes non despiciendi.

Fœmina velanda, nè scandalo sit.

Lib. de Virgin. velan. cap. 7.

** Exaggeratio Figura.*

Lib. 2. cont. Marc. cap. 27.

Divinitatis ſuæ ſtravit, ut etiam morti ſubjiceret, * & morti Crucis: cur non putetis noſtro quoque Deo aliquas puſillitates congruiſſe, tolerabiliores tamen Judaicis contumeliis, & patibulis, & ſepulchris?]

* *Emphaſis in ſententia.*

3 Alio modo Argumentum procedit *a Minori ad majus*. Pro quo ad ea verba: *Quod ſi miniſtratio mortis, literis deformata in lapidibus fuit in gloria; itaut non poſſent intendere Filii Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur: quomodò non magìs miniſtratio Spiritûs erit in gloria?* Hac argumentandi forma uſum Apoſtolum obſervat *D. Thomas*. [Arguitur autem ex hoc sìc. Et primò per unum ſimile; & eſt locus à minori. Conſtat enim, quod ſi aliquid, quod minus eſt, habet aliquid de gloria, quod multò magìs illud, quod majus eſt. Sed Vetus Teſtamentum eſt minus, quàm Novum: cum ergo illud fuerit in gloria, itaut non poſſent, &c. videtur, quod multò magìs Novum eſt in gloria . . . . Concluſio ponitur, cum dicit: *Quomodo non magìs*, quod planum eſt. Horum autem rationem aſſignat conſequentèr cum dicit: Nam ſi miniſtratio,&c. Et eſt ratio ſua talis: Gloria magìs debetur Juſtitiæ, quàm damnationi: ſed miniſterium Novi Teſtamenti eſt miniſterium Juſtitiæ, quia juſtificat interiùs vivificando: Miniſterium autem Veteris Teſtamenti eſt miniſterium damnationis occaſionaliter, ſuprà eodem: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Cum ergò miniſtratio damnationis, ideſt miniſtratio Veteris Teſtamenti, quæ occaſionaliter eſt cauſa damnationis, ut dictum eſt, eſt in gloria, quæ apparuit in facie Moyſi: conſtat, quod multò magìs abundat in gloria, ideſt dat abundantem gloriam Miniſtris ejus, miniſterium Juſtitiæ, ideſt Novi Teſtamenti, per quod datur Spiritus, per quem eſt Juſtitia, & conſummatio Virtutum.]

2. Cor. 3.

D. Thom. ibid. lect. 2. me.

Miniſterium Veteris Teſtamenti quomodò ſit miniſterium damnationis.

4 Proſequitur idem argumentum Apoſtolus ſubdens: *Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multò magìs quod manet, in gloria eſt.* Ponderante *D. Thoma* vim rationis. [Dicit ergo: Dixi, quod miniſterium Juſtitiæ abundat in gloria, & intantum, quod gloria Veteris Teſtamenti non eſt dicenda gloria: quia *nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* Quod duplicitèr exponitur. Primo modo sìc: *Quia nec, &c.* ideſt illa gloria nihil eſt in comparatione ad iſtam Novi Teſtamenti: quia illa gloria non eſt omnibus Miniſtris collata, ſed ſolùm Moyſi, & non claruit in toto Moyſe, ſed in parte, ideſt in facie

Ibid.

S. Thom. ibid.

Novi Teſtamenti ſuprà Veteris excellentia.

faciè solùm particularitèr. Et ideo *nec glorificatum est,* ideft nec glorificari debet,*propter excellentem gloriam,*ideft comparatione excellentis gloriæ Novi Teftamenti, quæ abundat gratiâ, ut per eam purificati homines poffint videre non gloriam hominis, fed Dei. Secundo modo, ut punctetur fic: Nec glorificatum eft, quod claruit;quafi dicat: Nam in hac parte, ideft refpectu hujus naturæ particularis, quia fumus fervi, non eft glorificatum,ideft non gloriofum illud, quod claruit in Veteri Teftamento: & hoc propter excellentem gloriam,quæ eft in Novo,quia illa eft gloria Dei Patris. Hujus autem caufam affignat confequentèr, cum dicit: *Si enim quod evacuatur,&c.* Et eft ratio fua talis:Illud, quod datur, ut tranfeat, nihil eft in refpectu ad illud, quod datur, ut femper maneat. Si ergò Teftamentum Vetus, quod evacuatur, tollitur, 1. Cor. 13. Cum venerit quod perfectum eft, evacuabitur quod ex parte eft, per gloriam Moyfi miniftratum per particularem gloriam:conftat, quod Teftamentum Novum manet,quia hìc inchoatur,& perficitur in Patria: *erit multò magìs in gloria* æterna, in qua perficietur: Erit, inquam, Nobis, qui fumus ejus Miniftri.]

5 Tractat eumdem argumentaudi modum *Auguftinus.* [Judicante Salomone, Meretrix non dimifit dividi Filium fuum, & tu dividis Deum? Illa etsì meretrix, tamen pia, quia mater, quid dicit? Date illi puerum, & nolite dividere. Ecce ego dico: totum poffide, & noli dividere Deum.] *Theodoretus* loquens de Rege Balthaffar ad fcripturam in pariete nimìs exterrefacto. [Quòd fi digitorum fcribentium fpecies ita perterruit eum, qui maximum adminiftrabat Regnum, ut etiam articulorum compages præ metu difsolverentur, & artus tremore occupati concuterentur: quid non fubftinuiffet Deo infeftus, fi præfteras confpexiffet, aut Angelos torvè intuentes, & novo figuræ habitu deterrentes?]*Ambrofius* ex efficacia Solaris jubaris,quo oriente, nequeunt aftra Cœleftem campum tenere,& abfconduntur: probat, iure tres Apoftolos cecidiffe in facies fuas, Chrifto transfigurato, & gloriam Corporis oftendente. [Namquè ipfos Stellarum globos Sol exortus obducit, & omnia Cœlorum lumina mundano fub Sole vanefcunt: Quomodò ergò fub Æterno Sole Juftitiæ, atquè illo fulgore Divino videri poterant Stellæ carnales?]

Ser. 200. de temp.

Deus totus poffidendus.

Orat. 5. in cap. 5. Dan.

Gloria Corporis à Chrifto oftenfa in monte.

6 Ad Carnis refurrectionem evincendam *Tertullianus,* adducto Phœnicis interitu, novoque ex cineribus ortu, ex eo probat,multò certiùs ab homine tenendum, quod refurgat,

gat, cum avis naturali instinctu mortem oppetat, ut in vitam reintegretur. [Multis passeribus antistare nos, Dominus pronunciavit: si non et phœnicibus, nihil magnum. * Sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis?] *Prudentius*, de Pugna animi, inducens loquentem Virtutem Liberalitatis Fidelibus, quò spem in omnium Provisore ponant, hæc illam fari verisimiliter præsumit.

Lib. de Resurr. Carn. cap. 13.

Phœnix avis Arabica.

* *Interrogatio negans. Figura.*

Confidunt Volucres, victum non defore, viles,
Passeribusque subest modico venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem
Nè pereant: Tu * Cura Dei, Facies quoque Christi,
An dubitas, nè te tuus unquàm deserat Author?

Psychomachia, seù lib. de Pugna animi. Sect. 7.

* *Epitheta.*

7 Uterque hic modus dat formam illam probandi, quæ dicitur *per Argumentum à fortiori*, addens majorem efficaciam in concludendo, & in redarguendo vehementiam. *Ambrosius*. [Tamen Constantinopoli dudùm domus Episcopi incensa est, & Filius Clementiæ tuæ intercessit apud Patrem, ut & suam, hoc est * *Filii Imperatoris* injuriam, & domûs Sacerdotalis incendium non vindicares. Non consideras Imperator, nè, & hoc cum vindicari jusseris, ipsa iterùm interveniat, nè vindicetur? Sed benè illud acquisitum est a Patre Filio, Dignum erat enim, ut suam injuriam priùs ipse donaret. Benè illud cum gratiæ distinctione divisum est, ut & Filius pro sua, & Pater pro Filii injuria rogaretur. Hìc nihil est, quod Filio reserves: * *Sed vide nè quid Deo deroges.*]

Epist. 29. ad Theodos.

* *Emphasis in verbo Figura.*

* *Laconismus.*

8 Idem etiam *Ambrosius* per argumentum à fortiori probat, quod si aliqui Principes Christiani Sacra Deorum non removerunt ex quadam nimia indulgentia ergà Gentiles, multò magìs Valentinianus eadem permittere non debebat, ut honorem deferret Fratri illa omninò prohibenti. [Te tamen Imperator ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cùm de Superioribus Principibus texuisset: quia prior eorum numerus Cæremonias Patrum coluit: recentior non removit: addidisset etiam: (*Symmachus*) si exemplum Religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum; evidentèr docuit, quod, & Fidei tuæ debeas, ut Gentilitii ritûs non sequaris exemplum: Pietati, ut Fratris statuta non violes. Si enim pro suis dumtaxàt partibus, eorum dissimulationem Principum prædicarunt, qui cum

Epist. 31.

essent

essent Christiani, decreta tamen Gentilium minimè removerunt: *quantò magìs* amori debent deferre fraterno, ut qui dissimulare deberes, etiam si quid forsitàn non probares: nè fraternis derogares statutis, & nunc teneas, quod & Fidei tuæ, & Germanitatis necessitudini judicas convenire?]

9 Sæpissimè hac utitur formâ *Tertullianus*, cujus en aliquot exempla. [Deos, inquitis, non colitis, & pro Imperatoribus Sacrificia non impenditis: Sequitur, ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobis ipsis, semel Deos non colendo.] Et infrà probat, Christianam Legem perfectissimè ad Virtutem promovere, quia etiam aliqua inhibet, quæ minima videntur in generibus Vitiorum. [Atqueadeò quid plenius, dicere: non occides; an docere, ne irascaris quidem? Quid perfectius, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius, de maleficio, an & de maliloquio interdicere? Quid instructius, injuriam non permittere, an nec vicem injuriæ sinere?] Et alibì optimè evincit, falsò Christianis imponi crimen Sacrilegii, in quibus nec minora deprehenduntur: falsò etiam dici hostes Imperatoris, cum nullius hominis adhùc vilissimi odio teneantur. [Tamen nos, quos Sacrilegos existimatis, nè *in furto* unquàm deprehendistis, nedùm *in Sacrilegio* ...... Christianus *nullius* est hostis, nedùm *Imperatoris*, quem sciens a Deo suo constitui, necessè est, ut & illum diligat, & revereatur.]

In Apol. cap.6.

Christiana lex motus internos perfectè cohibet

Ibid. cap.45.

Christiani, Imperatores, etiam Gentiles reverebantur.

Lib. ad Scapul.cap. 2.

10 Fœminarum quoque cultum acritèr impetit, ex eo quod si illo Sæculo Noë, sinè hujusmodi lenociniis tuncusquè usui non habitis, muliebris forma Angelos (ut ipse opinatur) ad libidinem provocavit: à fortiori, quocumque ornatu abacto, placere poterit hominibus. [Quid autem tanti fuit ista monstrare, sivè conferre? Utrumnè mulieres sinè materiis splendoris, & sinè *ingeniis decoris placere non possent hominibus, quæ adhùc incultæ, & incompositæ, & ut ita dixerim, crudæ, ac rudes, Angelos moverant?] Eumdemque alibì corripiens abusum. [Quantùm autem à nostris disciplinis, & professionibus aliena sunt: quàm indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, quibus linguâ non licet: appetere quod datum non sit, quibus alieno abstinendum: speciem exercere, quibus studium pudicitiæ est? Edite benedictæ: quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta non custodientes?]

Lib. de Hab. Mul. cap. 2.

* *Metonimia. Potentia pro actu.*

Fœminarum cultus coërcendus.

Lib. de cult. Fem. cap. 5.

11 Tan-

11 Tandem, ut probet, providentissimè Deum homini consulere, ut à martyrii corona non absterreatur, præsentissimâ gratiâ, providaque suavitate, duplici id evincit argumento à fortiori. Primo,quia si homo in Prothoparente voluntariè mortem incurrit peccando, à fortiori tanquàm pœnæ remedium, spontaneam pro Christo mortem debet oppetere. [Acceperat à Domino suo, ut à Medico, satìs utilem disciplinam secundùm legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodò arbuscula temperaret, quam ipse Medicus importunam interìm norat: audiit ille quem maluit, & abstinentiam rupit, edit inhibitum, & * transgressione saturatus,in mortem eructavit, dignissimus bona fide in totum periisse,qui voluit. Sed Dominus substentato fervore delicti, donec tempore medicina temperaretur, paulatìm remedia composuit, omnes Fidei disciplinas: & ipsas æmulas vitio, * verbum mortis verbo vitæ rescindentes, auditum transgressionis auditu devotionis limantes: ita, & cum mori præcipit Medicus ille, veternum mortis excludit. *Quid gravatur* pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc gravatus pati ex vitio? Displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? Nauseabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum?]

In Scorp. adv. Gnost. cap. 5.

Adæ transgressio.

* *Metonimia Adfus Vitii pro Vitii materia.*

* *Antithesis in sententia.*

12 Secundò argumento consimili procedit, probando ex alacritate, qua certantes in stadio, sanguine, & vulneribus gloriantur; inferens, à fortiori posse Deum Fideles suos ad confessionis certamina provocare, quibus immortalia dona promittit. [Ita ab Ævo dignissimum creditum est stadiorum experimentum committere, artes corporum, & vocum præstantiam expendere, præmio indice, spectaculo Judice, sententiâ voluptate. Quâ nulla sunt prælia, nonnulla sunt vulnera: * pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant. Nemo tamen agonis Præsidem sugillaverit, quòd homines violentiæ objectet. Injuriarum actiones extrà stadium: sed quantùm livores illi, & cruores, & vibices negotiantur intendis, coronas scilicèt, & gloriam, & dotem, privilegia publica, stipendia civica, imagines, statuas, & qualem potest præstare sæculum de Fama * Æternitatem, de Memoria * resurrectionem. Pyctes ipse non quæritur, dolere se non vult: corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat, plùs victoriatum est,quàm injuriatum:hunc tu læsum existimabis, quem vides lætum? Sed nec victus ipse de Agonotheta casum suum exprobrabit: *Deum dedecebit*, artes, & disciplinas

Ibid. cap. 6.

Stadiorum certamina, & vulnera.

* *Congeries in sententia. Figura.*

* *Synecdoche Maximum pro Minimo.*

* *Æquivocum.*

nas

nas suas educere in medium, in hoc Sæculi spatium, in spectaculum hominibus, & Angelis, & universis Potestatibus? Carnem, atque animam probare de constantia, atque tolerantia: dare huic palmam, huic honorem, illi Civitatem, illi stipendium: etiam quosdam reprobare, & castigatos cum ignominia submovere? Nimirùm * præscribes Deo, quibus temporibus, aut modis, aut locis de Familia sua judicet, quasi non & præjudicare, Judici congruat.]

* *Argumentatio per reductionem ad impossibile.*

SECTIO V.

De Formis argumentandi ex Propositione Adversarii.

1 Aximè efficax argumentum est, cum ex Propositione statuta, defensa, aut permissa ab Adversario, concluditur intentum, non illius, sed Oratoris. Hoc autem tripliciter evenit: Vel illam destruendo ratione evidenti, aut firma authoritate, indèque oppositum ejus concludendo, quod Adversarius opinabatur. Sic Hæreticam positionem, quod Spiritus Sanctus Deus non esset, nec Deum vidisset, cum scriptum sit: Deum nemo vidit unquàm, optimè *Ambrosius* destruit, inferens Sancti Spiritus Divinitatem. [* Quomodò enim Deum non videt, qui scrutatur etiam alta Dei? Quomodò Deum non videt, qui cognovit, quæ Dei sunt? Quomodò Deum non videt, qui cognovit, quia ex Deo est? Ergò cum ita positum sit: quia Deum nemo vidit unquàm, vidit autem Spiritus, utique exceptus est Spiritus. Supèr omnia igitur est, qui est exceptus ex omnibus.]

* *Repetitio Figura.*

Lib. 1. de Spir. Sanct. cap. 1.

2 Vel ex propositione Adversarii deducendo inconveniens, quod nec ipse admittere possit, unde cogatur ad Oratoris intentum inclinare. *Ambrosius* ex propositione quorumdam dicentium, tot Virgines Deo consecrari non debere, cum multiplicatio Humani Generis impediatur: infert permittendum uxoribus adulterari, (quod inconveniens est) nam adulteræ magìs multiplicant hominum generationes. [Quod si quis hoc prohibet: * prohibeat igitur pudicas uxores degere: quia frequentiùs possunt parere Incontinentes. Nulla peregrinanti marito fidem servet: nè damnum faciat prolis futuræ, & partûs frequentioris amittat ætatem.]

* *Concessio Figura.*

Lib. 3. de Virg.

Et

Et alibi Valentinianum exhortans nè Gentilium aras restitueret: nevè aliquorum persuasione ad hoc adduceretur, quasi id ad civile dominium, non ad fidei periculum pertineret, ait. [Quod si aliqui, nomine Christiani, tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc suadet, sacrificat,& quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est unius sacrificium, quàm lapsus omnium, Totus hìc Christianorum periclitatur Senatus.] *Prudentius* ex Gentilium positione, quod anima hominis mortalis esset, oppositum adstruit ex inconvenientibus.

Epist. 30.

Christiani quidam solo Nomine.

In Carm. cōt. Symm. Sect. 2.

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam:
Quis mihi Regnator Cœli? Quis Conditor Orbis?
Quis Deus? aut quæ jam meritò metuenda Potestas?
Ibo per impuros, fervente libidine, luxus,
Incestabo * thoros, sacrum calcabo pudorem:
Inficiabor habens aliquod, sine teste, propinqui
Depositum, tenues avidus spoliabo Clientes.

* Synecdoche.

3 Tertiò ex asserta, aut admissa ab Adversario Propositione, infertur alia propositio contrà ipsum, & dicitur *Argumentum ad hominem*, robustum planè, & cujus vis eludi non potest. Hinc protestantibus Judæis: Non habemus Regem, nisi Cæsarem, nec inficiari valentibus Jacob Patriarchæ vaticinium: Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donèc veniat, qui mittendus est; infert *Augustinus* ex eorum verbis, vera Pilatum dixisse: Regem vestrum crucifigam? & Christum verè esse Regem Judæorum. [Ergò Judæi, si non habetis Regem, nisi Cæsarem, defecit jam Princeps de Juda: venit ergo ille, cui Regnum promissum est.] Ad hominem etiam *Ambrosius* convincit Symmachum Urbis Præfectum Sacra Deorum à Valentiniano restitui flagitantem. [In prima propositione, flebili Roma quæstu sermonis illachrymat, veteres, ut ait, cultus cæremoniarum requirens. Hæc Sacra, inquit, Hannibalem a mœnibus: a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum Sacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergò * Hannibal diù Sacris insultavit Romanis: & Diis contrà se dimicantibus, * usquè ad muros Urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus Deorum suorum arma pugnabant?].

Joan. 19. Genes. 49. Enarr. in Psal. 75. Epist. 31.

Judæi de adventu Christi sua confessione cōvicti.

* Insultatio.
* Irrisio.

4 Ex duplici porrò Judæorum propositione: alterâ, qua dicenti Pilato: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam; responderunt: Nobis non licet interficere quemquam; & alterâ, qua projectos à Juda denarios in templo, dixerunt: Non licere eos in corbonam mitti; optimè *S. Leo Papa* ad hominem eos convincit, non licuisse eis instare Pilato, ut Christum in Crucem tolleret: nec pecuniam proditoris accipere. [Principes enim Sacerdotum, & Seniores Populi hoc consilio rem gerebant, ut ab actione sceleris viderentur immunes, subtrahentes opera manuum, & exercentes * tela linguarum: nolentes interficere, & clamantes crucifige, crucifige. Quid hac specie Religionis injustius? Quid hac clementiæ simulatione crudelius? * Qua lege, Judæi, quod vobis non licet facere, licet velle? Qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit? Contaminari occisione ejus metuitis, cujus super vos, & super filios vestros fundi sanguinem postulastis. Si non totum facinus vestra impietas peragit: permittite, Præsidem judicare quod sentit. Sed vos etiam in ipsum graves, atque violenti, in id eum declinare non sinitis, a quo ipsi mendacitèr abstinetis. Peccaverit Pilatus faciendo quod noluit; in vestram tamen conscientiam confluit quidquid furor vester extorsit. Talis etiam illìc vestra observantia fuit, ubi pretium, quod vobis Christi venditor reportavit, mitti in gazophylacium noluistis, caventes scilicet, nè Sacros Loculos pecunia cruenta pollueret. Cujus cordis est ista simulatio? Sacerdotum conscientia capit, quod Templi arca non recipit. Refutatur illius sanguinis taxatio, cujus non timetur effusio. Quantislibet itaque vos fallaciæ circumtegatis umbraculis, initum est cum Traditore commercium, quo justum sanguinem sicut non licuit comparari, ita debuit non effundi.]

Ser. 6. de Pass.

* *Metaph. de Genere ad Genus.*

In eos invectiva.

* *Interrogatio increpantis. Figura.*

5 Eadem formâ *Tertullianus* à scænicis spectaculis avocans, eos convincit admittentes, non sibi licere ea dicere, quæ Histrio proferret, audire tamen non sibi interdictum esse putantes. [Quod si nobis omnis impudicitia execranda est: cur liceat audire, quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem, & omne vanum verbum judicandum à Deo sciamus: cur æquè liceat videre, quæ facere flagitium est?] Et infrà eisdem ludis intervenientes, sibique blandientes de innocentia intentionis, cum Deus eos ludos sinè contaminatione intueatur, sic ad hominem arguit. [Novam proximè defensionem suaviludii cujusdam audivi. Sol, inquit, imò etiam ipse Deus de Cœlo spectat, nec contaminatur

Videre non licet, quæ non licet facere, si mala sunt.

Lib. de Spectac. cap. 17

Ibid. c. 20.

.... Id-

. . . . Idcircò ergò nos non spectabimus, nè videamur ab illo, qui omnia spectat. Compares, homo, reum, & Judicem: reum, qui quia videtur reus est: Judicem, qui quia videt Judex est.]

Spectacula non adeunda.

6 Quo robore præstet hæc ad hominem argumentandi formula vix dici potest. Nostra enim principia quis negare, vel in dubium revocare non verebitur: sua verò qualiter inficiabitur, & conclusionem sine defectu deductam? Hinc *Eusebius Emissenus*: [Speciosa victoria est, contrariam partem cartulis suis, velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum technis suis evincere: ut pugnatoris argumenta tuis probentur utilitatibus militare.] Si tamen liceat hunc argumentandi modum aliquantò ampliare, ad eum reducendum censemus alium, nonnihil participantem de modo suprà explicato arguendi ex sequela inconvenientis, accedentem tamen propiùs ad præsentem, ut subjecta exempla consideranti patebit. Estque cùm ex propositione Adversarii conclusio illata nobis quidem non prodest: illi tamen suæ ostendit propositionis insubsistentiam.

Hom. 2. de Pasch.

7 Hoc modo *Tertullianus* Gentiles redarguit, ideò quibusdam hominibus Divinitatem tribuisse; quòd aliquid de novo adinvenerint. [Cæterùm si propterea Liber Deus, quòd vitem demonstravit: malè cum Lucullo actum est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgavit, quòd non est propterea consecratus, ut novæ frugis author, quia inventor, & ostensor.] Et infrà ex quo omnes Dii fuere homines perditissimi, (nec negare ullus poterat) & nihilominùs publico cultu adorati, infert: non debere Romanos à viris improbis abhorrere. Hoc autem ipsis nefas: igitur falsò Dii tales homines appellantur. [Illùc enim (*in tartareum carcerem*) abstrudi solent impii quique, in parentes, & in sorores incesti, & maritatarum adulteri, & Virginum raptores, & puerorum contaminatores: & qui sæviunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicumque similes sunt alicujus Dei vestri. Quem neminem integrum à crimine, aut à vitio probare poteritis, nisi hominem negaveritis: atquin ut illos homines fuisse non possitis negare, *etiam ista notæ accedunt, quæ nec Deos posteà factos credi permittunt.* Si enim talibus (*hominibus improbis*) vos puniendis præsidetis, si commercium, colloquium, convictum malorum, & turpium probi quique respuitis: horum autem pares Deus ille (*Juppiter*) majestatis suæ consortio adscivit: quid

In Apol. cap. 6.

Lucullus primus cerasa ex Ponto asportavit.

Ibid. cap. 10.

Dii Gentium criminosi.

ergò damnatis (*impios homines*) quorum collegas adoratis? Sugillatio est in Cœlo vestra justitia. Deos facitis criminosissimos quosque, ut placeatis Diis vestris, illorum est honor consecratio coæqualium.]

8 Ex propositione insupèr Symmachi contendentis restituenda Deorum sacrificia, & servandam fidem tot Sæculorum, ac ad priscum morem Romam reducendam, quia antiquus repetendus est ritus: infert seriò ludens *Prudentius*, antiquas etiam repetendas fore rusticitates, necnòn cruentas victimato sanguine hominum cædes. Quæ illatio aliam inducit, nempè priscos falsorum Numinum ritus abolendos.

Antiquorum rustici mores, & impii.


In Carm. cont. Symmach. Sect. 3.

. . . . Redeamus ad antra,
Pellibus infutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondàm Populi, feritate subactâ
Edomiti, jam tristè fremant, iterùmque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythicâ Juvenis pietate Vejentum
Votivo de ponte Patrem: sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia Sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ:
Ipsa casas fragili texat Gens Romula culmo,
Sic tradunt habitasse Remum, &c.

Romani olìm simplicium tectorum habitatores.

SECTIO VI.

De Argumento per reductionem ad impossibile.

1 B hac argumentandi forma omninò Adversarius declinare in transversùm non potest. Reducitur enim ad arcta, ut si neget nostram propositionem, cogamus ipsum ad aliquod impossibile concedendum. Sicut autem Impossibile est id, quod repugnat, magìs vel minùs argumentum habebit roboris juxtà majorem, vel minorem repugnantiam in eo, quod ex negata propositione deducitur, importatam. Si namquè vel naturali Rationis lumini, aut ex ipsis terminis repugnat, erit absolutè impossibile: Si verò discrepans à communi prudentum judicio, dicetur impossibile moraliter: si tamen repugnet principiis Fidei, erit plusquàm metaphysicè impossibile:

le: quia Fidei Divinæ nullatenùs poteſt ſubeſſe falſum. Quod ſi hæc argumentandi forma benè ducatur, nihil poſſe ab Adverſario objici, quod ſibi profit, evidentèr oſtenditur, & ideò eſt argumentum ex omni parte triumphans.

2 Efficaciſſimè eo utitur Apoſtolus ad probandam reſurrectionem mortuorum, ſic inquiens: *Si autem Chriſtus prædicatur, quod reſurrexerit à mortuis:* (hoc eſt Fidei principium) *quomodò quidam dicunt in vobis: quoniàm reſurrectio mortuorum non eſt?* (propoſitio negata) *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit.* (en impoſſibile repugnans Fidei principio) *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt, & Fides veſtra. Invenimur autem, & falſi teſtes Dei: quoniàm teſtimonium diximus adversùs Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.* (Quod inconveniens adhùc naturæ lumini adverſatur.) *Nam ſi mortui non reſurgunt: neque Chriſtus reſurrexit: quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt Fides veſtra: adhùc enim eſtis in peccatis veſtris.* (Sequitur illatio inconvenientis, quod nedùm Fidei, & Naturæ, ſed prudenti hominum judicio repugnat.) *Ergò, & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

1. Cor. 15.

Argumentatio Apoſtoli per reductionem ad impoſſibile.

3 . Quia verò pro hujuſmodi argumento manifeſtius non invenimus exemplum, non mirum, ſi in eo exponendo juxtà Angelicam *D. Thomæ* intelligentiam paulò longiùs immoremur. [Dicit ergò primò: Dixi, quod ſivè ego prædicaverim, ſivè illi, ſcilicèt alii Apoſtoli, ſic credidiſtis. Sed ſi prædicatur à nobis, quod Chriſtus reſurrexit à mortuis: quomodò quidam in vobis, ideſt inter vos, dicunt quoniàm reſurrectio mortuorum non erit? Quaſi dicat: Si Chriſtus reſurrexit à mortuis, ſecundùm quod nos prædicamus, 1. Theſſ. 4. Si credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt, &c. nullus debet dubitare, reſurrectionem mortuorum futuram.]

Ibid. Lect. 2.

Chriſti reſurrectio efficaciſſimè ſuadetur.

4 Negata autem hac propoſitione, procedit argumentum Apoſtoli, ideoque *D. Thomas*. [Deinde cùm dicit: *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, &c.* probat antecedens. Et circà hoc duo facit. Primò ducit ad inconvenientia. Secundò oſtendit illa eſſe inconvenientia. Circà primum facit deductionem ſuam, ſupponendo, quod ſi Chriſtus non reſurrexit, neque mortui reſurgent: quod ſi ita eſt, ſequuntur duo inconvenientia. Unum eſt, quod inanis eſt prædi-

catio Apostoli, & inutilis. Aliud est, quod inanis est Fides Corinthiorum . . . . Dicit ergo: si autem Christus non resurrexit, inanis est, idest falsa prædicatio nostra, quia sìc credidistis: & hoc magnum est inconveniens, quod prædicationem eorum non suffulserit veritas, cum Apostolus dicat ad Phil. 2. non in vacuum cucurri, neque laboravi.]

5 Quia verò incumbebat Apostolo explicare hujusmodi impossibilia, ideo prosequitur *D.Thomas*.[*Invenimur autem, &c.* Hìc ostendit, illa duo esse inconvenientia. Et primò ostendit, quod sit inconveniens, si prædicatio Apostolorum esset inanis, seù falsa. Secundò ostendit, quod sit inconveniens, si Fides illorum esset inanis. Ostenditur autem primum esse inconveniens, quia essent falsi testes, non solùm dicendo aliqua vana, vel aliqua contrà aliquem hominem falsè, quod est mortale peccatum: sed falsi testes adversùs Deum, quod est sacrilegium. Quia si Deus non suscitavit Christum à mortuis, secundùm quod nos prædicamus, invenimur falsi testes: & si mortui non resurgunt, Deus non resuscitavit Christum à mortuis. Job. 13. Nunquid Deus indiget vestro mendacio, &c. Et hoc est pessimum, scilicèt quod aliquid attribuatur Deo, quod non facit, & laudare in eo, quod non est. Unde dicit Augustinus: Non minori, sed majori fortasè scelere in Deo laudatur falsitas, quàm vituperetur veritas. Cujus ratio est: quia intellectus noster nunquàm potest tantum laudare Deum, quìn deficiat à perfectione ejus; & ideo si non totaliter intellectus omnem veritatem possit de eo intelligere, hoc est ad excellentiam Dei. Sed si attribuatur aliquid Deo, quod non habet, vel non facit, videtur quod intellectus noster sit major Deo, & intelligat aliquid majus eo, quod sibi falsè attribuit. Et hoc contra illud 1. Joan. 3. Deus major est corde nostro.]

Grandis culpa attribuere Deo, quod non facit, & laudare in eo quod non est.

6 Alterum etiam impossibile sequens ex illa negata propositione probat Apostolus, exponente *D.Thoma*. [*Quod si Christus, &c.* Hìc ostendit, quod inconveniens sit, si Fides illorum esset inanis. Et hoc ostendit per tria inconvenientia, quæ sequuntur indè, Primum est, *quia constat*, quod falsitas non habet virtutem purgandi: sed constat, quod Fides purgat peccata, Actor. 15: Fide purificans corda eorum: si ergo Fides nostra sit inanis, quod esset, si Christus non resurrexit: quia sìc credidistis, quod resurrexit, peccata vestra non sunt vobis dimissa. Et hoc est quod dicit: adhùc estis in peccatis vestris.]

7 Sìc itaquè reducto Adversario ad tot impossibilia con-

concedenda, rima illi non suppetit, ut argumenti vim eludat: quidquid enim dicat in sui defensionem, magis illum in tricis suis obvolvit. Unde *D.Thomas* ibidem: [Sed quia posset aliquis dicere: Licèt fides non purget peccata, possunt tamen purgari ab eis per bona opera; ideo addit secundum inconveniens, scilicèt, quod mortui, qui non possunt purgari in alia vita, perierunt absque spe salutis; & ideo quasi concludens dicit: *Ergò qui in Christo*, ideft in Fide Christi, *dormierunt*, ideft mortui sunt, in spe salutis *perierunt*: quia in alia vita nulla sunt opera meritoria. Sed quia posset adhùc dicere: Non curo de peccatis, non curo de mortuis, dummodò habeam in vita ista quietem, & tranquillitatem. Ideo addit tertium inconveniens, dum dicit: *Si in hac tantùm vita, &c.* Et innititur tali argumento: Si resurrectio mortuorum non est, sequitur, quod nihil boni habeatur ab hominibus, nisi solùm in vita ista: & si hoc est, tunc illi sunt miserabiliores, qui in vita ista multa mala, & tribulationes patiuntur. Cum ergò plures tribulationes Apostoli, & Christiani patiantur, sequitur quod sunt miserabiliores cęteris hominibus, qui adminùs perfruuntur hujus Mundi bonis.]

8 Rursùs duplex alius adversario ad evadendum cuniculus obstruitur indicatus à *D.Thoma.* [Sed circà hanc rationem videntur duo dubitanda. Unum, quia non videtur, quod sit verum universalitèr, quod Apostolus dicit, scilicèt, quod Christiani sunt confidentes in hac vita tantùm: quia *possent dicere illi*, quod licèt corpora non habeant bona, nisi in vita ista, quæ est mortalis; tamen secundùm animam habent multa bona in alia vita. Ad hoc *obviatur* dupliciter: uno modo, quia si negetur resurrectio corporis, non de facili, immò difficile est substinere immortalitatem animæ. *Constat* enim, quod anima naturaliter unitur corpori: separatur autem ab eo contrà suam naturam, & per accidens: unde anima exuta corpore, quandiù est sine corpore, est imperfecta. *Impossibile autem est*, quod illud, quod est naturale, & per se, sit finitum, & quasi nihil: & illud, quod est contrà naturam, & per accidens, sit infinitum, si anima semper duret sine corpore. Et ideo Platonici ponentes immortalitatem, posuerunt reincorporationem, licèt hoc sit hæreticum: & ideo si mortui non resurgunt, solùm in hac vita confidentes erimus. Alio modo: quia *constat*, quod homo naturalitèr desiderat salutem sui ipsius: anima autem cum sit pars corporis hominis, non est totus homo, & anima mea non est Ego: unde licèt anima consequatur salutem in

Negata Corporis resurrectione, difficilè substineri potest animæ immortalitas.

Platonici adstruẽtes animæ immortalitatẽ, posuerunt reincorporationem.

alia

alia vita, non tamen Ego, vel quilibet homo. Et prætereà cum homo naturalitèr desideret salutem etiam corporis, frustraretur naturale desiderium.]

Peccatores in ærumnis sunt.

9 Altera intercipitur evasio Adversarii ad declinandam argumenti Apostolici firmitatem. Unde subdit *D. Thomas*. [Secundum dubium est: quia videtur, quod dato, quod corpora non resurgant, non essemus nos Christiani miserabiliores cæteris hominibus: quia illi, qui sunt in peccatis, substinent maximos labores. Hierem. 9. Ut iniquè agerent laboraverunt. Et Sap. 5. dixerunt impii, ambulavimus vias difficiles. At verò de bonis, & justis dicitur ad Gal. 5. Fructus autem spiritûs sunt Charitas, gaudium, pax, &c. Ad hoc dicendum, quod mala, quæ sunt in hoc Mundo, non sunt secundùm se appetenda, sed secundùm quod ordinantur ad aliquod bonum. Apostoli autem, & Christiani multa mala passi sunt in hoc mundo. Nisi ergò ordinarentur ad aliquod bonum, essent miserabiliores cæteris hominibus. Aut ergò ordinantur ad bonum futurum, aut ad bonum præsens: sed ad bonum futurum non ordinantur, si non est resurrectio mortuorum. Si autem ordinantur ad bonum præsens: hoc vel est bonum intellectûs; sicut Philosophi Naturales paupertatem, & alia multa mala passi sunt, ut pervenirent ad veritatem: sed ad hoc non possunt ordinari, si non est resurrectio mortuorum, quia sic Fides eorum esset falsa, quia ipsi prædicaverunt resurrectionem futuram; falsitas autem non est bonum intellectûs. Vel est bonum moris, sicut Morales Philosophi multa mala passi sunt, ut pervenirent ad Virtutes, & Famam. Sed nèc ad hoc ordinari possunt: quia si resurrectio mortuorum non sit, non reputatur Virtus, & gloria velle omnia delectabilia dimittere, & substinere pœnas mortis, & contemptûs, sed potiùs reputatur stultitia. Et sic patet, quod miserabiliores essent cæteris hominibus.]

Justi felices censendi

Philosophi multa passi, ut pervenirent ad percipiendam Veritatem.

Et ad Virtutis acquisitionem.

10 Addamus ex Patribus, quæ observari possunt argumenta per reductionem ad impossibile. Et *Ambrosius* quidem contrà Arrium negantem, quod Filius Dei esset Patri Consempiternus, sic arguit, adigens illum ad adstruendum, quod Pater esset mutatus. [Dic mihi Hæretice, (dat enim veniam Clementissimus Imperator, ut te, non obloquendi studio, nec audiendi cupiditate, sed exponendi gratiâ paulispèr alloquar) Dic mihi inquam: Fuit nè aliquandò tempus, quo Omnipotens Deus, Pater non erat, & Deus erat? Tempus, inquis, non adstruo. Benè, & argutè. Si enim tempus dixeris, teipsum convinces: quia necesse est asseras,

Lib. 1. de Fide cap. 5.

Arriani ponentes Verbum posterius Patre, suis assertis convincuntur.

fuisse

fuisse tempus ante Filium, cum Filius, Temporis author sit, & Creator: non potest enim post opus suum ipse cœpisse: necessè est igitur, authorem operis sui esse fatearis. Ante tempora, inquis, non nego Filium: sed cùm Filium dico, ostendo priorem Patrem: quia Pater, inquis, Filio prior est. Quid est hoc? negas tempus ante Filium: & tamen nescio quid ante Filium vis præcessisse, quod temporis sit: & ostendis, media nescio quæ molimina fuisse generandi, in quo generationem Patris significas temporalem. Nam si Pater esse cœpit: Deus ergò primò erat, posteà pater factus est. Quomodò ergò immutabilis Deus? Si enim antè Deus, posteà Pater, utique generationis accessione mutatus est. Sed avertat Deus hanc amentiam. Nos enim ad impietatem eorum redarguendam, hanc retulimus quæstionem, quia pia mens generationem sinè tempore asserit: ut, & sempiternum Patrem cum Filio dicat, nec aliquandò asserat esse mutatum. .... Sempiternitas Filii, Paternæ Majestatis insigne est. Si iste non semper fuit: ergò ille mutatus est: Sed si semper fuit Filius: ergò nec Pater aliquandò mutatus est, qui immutabilis semper est. Itaquè videmus, quod illi, qui volunt negare Filium sempiternum, volunt Patrem docere esse mutatum.]

Cautela in asferendis falsis de Deo sententiis.

11 Arrium similiter, & Eunomium contendentes, Christum non fuisse Deum, eoquòd metum in illis verbis ostenderit: Pater si possibile est, transeat à me Calix iste; optimè redarguit *Basilius Seleuciensis*: eoquòd undè Filio negatur Divinitas, Patri adimitur potestas. [Vides, inquit, si possibile, metum passionis? Vides crucem deprecantem? Vides Filii Majestatem obteri? *Fallaces* quasdam contorquent Conclusiunculas, ut Flium Dei conviciis proscindant. *Sed si his voculis Filium incusas*, opportunum ducis, *Patris quoquè infirmitatem coarguere*: Pater, enim inquit, si possibile est, transeat à me Calix iste. Ubi dubium est subsidium, manifesta est infirmitas. Non enim dixit: Transfer Pater, potes enim; sed: si possibile est, transeat: si dictioni te mancipas, Patri crimen ante facis, &c.]

Orat. 32.

Hæreticorum captiosæ argumentationes.

12 Nullum profectò validius argumentum ad hæreticos evincendos. Eo propterea sæpè utitur *Tertullianus*, præsertìm taxans illos, qui dicebant, Paulo ad tertium Cœlum rapto aliquid singularitèr revelatum, cæteris Apostolis ignotum; negabant proindè, posse se per Scripturas convinci; sic arguit Africanus Magister coarctans eos alterutro ex duobus impossibilibus. [Sed si in tertium usquè Cœlum

Lib. de Præscript. adver. Hær. cap. 24.

Ea, quæ Paulus in raptu audivit, aliis etiam Apostolis non fuerunt abscondita, si ad res Fidei pertinebant.

lum ereptus Paulus,& in Paradisum delatus,audiit quædam illìc, non possunt videri ea fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent, cùm ita fuerit conditio eorum, ut nulli hominum prodederentur. Quod si ad alicujus conscientiam manavit nescio quid illud, & hoc se aliqua Hæresis sequi affirmat: *aut Paulus secreti proditi reus est: aut, & alius posteà in Paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit.*] Negatâ tandem Dei Providentiâ, & hominis ad agendum libertate, propter Fati necessitatem à Gentilibus assertam, illos *Prudentius* ad concedendum compellit aliquod omnium prudentum judicio dissonum.

In Carm. cont. Symmach. Sect. 4.

Deniquè nulla hominum res est, nulla actio Mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quæ quia constituunt, dicant: cur condita sit Lex
Bis sex in Tabulis: aut cur Rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos * *ferrea Fata*
Cogunt ad facinus, & inevitabilè mergunt:
Quin, & velle adigunt, pravum insinuantia votum,
Nè liceat miseris vetitum committere nolle.
* *Cædite*, si pudor est, *gladiumque retundite* vestrum
Aspera, *nil meritos* pœnis plectentia *Jura*.
Antrum carcereum dissolvite, Corpora sub quo
Agminis innocui, *Fato peccante*, tenetis:
Nemo nocens, *si Fata regunt*, quod vivitur, ac fit, &c.

* *Metaphora de Specie ad Genus duritiei.*

* *Insultatio, & Ironia.*

SECTIO VII.

De Confutatione rationum Adversarii.

1 NOn facilius in solvendis oppositis rationibus facessit opus, quàm in propria propositione firmanda. Quinimò sæpè probationes in suffragium abundant,in respondendo adductis ab Adversario argumentis laboramus. Et quædam Conciones sunt (ut de Inimicorum dilectione) pluribus confertæ paralogismis, subtilitèr ductis, & ad irretiendum animos aptissimis, illos præcipuè qui Mundi oculis nimiùm videre præsumunt,& ad lucem Æternarum Veritatum cęcutiunt. Neutiquàm proindè se quantùmlibet nervosis argumentationibus convictos fa-

fatebuntur, nî eorum etiam rationes pleniſſimè ſolvantur. Confutantur autem Propoſitiones, ſivè Aſſertiones, rationes, & reſponſiones diverſis quidem modis ordinatè explicandis.

2 Primò igitur fit Confutatio ex authoritate, vel ſcilicèt ejus, qui præcipit oppoſitum. Quemadmodùm *Ambroſius* ex authoritate Dei prohibentis Idololatriam eludit aſſertionem Gentilium à Valentiniano petentium ſibi aras reſtitui Deorum, ſaltèm proptèr benemeritos Romani Imperii Viros. [Deferendum meritis Clarorum Virorum, & ego ſuadeo: Sed Deum certum eſt omnibus præferendum. Si de re militari eſt conſulendum, debet exercitati in præliis Viri expectari ſententia, conſilium comprobari. Quando de Religione tractatus eſt, Deum cogita. Nullius injuria eſt, cui Deus Omnipotens antefertur.] *Tertullianus* poſt exaggeratas Pœnitentiæ utilitates, contraſentientes authoritate confutat. [De bono Pœnitentiæ diffuſa, & per hoc magno Eloquio committenda materia eſt. Nos verò pro noſtris anguſtiis unum inculcamus, bonum, atquè optimum eſſe, quod Deus præcipit. Audaciam exiſtimo, de bono Divini Præcepti diſputare. Neque enim, quia bonum eſt, idcircò auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt Majeſtas Divinæ Poteſtatis: prior eſt authoritas Imperantis, quàm utilitas ſervientis. Bonum eſt pœnitere, an non? Quid revolvis? * Deus præcipit.]

Epiſt. 30.

Deus omnibus præferendus.

Lib. de Pœnit. cap. 4.

De Divinis Præceptis diſputare audacis eſt.

* *Emphaſis. Figura.*

3 Vel authoritas affertur, quæ ſimul contineat pondus rationis. Unde *Ambroſius* expendens ea verba: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; ſic ait. [Omnes autem Hæreſes, hoc Capitulo brevi, Piſcator noſter excluſit. * Quod enim *erat* in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. Ergò Arrius conticeſcat. Quod autem *erat apud Deum*, non commixtione confunditur, ſed manentis Verbi apud Patrem ſolida perfectione diſtinguitur: ut Sabellius obmuteſcat. *Et Deus erat Verbum*. Non ergò in prolatione ſermonis hoc Verbum eſt, ſed in illa Cœleſtis deſignatione Virtutis: ut confutetur Fotinus. Quod verò *erat in principio apud Deum*, Sempiternæ Divinitatis in Patre, & Filio inſeparabilis Unitas edocetur: ut erubeſcant Eudoxius, & Eunomius. Poſtremò cum omnia per ipſum facta dicantur, ipſe Conditor Novi utiquè Teſtamenti, & Veteris deſignatur: ut Manichæus locum tentationis habere non poſſit. Ita Piſcator bonus intrà unum omnes * rete concluſit, ut faceret in-

Joan. 1.

Lib. 1. *de Fide cap.* 5. *ini.*

* *Converſio. Figura.*

Evangelii Joannis principio plures Hæreſes confutatæ.

* *Æquivocum.*

inhabiles fraudi, quamvìs essent inutiles captioni.]

4 Vel adducitur pro authoritate sententia alicujus gravissimi, & Sancti Viri, idpsum, quod nos,statuentis, atque adeò adversam positionem damnantis . *Ambrosius* . [Quo in negotio etiam nos vocamur in culpam. Quam tandem ? Quia nuptias prohibuimus illicitas. * Vocent ergò in eamdem culpam etiam Joannem Baptistam. Et cum aliud nihil fortè habeamus , quod probetur in nobis : hoc solùm condemnetur in nobis , quod probatum est in Prophæta . An erubescendum protulimus Authorem ? Quam verò causam aliam habuit ille martyrii, repetite animo. Causa illius passionis certè hæc fuit : Non licet , inquit, tibi eam uxorem habere. Si hoc de uxore hominis: quantò magìs de Virgine consecrata ? * Si hoc dictum est Regi : quantò magis dicendum est privatis ?] *Lib. 3. de Virg.*

** Concessio. Figura.*

Joannis Baptistę pro Veritate Zelus.

** Argumentatio à fortiori.*

5 Alio modo procedere Confutatio adversariæ assertionis, vel rationis potest , nimirùm extenuando rem , de qua est controversia ; tunc enim indignum videtur pro re adeò exili , opponentium assertioni aurem dare . Hoc artificio *Ambrosius* Judæorum instantiam de Synagogæ incensione rejiciendam admonet Theodosium . [Quid tamen movet ? Utrùm quia quodcumque ædificium publicum exustum est : an quia Synagogæ locus ? Si ædificio incenso moveris vilissimo: (* quid enim in tàm ignobili Castro esse potuit?). Non recordaris Imperator , quantorum Romæ domus Præfectorum incensæ sunt , & nemo vindicavit ? Immò si quis Imperatorum voluit factum severiùs reprehendere , ejus magìs , qui tanto est perculsus dispendio , causam gravet. Quid igitùr dignius, ut Calinici Castri in parte aliqua ædificiorum incendium : an Urbis Romæ vindicandum existimaretur, si oporteret ?] *Epist.29.*

** Parenthesis. Figura.*

6 Alibì etiam eorumdem Gentilium petitionem , ut Vestalibus præberentur alimoniæ, & immunitates,confutat *Ambrosius* extenuans Causam largissimi efflagitati sumptûs, inutilisque dispendii . [Habeant, inquit , Vestales Virgines immunitatem suam. Dicant hoc,qui nesciunt credere,quod posset esse gratuita Virginitas : provocent lucris , qui diffidunt Virtutibus . Quot tamen illis Virgines præmia promissa fecerunt ? Vìx septem Vestales capiuntur puellæ . * En totus numerus, quem Infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices,pompa lecticæ Ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima , lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coëgerunt.] *Epist.31.*

Vestales Romę existentes tempore Theodosii superstites.

** Exaggeratio. Figura.*

7 Ve-

7 Verùm cominùs congressionem adornanti non semper integrum est præfatis formulis hostem supergredi; cum potiùs urgeat illum obligatio dissolvendi opposita argumenta. Vulgaris illa est, quæ fit per Figuram subjectionis: cum videlicet adductæ objectioni extemplò subjicitur responsio. Elegantissimè nihilominùs hujusmodi forma tractatur a *Cypriano* confutante Demetrianum, qui mala Mundo ingruentia Christianis imputabat. [* Miraris in pœnas Generis Humani iram Dei crescere: cum crescat quotidie, quod puniatur? Hostem quæreris exurgere: quasi etsì hostis desit, esse pax inter ipsas Togas possit. Hostem quęreris exurgere: quasi non etsì externa de Barbaris arma comprimantur, ferociùs intùs, & graviùs de calumniis, & injuriis potentium Civium, domesticæ impugnationis * tela grassentur. De sterilitate, aut fame quæreris: quasi famem majorem siccitas, quàm rapacitas faciat: quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quæreris * claudi imbribus Cœlum: cum sic horrea claudantur in terris. Quæreris minùs nasci: quasi, quæ nata sunt indigentibus præbeantur. Pestem, & luem criminaris: cum peste ipsa, & lue, vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum: dum nec infirmis exhibetur misericordia, & defunctis * Avaritia inhiat, ac rapina: iidem ad obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera, & appetentes spolia mortuorum: ut appareat, in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ut possint, dum curantur, evadere: * nam perire ægrum voluit, qui censum pereuntis invadit. * Tantus cladium terror dare non potest Innocentiæ disciplinam: & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat, & se esse mortalem.]

Opusc. contra Demetr.

* *Subjectio. Figura.*

* *Metaphora de Genere ad Genus.*

Scelera hominum Causæ ærumnarum.

* *Æquivocum.*

* *Abstractum pro concreto.*

* *Sententia.*

* *Moralitates.*

8 Qua Figura etiam responsiones adversantium confutantur, quibus videntur nostras rationes non tàm effugere, quàm despicere. Ideoque oportet præoccupare, quod illi possent respondere, statimque confutationem subjicere. Ita *Basilius Seleuciensis* advertens Græcanicis spectaculis deditos non multùm pendere argumenta, quæ illos à profanis ludis avertere possent, sic eos confutat. [Si dum spectacula minimè spectanda spectas, abreptus esses à Morte: (Mors enim, ut nostis ipsi, viventes furatur; neque legem sibi præstitutam novit,) * quo te Christus collocaret in ordine? Græcorum? At Fidei symbolum circumfers. Credentium? Hoc verò, qui faciat cum eo, qui cum Græcis choreas miscet?

Orat. 27.

* *Praeoccupatio. Figura.*

Spectacula obscœna non adeunda.

ſcet? Sed pervicacibus verba hæc, importuna fortè loquacitas videantur: & benè monentium vox pro nugamentis audiantur: & oratio ſeria risûs ſit argumentum.]

9 Artificioſior Confutatio procedens per inſtantiam: Nam argumentum non ſolvendo, arguentem novo dubio implicamus, cui occurrere non poſſit. Sic Apoſtolus: *Dicis itaque mihi: Quid adhùc quæritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti sic? An non habet poteſtatem, &c.* Ad quæ verba *D. Thomas.* [Poſita ſolutione præmiſſæ quæſtionis, hìc Apoſtolus contrà ipſam ſolutionem objicit, & præcipuè contrà ultimam Concluſionem, qua dictum eſt: Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Primò ergò ponit objectionem, ſecundò ſolutionem . . . . . Dicis itaque mihi: Quid adhùc quæritur? Ideſt quid oportet ulteriùs quærere de cauſa bonorum, & malorum, quæ hìc aguntur: cum omnia Voluntati Divinæ attribuantur, quæ eſt cauſa ſufficiens, eoquòd nullus poteſt ei reſiſtere, unde ſequitur: voluntati ejus quis reſiſtit? . . . . Vel aliter: Quid adhùc quæritur, ideſt conquæritur Deus de hominibus quando peccant? Ideò autem videtur juſtam querimoniam non habere: quia ex voluntate ejus totum procedit, cui nullus poteſt reſiſtere. Vel aliter: Quid adhùc quæritur ſcilicèt ab homine, ut faciat bonum, vel vitet malum? Fruſtrà autèm requiritur ab aliquo, quod non eſt in ejus poteſtate. Nihil autem in hominis poteſtate eſſe videtur ſecundùm prædicta; quibus omnia Divinæ Voluntati videntur adſcribi, cui reſiſti non poteſt. Et hæc videtur eſſe intentio Apoſtoli.]

Ad Rom. cap. 9.

Ibid. Lect. 4.

Excuſatio eorum, qui nolunt benè agere.

10 Reſponſionem Pauli profundè conſiderat *D. Thomas*, ſubdens. [Deindè cum dicit: O homo tu quis es, &c. reſpondet præmiſſæ quæſtioni. Ad cujus reſponſionis intellectum, conſiderandum eſt, quod circa electionem bonorum, & reprobationem malorum duplex quæſtio poteſt moveri. Una quidem in generali: quarè Deus velit quoſdam indurare, & quorumdam miſereri. Alia verò in ſpeciali: Quarè velit hujus miſereri, & hunc, vel illum indurare. Et poteſt quidem ratio primæ quæſtionis aſſignari: ſecundæ autem quæſtionis non poteſt aſſignari ratio, niſi ſimplex Dei Voluntas. Cujus exemplum patet in rebus humanis. Si enim aliquis ædificare volens, haberet multos lapides ſimiles, & æquales congregatos, poſſet ratio aſſignari, quarè quoſdam ponat in ſummo, & quoſdam in imo, ex parte finis: quia ad per-

Ibid.

Quarè Deus velit quoſdam indurare, & quorumdam miſereri, poteſt ratio aſſignari.

perfectionem domûs, quam facere intendit, requiritur, & fundamentum, quod habet lapides in imo, & cacumen parietis, quod habet lapides in summo. Sed quarè ponat hos lapides in summo, & hos in imo, non habet aliquam rationem, nisi quia Artifex voluit.]

11 Qua doctrinâ necessariò ad intelligentiam præmissâ, prudentissimam Apostoli responsionem exponendo, prosequitur *D.Thomas.* [Primò igitur Apostolus respondet dubitationi quantùm ad secundam quæstionem, quarè scilicèt hujus hominis misereatur, & illum induret. Secundò quantùm ad quæstionem primam: quarè scilicèt quibusdam misereatur, & quosdam induret...... Dicit ergò primò: O *homo*, qui es fragilis, & ignorans, *tu quis es, qui respondeas Deo*, unde sufficis ad respondendum ei, si voluerit tecum judicio contendere?..... In quo datur intelligi, quod homo non debet scrutari rationem Divinorum judiciorum cum intentione comprehendendi, eoquòd excedant Rationem humanam, &c.]

Cur Deus velit hunc indurare, & illius misereri, non debet homo scrutari rationem, ut comprehendat.

12 Scribis etiam, & Pharisæis incusantibus Discipulos de omissione lotionis manuum cum manducarent, quia sic transgrediebantur traditiones Seniorum, cum potuisset Dominus respondere, ut observat *D.Thomas.* [Quod ità solliciti erant verbo Dei, quod etiam tempus non habebant. Unde ex solicitudine circà spiritualia, non se lavabant eo modo, sicut Judæi.] Eos tamen confutat per instantiam: *Quarè, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Ubi *D. Thomas.* [Dominus duo facit. Primum, non respondet excusando Discipulos: sed ostendit, quod ipsi non sunt digni, quod reprehendant eos. Suprà cap. 7. Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo. Constat enim, quod transgredi mandatum Dei est gravius, quàm traditiones hominum. Et ideò qui transgrediebantur mandata Dei, in majoribus delinquebant.]

In cap. 15. Matt.

Discipuli Christi Verbo Dei nimis dediti.

13 Patres etiam tam frequentèr hac utuntur formulâ confutandi, ut nimiùm excresceret Sectio, si cuncta, quæ sub calamo habemus, afferremus exempla. *Salvianus.* [Cur molestum sit, despici à Domino preces nostras, cum præcepta ejus despiciantur à nobis? * Fac nos pares Domino nostro esse: quis justæ quærimoniæ locus est, hoc pati quemquam, quod fecerit?] *Ambrosius* confutans conquærentes de Synagogæ incendio, & reparationem postulantes ex Legum statutis. [Et cum ipsi Romanis Legibus teneri se negent, itaùt crimina Leges putent; nunc velùt Romanis Legibus se

Lib. 3. de Guber.

Supplicia infliguntur ob peccata.

* *Concessio. Figura.*

Epist 29.

se vindicandos putent. Ubi erant istæ Leges cum incenderent ipsi Sacratarum Basilicarum culmina? * Si Julianus non est ultus Ecclesiam, quia prævaricator erat: Tu Imperator ulciscèris Synagogæ injuriam, quia Christianus es?]

* *Periodus concisa cum appositione membrorum.*

14 Idem confutans instantias Symmachi. [Sed referunt, ea, quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata. Dicant, & ipsi quis Templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quæ si facta essent Gentilibus, redderetur potiùs, quàm inferretur injuria. Nunccinæ demùm Justitia prætenditur, æquitas postulatur? Ubi tunc erat ista sententia, cùm direptis Christianorum omnium facultatibus, * ipsos vitales anhelitus spiritûs inviderent, & nullis usquàm negata, defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ?] Et infrà rationem a Symmacho adductam pro Sacrorum restitutione, quia videlicèt antiqua tenenda erat observatio, sic per instantiam *S. Præsul* confutat. [Si ritus veteres delectabant: cur in alienos ritus eadem Roma successit? * Omitto absconditam * precio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid (ut de ipso respondeam, quod quæruntur) captarum simulachra Urbium, victosque Deos, & peregrinos ritus Sacrorum, alienæ Superstitionis æmuli, receperunt?]

Epist. 31.

* *Exaggeratio. Figura.*

Ibid.

* *Præteritio. Figura.*

Roma captarum Urbium Simulachra coluit.

* *Metonimia. Effectus pro Causa.*

15 Confutat etiam *Tertullianus* negantes resurrectionem corporum, eoquod non capiebant, posse dissolutam materiam animâ privatam, iterum eâ informari. [Sed quomodò, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Considera teipsum o Homo, & fidem rei invenies. Recogita quid fueris antequàm esses, utiquè nihil: meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergò nihil fueras priusquàm esses: idem nihil factus cum esse desieris: cur non possis esse rursùs de nihilo, ejusdem Authoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? Quid novi tibi eveniet? Qui non eras factus es: cum iterùm non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qua factus es: & tunc require qua fies.] Denique *Sedulius* per instantiam convincit falsitatis milites asserentes, quod eis dormientibus Discipuli furati fuerint Dominum de Sepulchro.

In Apol. cap. 48.

Resurget homo de materia, qui est factus ex nihilo.

Milites custodes sepulchri convincuntur falsi testimonii.


Lib. 5. oper. Pasch.

Responde scelerata Cohors: si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtìm productus ab antro
Sopitos latuit: cujus jacet intùs amictus?
Cujus ad exuvias sedet Angelus? Annè beati
Corporis Ablator velocius esse putavit
Solvere contectum, quàm devectare ligatum?

SECTIO

SECTIO VIII.

De Confutandi Forma *per repugnantiam.*

1 Bservatos in Patribus alios quosdam Confutationis modos tibi præripere Lector, non mihi licere visum fuit, cum efficaces admodùm sint, & Schematum amœnitate non careant. Primò itaque adversa propositio, aut ratio confutatur, eam taliter explicando, ut continere pateat fraudem, sivè fallaciam. Sic *Ambrosius* in ea instantia Gentilium, ut pro ipsorum ritu Ara Victoriæ in Romana Curia restitueretur, occultas de-

Epist. 31. tegit ad Christianorum deceptionem paratas insidias. [Hujus aram strui in Urbis Romæ Curia petunt, hoc est quò plures conveniunt Christiani. Omnibus in Templis aræ, ara etiam in Templo Victoriarum, quando numero delectantur, Sacrificia sua ubiquè concelebrant. Quid est *nisi insultare Fidei, unius aræ Sacrificium vendicare*? Ferendum nè istud, ut Gentilis sacrificet, & Christianus intersit? * *Hauriant omnes*, inquit, *hauriant vel inviti* fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, & aversantium licèt ora, excitata focis nostris favilla respergat.]

Victoriæ ara olim in Romana Curia.

* *Circumloquutio. Figura.*

2 Validiùs Confutatio procedit, cùm in propositione, vel probatione Adversarii deprehendit, quam Logici vocant *Implicantiam in adjectis*, idest in sua sententia includi terminos sibi contradicentes: ad quem modum clariùs percipiendum, utpotè cæteris difficilliorem, simùlque efficaciorem, majorem dabimus ex Scriptura, & Patribus copiam exemplorum. Sic igitur apud Job, Eliphaz confundit impios de Deo indignè sentientes, explicando cogitationis il-

Job. 22. lorum contradictionem: *Qui dicebant Deo recede à nobis: & quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.* Si enim Omnipotens, quomodò nihil facere posset? Quod insi-

Ibid. lect. 2. nuat ibi *D. Thomas.* [Quia scilicèt si ad eum non pertinet cura rerum humanarum, nec benè, vel malè homini facere potest, quod contrariatur Omnipotentis rationi.]

3 Repugnantiam quoquè in illis verbis: *Dicite, quia*

Matth. cap. 28. *Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus*, quæ Seniores Populi, ut Præsidi testarentur,

suaserunt Custodibus Sepulchri, arguit Remigius. [Sed si Custodes dormierunt: quomodò furtum viderunt? Et si non viderunt: quomodò testes fuerunt?] Ad idem *Chrysostomus*. [Qualiter enim furarentur Discipuli, homines pauperes, & idiotæ,& neque apparere audentes? Si enim adhùc Christum vivum videntes, fugerunt: qualiter mortuo eo non timuissent tot militum multitudinem? Nunquid ostium Sepulchri poterant evertere? Lapis enim imminebat magnus, multis indigens manibus. Nunquid etiam non erat sigillum superimpositum? Propter quid autem non furati sunt prima nocte, quando nullus Sepulchro adfuit? Sabatho enim penè,petierunt à Pilato custodiam. Quid autem sibi volunt hæc sudaria, quæ Petrus vidit jacentia? Si enim vellent furari, non essent nudum corpus furati, non solùm nè injuriarentur: sed nè etiam in exeundo tardarent, & tribuerent militibus se detinendi facultatem. Maximè quia myrrha erat, corpori, & vestimentis affixa, ita glutinosa, ut non facile esset à corpore evellere vestimenta.]

In Cat. D. Thom.

In Cat. D. Thom.

Contradictio in testificatione militum custodientium Sepulchrum.

4 Quæ colligens *D.Thomas* super eumdem Matthæi locum, ait. [In Psal. 29. Mentita est iniquitas sibi. Et verè, ut ait Hieronymus, mendacium: quia Discipuli ita stupefacti erant, quod non ausi fuissent accedere. Item si debuissent accedere, accessissent primo die, quando non aderant Custodes. Item hoc patet, quia remanserunt linteamina: unde si tulissent eum, non dimisissent. Item constat, quia cum aromatibus sepultus est; undè linteamina adhærebant, ut colla; unde vìx potuissent amovisse. Item lapis erat magnus: unde non potuissent sinè magno adjutorio, & sinè strepitu multo solvisse. Item arguit sic Augustinus: * Aut venerunt vobis vigilantibus,aut dormientibus.Si vigilantibus: quarè non ejecistis eos? Si dormientibus: quomodò vidistis?]

D.Thom. in cap. 28. Matth.

Aromata glutinosa, cum quibus fuerat Christus in tumulo positus.

* *Argumentatio per Dilemma.*

5 Iterùm verò *Chrysostomus* implicantiam advertit in illis Populi vocibus: *Fac nobis Deos*. [Si Dii, quarè dicis *fac*? Quomodò enim *Dii, qui fiunt*? Sic malitia obcæcans sibi ipsi repugnat, & semetipsam extinguit.] *Ambrosius* hoc modo confutat assertionem Symmachi dicentis, ideò sterilitates obvenisse, quia Deorum Sacerdotibus subtracta essent subsidia. [En quod factum, quod triste piare nefas, fames, ut ajunt, publica vindicavit:*quia usui omnium* proficere cœpit, quod proficiebat *commodis Sacerdotum*.] Et infrà, contradicere sibi Gentiles,Valentiniano exponit, qui Deos pro salute Cæsaris stare dicebant, pro qua ipsis supplicare

Exod.32.

Hom.5.de Penit. tom.5.

Epist.31.

plicare

Ibid. plicare protestabantur. [Postremus superest, & maximus locus, utrùm ea, quæ vobis profuerint, Imperatores, restituere subsidia debeatis. Ait enim: Vos defendant, à nobis colantur. Hoc est, Fidelissimi Principes, quod ferre non possumus: quia exprobrant nobis, vestro se Nomine Diis suis supplicare, & vobis non mandantibus, sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant præsidia sua: suos si possunt, illa defendant. *Nam si iis, à quibus coluntur, auxilio esse non possunt: quomodò possunt vos defendere, à quibus non coluntur?*]

Dii Gentilium suis cultoribus auxiliari non poterant.

Lib. 1. Comm. in c. 2. Matth. *Hieronymus*. [Multi labuntur, propter ignorantiam Historiæ, errore, putantes *eumdem esse Herodem*, à quo in passione sua Dominus irridetur, *& qui nunc (Christo videlicet adhùc infante) mortuus esse referatur.*]

6 Affluens in hoc genere confutandi est *Tertullianus*, cujus aliquot hìc pro exemplo authoritates subjicimus. *In Apol. cap. 25.* [Non omittam congressionem, quam provocat illa præsumptio dicentium: Romanos pro merito Religiositatis diligentissimæ, in tantum sublimitatis elatos, ut Orbem occuparint: & adeò Deos esse, ut præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant. *Si ista merces* Romanis pro gratia expensa est: * *Sterculius, & Mutinus, & Larentina provexit Imperium. Peregrinos enim Deos non putem extraneæ Genti magìs fautum voluisse, quàm suæ: & Patrium solum,* in quo nati, adulti, nobilitati, sepulti sunt, *transfretanis dedisse.*] Et infrà. *Ibid. c. 29.* [Multi denique Dii habuerunt Cæsarem iratum. Facit ad Causam si, & propitium, cùm illis aliquid liberalitatis, aut privilegii confert. *Ita, qui sunt in Cæsaris potestate, cujus & toti sunt: quomodò habebunt salutem Cæsaris in potestate, ut eam præstare posse videantur, quam faciliùs ipsi a Cæsare consequuntur?* Ideò ergò committimus in Majestatem Imperatorum: quia illos non subjicimus *rebus suis*: quia non ludimus de officio salutis eorum, qui *eam* non putamus * *in manibus esse plumbatis.*] Et alibì contrà quemdam Hæreticum asserentem, quod Christus in terra, non per seipsum, sed per Angelum magnalia suæ potestatis patrasset in hominum redemptione, sic brevi telo, sed efficaci invehitur, in ejus positione includi repugnantia ostendendo. *Lib de Carne Christi cap. 14.* [An verò, ut per Angelum liberaret Hominem? Cur ergò descendit ad id, quod per Angelum erat expediturus? Si per Angelum, quid & ipse? Si per se, quid & Angelus? Dictus est quidem Magni Consilii Angelus, idest Nuntius: Officii, non Naturæ vocabulo.]

Romanum Imperium non ob superstitionem dilatatum.

* *Irrisio. Figura.*

* *Synecdoche. Pars pro Toto.*

Christus Magni Consilii Angelus.

7 Et Libri *de Resurrectione Carnis* initium, implicantis quorumdam assertionis Consutatio est, dùm mortalem animam putantes, & defunctorum corpora cremantes, illis tamen cibos funereos apponebant; sìcque assertio repugnabat ex facto. [Fiducia Christianorum Resurrectio mortuorum. Illam credentes, sumus: hoc credere Veritas cogit. Veritatem Deus aperit, sed Vulgus irridet, existimans nihil superesse post mortem. Et tamen defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum: *ut quos negant sentire quidquam, etiam desiderare præsumant*. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoquè, cum ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodùm gulosissimè nutrit, jisdem ignibus, & promerens, & offendens.]

Resurrectio mortuorum est fiducia Christianorum.

Lib. de Resur. Car. ini.

Defunctis cibos parabant Gentiles.

8 Idem examinans Edictum Trajani, quo Christianos inquirere prohibebat: sed in eosdem oblatos jubebat animadverti. [* O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut innocentes: & mandat puniendos, ut nocentes. Parcit, & sævit: dissimulat, & animadvertit. Quid temetipsum censurâ circumvenis? * Si damnas: cur non inquiris? Si non inquiris: cur non & absolvis? Latronibus vestigandis per universas Provincias Militaris statio sortitur: in reos Majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios usquè inquisitio extenditur. Solum Christianum inquiri non licet, offerri licet: quasi aliud esset actura inquisitio, quàm oblatio.]

* *Exclamatio. Figura.*

In Apol. cap. 2.

* *Repetitio. Figura.*

9 Et alibì post exaggeratam contumaciam ejus, qui pœnitendo, Diabolo renunciat, iterùmque per peccatum Christo Diabolum præponit, subdit. [Sed ajunt quidam: Satìs Deum habere, si corde, & animo suspiciatur, licèt actu minùs fiat. Itaquè se salvo metu, & fide peccare: hoc est, *salva castitate matrimonia violare: salva pietate Parenti venenum temperare*. Sic ergò, & ipsi * salvâ veniâ, in gehennam detrudentur, dùm salvo metu peccant. Primum exemplum perversitatis: quia timent, delinquunt: opinor, non delinquerent, si non timerent. Igitur qui Deum colit offensum, nec revereatur omninò: si timor, offendendi patrocinium est.] Postremò *Arator Cardinalis* Ephesios confutat, ostendendo repugnare, quod Diana verum esset Numen, (cujus lamentabantur cultûs cessationem ob prædicationem Pauli) cum ipsorum operâ indigeret, & de se impotens agnosceretur.

Lib. de Penit. cap. 5.

Recidivi periculum.

* *Insultatio. Figura.*

O mi-

Lib. 2. in Actu Apost.

O miseranda manus : cui tu præstare laboras,
Perpetuam cur esse putas ? Te teste, Sacellis
Eruitur fugitiva suis: quo jure pavescis,
Qua pereunte doles ? Cœloque adiungere tentas,
Quam terris remeare negas ?

SECTIO IX.

De aliis confutandi Formis.

1 Non semper oportet, quandoquè etiam non expedit adversis rationibus respondere, *Per Rejectionem.* eoquòd vel sunt ita vanæ, ac nullius ponderis, ut licèt facillimè possent dilui, indignè tamen Oratorem immorari compellerent : vel ex temeritate, & impudentia procedunt, & stulto non respondendum : vel calumniosæ sunt, & tunc non æstimandæ. Ideoque Rejectione utendum. *Iob. cap. 16.* Sic Job. *Audivi frequentèr talia : consolatores onerosi omnes vos estis : nunquid habebunt finem verba ventosa?* Primi generis assertionem rejicere parabat *Hieronymus*. *Lib. de perp. Virg. B. Mar. adv. Helvid. 2.* [Nupèr rogatus à Fratribus, ut adversùs Libellum cujusdam Helvidii responderem, facere distuli: non quòd difficile fuerit, hominem rusticanum, & vìx primis quoquè imbutum literis, super veri assertione convincere : sed nè respondendo, dignus fieret, qui vinceretur.]

2 Secundi verò generis rationem postquàm *Tertullianus* elisisset per sequelam inconvenientis, confutat per Rejectionem. *Lib. 1. adv. Marc. c. 4.* [Sed argumentabitur quilibet: posse duo Summa Magna consistere distincta, atquè disjuncta in suis finibus, & utiquè advocabit exemplum: Regna terrarum tanta numero, & tamen Summa Magna in suis quibusque regionibus: & putabit ubiquè Humana Divinis conferenda. Jam ergò si huic argumentationi locus dabitur : quid prohibet, non dico, & tertium, & quartum Deum inducere, verùm tot jam numero, quot, & Gentium Reges ? *De Deo agitur, cujus hoc principalitèr proprium est, nullius exempli capere comparationem*. Deo nihil comparari potest. Hoc Natura ipsa, si non aliquis Isaias, vel ipse per Isaiam Deus concionabitur : Cui me similabitis ? *Isa. 46.* * Divinis forsitàn comparabuntur humana, Deo nostra?] ** Interrogatio Indignantis. Figura.*

3 Tertii autem generis positionem calumniâ plenam confutat per Rejectionem *Ambrosius*, suadens Theodosio nè

Ju-

Judæorum postulatis annueret. [Requirenda quoque sublata donaria, ut omittam alia ..... Artes istæ sunt Judæorum volentium calumniari: ut dum ista quæruntur, mandetur extrà ordinem militaris censura judicii: mittatur miles fortasse dicturus, quod hic aliquandò ante tuum, Imperator, dixit adventum ...... In quas prætereà non prosiliant calumnias, qui etiam Christo falsis testimoniis calumniati sunt? In quas non prosiliant calumnias homines, & circà Divina mendaces?] Epist. 29.

Judæi hominũ, sicut & Christi calumniatores.

Per Concessionem.

4 Aliquandò Orator positionem Adversarii, vel ejus rationem admittit, sed sibi ostendit non prodesse, estque modus confutandi per Figuram Concessionis. De sæpiùs memorata Synagogæ incensione Theodosio scribens *Ambrosius*. [Hoc est, Imperator, quod poposci, & ego, ut in me magìs vindicares, & hoc, si crimen putares, mihi adscriberes. Quid mandas in absentes judicium? Habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo, quod ego Synagogam incenderim, certè quod ego illis mandaverim: * nè esset locus, in quo Christus negaretur.] Et alibì Symmacho respondens, ipsumque confutans circà subsidia Vestalibus assignanda. [Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda Virginibus: quæ Christianis munera redundabunt: quod ad tantas opes sufficiet Ærarium? Aut si arbitrantur, solis Vestalibus conferendum: non pudet, ut qui totum sibi sub Imperatoribus Gentilibus vendicarunt, jidem sub Principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem?.] *Tertullianus* postquàm advertisset, nusquàm Sanctos Viros in Scriptura legi coronatos, subdit. [Sed forsitàn oppones ipsum Christum coronatum. Ad hoc breviter interìm audies: * *Sic & tu coronare, & licitum est.*]

Epist. 29.

* *Argutia.*

Epist. 31.

Eâ Coronâ, qua Christus licitũ est coronari.

* *Laconismus.*

Per Ironiam.

5 Modus additur confutandi per Ironiam, qui concessionis quidem speciem habet, sed ipsis verbis positionem, aut rationem Adversarii insubsistentem ostendit. *Ambrosius* post plurimas Abstinentiæ laudes. [*O stultum Helisæum*, qui sylvestribus ramis, & amaris pascebat Prophætas! Immemorem Scripturarum Esdram, qui memoriâ Scripturas reddidit! Insipientem Paulum, qui gloriatur jejuniis: *si nihil prosunt jejunia*.] Gentilium quoquè existimationem, qua insaniæ arguebant Christianos hilariter sanguinem pro Christo fundentes, primò confutat *Tertullianus* ex comparatione plurium pro inani gloria mortem oppetentium: deindè hanc ipsam vanitatem, quam Gentiles fastuosè extollebant, Ironicâ commendatione deludit. [* *O Gloriam* Epist. 82.

Jejunia plurimùm prosunt.

* *Exclamatio. Figura.*

In Apol. cap. ult.

lici-

licitam, quia humanam! cui nec præſumptio perdita, nec perſuaſio deſperata deputatur in contemptu mortis, & atrocitatis omnimodæ: cui tantum pro Patria, pro Imperio, pro amicitia pati permiſſum eſt, quantum pro Deo* non licet.] *Ironia. Figura.*

6 Præterea ad confutandum opportunè utimur Figurâ Irriſionis, propoſitionibus, ſivè argumentis Adverſariorum modeſtè, & graviter inſultando, quòd deſpici, & rideri mereantur. *Tertullianus* vaniſſimam Æonum Genealogiam à Valentino excogitatam, ejuſque rationes Irriſione confutandam oſtendit. *Per Irrisionem.* [Congreſſionis luſionem deputa Lector antè pugnam: oſtendam, ſed non imprimam vulnera. Si & ridebitur alicubì, *materiis ipſis ſatisfiet*. * Multa ſunt ſic digna revinci: nè gravitate adorentur. Vanitati propriè feſtivitas cedit. Congruit, & Veritati ridere, quia lætans: de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Curandum planè nè riſus ejus rideatur, ſi fuerit indignus. Cæterùm ubicumquè dignus riſus, Officium eſt.]

Lib. adv. Valentin. cap. 6. — * *Sententia.* — Veritas lætans, & ſecura.

7 Symmachi etiam aſſertionem, quod Numinum cultus expulerit Gallos Capitolium obſidentes, & aſtu intercipere conatos, Irriſione confutat *Ambroſius.* [Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii ſecreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tuliſſent: niſi eos pavido anſer ſtrepitu prodidiſſet? *En quales Templa Romana præſules habent*! Ubi tunc *erat Juppiter? An in anſere loquebatur?*] Et infrà querelas ejuſdem, quod deſertis Diis, fames ingruerit tàm atrox, ut homines glandibus veſci compellerentur, irridendo refutat, adducens, hoc non ad iram, ſed ad munus referri poſſe Deorum, qui Ætate aureâ nuncupatâ hoc fructu cultores ſuos paviſſe perhibentur. [Propterea Chaoniam frugem glande mutantes, rursùs in pecudum paſtus, & ad infelicis victûs alimenta revocari, concuſsâ quercu, famem in ſylvis miſeram ſolabantur. *Nova* videlicèt prodigia terrarum, quæ * *nunquàm* antè acciderant, *cum ſuperſtitio Gentilis toto Orbe ferveret*. Reverà quando antè vacuis avenis ſeges fallax avari vota* luſit agricolæ: & ſpem ruſticæ plebis, quæſita ſulcis, frugis herba deſtituit. *Et undè Græcis Oracula habita ſuæ quercûs: niſi quia remedium ſylveſtris alimoniæ,* Cœleſtis Religionis donum putarent? *Talia enim ſuorum munera credunt Deorum*. Quis Dodonæas arbores, niſi Gentium populus adoravit, cum pabulum triſte, Sacri Nemoris honore donaret? Non eſt veriſimile, *quod indignantes eorum Dii, id pro pœna intulerunt, quod ſolebant* placati conferre pro munere.]

Epiſt. 31. — Anſeres Romani Capitolii ſervatores. — *Ibid.* — * *Ironia. Figura.* — * *Energia.* — Glandes cibus primæ Ætatis aureæ dictæ.

8 Re-

8 Recolenda hìc, quæ de se narrat *Augustinus*, à conversione remoratum, quòd Concupiscentia circumstreperet, obtendens nullo modo, inhonestis deditum priùs, posse deincèps Castitatem servare. Quod argumentum qualitèr sibi fuerit solutum à Virtute Continentiæ sibi vel apparente per Imaginariam visionem, vèl intùs suggerente per Dei illustrationem, idem refert Sanctus Pater. [Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, Casta dignitas Continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, ut venirem, nequè dubitarem: & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibì tot pueri, & puellæ: ibì Juventus multa, & omnis ætas, & graves Viduæ, & Virgines anus: & in omnibus ipsa Continentia nequaquàm sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito Te Domine. *Et irridebat me irrisione exhortatoria*, quasi diceret: *Tu non poteris quod isti, & istæ*? An verò isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas.]

Augustino Continentia, humana specie apparens animum addit.

Lib. 8 Confess. cap. 11.

9 Usurpatur etiàm hic modus confutandi, cùm ex Adversarii assertione aliquid risu dignum infertur. *Ambrosius*. [Sed Majorum, inquit, (*Symmachus*) servandus est ritus . . . . Dicant igitùr *in suis omnia manere debuisse principiis*. Mundum tenebris obductum, quia splendore Solis illuxerit, displicere. Et quantò gratius est animi tenebras depulisse, quàm corporis: fideique jubare micuisse, quàm Solis? Ergò, & Mundi, sicùt omnium rerum, primæva viam mutarunt, ut venerabilis * Canæ Fidei sequeretur * Senectus. Quos hoc movet: *reprehendant* * *messem*, quia sera fœcunditas est: *reprehendant* * *vindemiam*, quia in occasu anni est: *reprehendant olivam*, quia postremus est fructus.] *Prudentius* assertos à Symmacho Genios velùt Deos Urbium costodes, inquirens: quodnàm Genii munus? eos confutat, quòd officium risu dignum sit.

Epist. 31.

* *Metaphora.*

* *Onomatopeja.*

An Castrorum etiàm fossis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem?
Quæ quis non videat *Sapientum digna cachinno*?

Carm. Cant. Symm. sect. 4.

Per insinuationem ignorantiæ.

10 Ultimò per insinuationem ignorantiæ, cùm videlicèt confutatur ratio, sivè propositio Adversarii, excusando ejus

ejus inscitiam, & tarditatem, quòd rem non capiat, ideoque ejus probatio nihili fieri debeat. *Tertullianus*. [Sunt qui existiment, Christianum, expeditum morti genus, ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quò faciliùs vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus, nè desiderent, quam jam supervacuam sibi fecerint: ut hoc consilio potiùs, & humano prospectu, non Divino præscripto definitum existimetur.] Qua ratione adversariorum posita, nempè, intervenire Christianos spectaculis, ut visas voluptates faciliùs abdicarent, inspectisque hominum cædibus, promptiores fierent ad morti pro Christo se offerendum.

Lib. de Spect. c. 1.

Christianus, expeditum, morti genus.

11 Aliam subdit rationem adversariorum. [Jam verò nemo est, qui non hoc quoquè prætendat: omnia a Deo instituta, & homini attributa; (sicut prædicamus) & utiquè bona omnia, ut boni Authoris. Inter hæc deputari universa ista, ex quibus Spectacula instruuntur, Circum verbi gratiâ, & Leonem, & vires corporis, & vocis suavitates. Igitur neque alienum videri posse, neque inimicum Dei, quod de conditione constet ipsius: neque cultoribus Dei vitandum, quod Dei non sit inimicum, quia nec alienum.] Utramque autem rationem *Tertullianus* sic confutat. [* Quàm sapiens argumentatrix sibi videtur *Ignorantia humana*, præsertìm cùm aliquid ejusmodi de gaudiis, & de fructibus sæculi metuit amittere! Plures denique invenias, quos magìs periculum voluptatis, quàm vitæ, avocet ab hac Secta.] Scilicèt Religione Christiana.

Ibid. cap. 2.

Excusatio eorum, qui spectaculis intererant.

* *Irrisio. Figura.*

12 Idem, Gentilium malè de Christiano Nomine sentientium, cujus vim non percipiebant, ignorantiam excusat simul, & arguit. [Justitia unum gestit interdùm nè ignorata damnentur. An hòc magìs gloriabitur Potestas, quo etiam inauditam damnabit Veritatem? Hanc itaquè primam causam collocamus iniquitatis, odium ergà Nomen Christianum. Quam iniquitatem idem titulus onerat, & revincit, qui videtur excusare, Ignorantia scilicèt. * Quid enim iniquius, quàm ut oderint homines, quod ignorant?] Et statìm. [Itaquè utrumque ex alterutro redarguimus: * & ignorare illos, dum oderunt: & injustè odisse, dum ignorant.]

In Apolog. cap. 1.

Justitia petit, nè ignorata damnentur.

* *Interrogatio Indignantis.*

* *Reverberatio. Figura.*

13 Consimili modo *Ambrosius* contrà Hæreticos Divinitatem propugnans Spiritûs Sancti. [Necessè est igitur juxtà sententiam vestram, si Deum, Personæ unius, non unius Naturæ, Nomen putatis: * aut duos Deos dicatis, aut Deum

Lib. 3. de Spir. Sanct. cap. 14.

* *Dilemma.*

Filium denegetis. Sed *excusemus vos ab inscitia*, etsi non excusamus à culpa.] *Hieronymus* sic etiam confutat Rufinum sibi imputantem, quod sinistrè quædam interpretasset. [Illud quoque carpere dicitur, quod secundum Psalmum interpretans, pro eo, quod legimus in latino: *Apprehendite disciplinam*; & in Hebraico Volumine scriptum est *Nascubas*, dixerim in Commentariolis meis: *adorate Filium*. Et rursùm omne Psalterium in * Romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquæ, posuerim: *adorate* purè: quod utique sibi esse contrarium omnibus patet. Et reverà * *ignoscendum est ei, si ignoret* Linguæ Hebraicæ veritatem, qui interdùm, *& in Latinis hæsitat.*]

Apol. 1. cont. Ruf. ad me.

** Synecdoche Pars pro Toto.*

** Argutia.*

14 Advertendum denique Oratori ex *Quintiliano*. [Declamatores in primis sunt admonendi, nè contradictiones (*idest contrarias rationes*) eas ponant, quibus facillimè responderi possit: neù stultum sibi Adversarium fingant.] Quinimò si infirmæ sunt rationes oppositæ, illis ex proprio robur addat Orator, ex earum enim præcipuè, quæ ineluctabiles apparent, solutione, proposita Veritas maximè nitebit. Sinè contrariis argumentis, Oratio latissimè, & inoffensa, sed tamen sine gloria percurret. Deque Oratore quis dicere possit, quod *Augustinus* de Fausto subdolè, ut indubium, & cui non posset quidqnam objici, supponente, quod nihil de Christo Moyses prænunciasset.

Lib. 5. cap. 13.


Rationes oppositæ invalidæ, ab Oratore firmãdæ sunt, & post solvendæ.

[O hominem se cogitantem * dictorem, & alium non cogitantem * contradictorem!


Lib. 16. cont. Faustum cap. 26.

** Annominatio Figura.*

*



LIBER



LIBER SECUNDUS DE DISPOSITIONE.



Ratoriæ Inventioni Dispositio succedit, sinè qua, copia rerum cumulum facit, atque congestum, & membra in ordinem non coacta, monstrum efformant. De ea quàm necessarium sit non tacere, quotidianus Componentium defectus evincit, qui rerum serie vel ignorata, vel neglecta, in plures offendunt incohærentias, multa repetunt, multa linquunt, multa invertunt, casu potiùs, quàm ratione ducuntur. Contrà non dictu facile est, quantùm ingeniosa, & arte ducta Orationis textura animos rapiat, ac suspendat: sinè ostentatione adeò latentèr demulceat, ut ipse, qui delectatur, cur tantoperè delectetur sentiat, & non agnoscat. Non itaquè parcendum calamo fuit, & in re tanti momenti largior differendi licentia, ubi utilitas prætenditur, toleranda, imò, & probanda est.



CAPUT PRIMUM

De Oratoria Dispositione secundùm se.

SECTIO PRIMA,

Quid sit Dispositio, quam Unitatem exigat, & Divisionem.

1 ujus hìc Dispositionis sit sermo, multis aperire non opus est, ipsâ se explicante materiâ, quam tractamus. Brevitèr tamen innuendum ex *D.Thoma.* [Quod Dispositio dicitur tribus modis. Uno modo, per quam materia disponitur ad formæ receptionem, sicut calor est dispositio ad formam ignis. Alio modo, per quam aliquod agens disponitur ad agendum, sicut velocitas est dispositio ad cursum. Tertio modo dispositio dicitur *ipsa ordinatio aliquorum ad invicem.*] Quæ postrema Dispositionis acceptio pertinet ad Rhetorem, duæ priores ad Philosophum. Sivè autem Dispositio definiatur: *Rerum inventarum in ordinem distributio*; Sivè: *Ordo ac distributio rerum, quæ demonstrat, quid, quibusque locis sit collocandum.* Sivè ex Quintil. *Dispositio, utilis rerum, ac partium in locos distributio,* eadem similibus verbis descriptio est, clariùs forsàn explicata cum dicitur *Ipsa Ordinatio aliquorum ad invicem*. Et sumi potest tùm activè, ut scilicèt dicit actum Rationis ordinantis, & collocantis: tùm passivè, quatenùs forma quædam artificialis, vel intentionalis in rebus ipsis benè collocatis resultat. Rhetorica enim perficit partem Intellectivam, ut dirigat actus suos in rebus inventis disponendis, & aptandis propriæ cuique Sedi, quod absquè ordine fieri nequit. Undè *Augustinus.* [Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio.]

In Disput. quæst. 1. de Virtut. ar. 1. ad 9.

Dispositio trifariàm accepta.

Ejus definitio.

Definitio alia.

Lib. 7. c. 1.

Sumitur activè, & passivè.

Ordo quid sit.

Lib. 19. de Civit. cap. 13. tom. 5.

2 Omnes afficit partes Orationis; Tàm enim in ea recto ordine poni necessè est Exordium, Narrationem, Confirmationem, Confutationem, Epilogum: quàm hæc benè in seipsis debent esse disposita, ut putà Exordium priùs Auditorum animos eruditis periodis alliciat, indè modestis ad benevolentiam inclinet, rerum grandium agendarum promissione

Dispositio afficit omnes Partes Orationis.

missione suspendat, & demùm Causæ expositione attentos reddat. Etsì verò de singulis hisce partibus pro sua cujusque exigentia disponendis, singulares regulæ tradantur, cum de eis agitur; non omnis tamen Oratio omnibus utitur, sed pro Causæ proponendæ, percipiendæ, aut evincendæ opportunitate. Sic in arte militari emeritus Dux, munitissimæ quà naturâ, quà manu arcis oppugnationi intentus, cunctas exerit ingenii vires, & in exercitu universo, & in quibuslibet ejus partibus disponendis, præcavens quæ ab hostibus ingruere possint, quæ in hostes dirigat hostilia tentamenta adornans.

3 Ideoque Castris communitis, ductis aggeribus, ac fossâ vallatis, ut subitæ præsidiariorum eruptioni non pateant; deportatis suprà suggestus muralium tormentorum machinis, longioribus interpositis ad mænia quatienda bombardis, & ad incendiarios globos, seù pyrobolos supino ictu ejaculandos in sublime protrusos, additis mortariis ferreis: militares mox copias, prælatis signis, in acies explicat, ac si conferendæ manus extemplò forent cum hoste adverso. Exploratores circumquaquè excurrere jubet: pedites nunc in aciem, nunc in manipulos, nunc laxatis, nunc confertis ordinibus, loco assignat: hìnc indè loricatas, gravioris, leviorisque armaturæ equitum turmas utrique exercitûs lateri adjungit: in fronte Martias Legiones varios in cuneos distribuit, ut in mænia, hiatu tormentis aperto, ruentia, primum impetum faciant, & arcis sublimia scandant; ac nè pluribus immorer, cum omnia solertissimè agat ad oppugnationem conducentia, à pluribus tamen, vel accelerata arcis deditio, vel astu feliciter succedente, interceptus, otiosè spectatur.

Militarium copiarum ordo in arce oppugnanda.

4 Non hìc votum fuit Exercitûs, oppugnationisque describendæ, sed indè ad ulteriora pro dispositione præcepta calamum extendere. Et primùm quidem sic Concio disponenda, ut in ea Unitas, & partium in unum coëuntium respondentia elucescat, qua sinè, aggregatum disparatorum, quod dici solet Unum per accidens, construetur; sicut militaria agmina, nisi seriem servent, ordinem, & unitatem, multitudinem confusioni proximam dicas, non exercitum pro adipiscenda victoria præliarem. Ut autem inquit *D. Thomas*. [Dispositio potest dici tàm ratio ordinis rerum in finem, quàm ratio ordinis partium in toto.] Ideo Unitas Orationis id de necessitate requirit, ut omnes ejus partes aptæ sint ad eam componendam: & quæ in ea sunt, ad persua-

Unitas, & respondentia inviceṁ partium in Oratione.

1. par. qu. 22. art. 1. corp. fi.

ſuadendam rem, de qua agitur, rectà diſpoſitione ordinentur.

5 Rursùs Unitas ex pluribus reſultans, & Orationi deſerviens explicari poteſt verbis *D. Thomæ*. [Uno modo ſecundùm ordinem tantùm, ſicut ex multis domibus fit Civitas, & ex multis militibus fit exercitus. Alio modo ordine, & compoſitione, ſicut ex partibus Domus conjunctis, & per contactum, & per colligationem domus fit.] Poſſunt enim aliqua adunari ad faciendum Unum ſolo ordine, abſquè colligatione, & indiviſione, ſicut una Civitas dicitur ex multis domibus ordinatè conſtructis, quamvìs ab invicem aliquo intervallo diſſitis. Et hæc Unitas aliquandò in Oratione invenitur, ut cum plures rationes, actiones, aut conceptus in ea ponuntur, non unitìm, ſed ordinatìm. Imò ſi verus ordo ſervetur, ſtatìm infert Unitatem Compoſitionis ſimul, & ordinis: quia ſicut quæ componunt, ordinata eſſe oportet, ut unum ſit prius, & alterum poſterius: Ita dum in ordine defectus non committitur, ipſa ſeries prioris, & poſterioris colligationem quamdam importat.

Lib. 4. Contra g. c. 35.

Unitas ordinis, & compoſitionis.

6 Reprobanda igitur Unitas per ſolam compoſitionem abſquè ordine, qualis eſt acervus lapidum, & in quam impingit non paucorum ſivè negligentia, ſivè ignavia, diverſis rebus, ſententiis, Hiſtoriis extrà aleam, & lineam agglomerata Oratione indecentèr ſibi plaudentium. Unitas illa probanda eſt Compoſitionis, & ordinis, reſultans ex eo, quod omnia colliment ad evincendam Propoſitionem aſſumptam; & locum habet in Academicis prælectionibus, brevibus Sermonibus, Epiſtolis nuncupatoriis, Panegyricis, Concionibus ad mores formandos. Partes porrò hujus Compoſitæ Unitatis, licèt multotiès ex propria natura a reciproco reſpectu abſolvantur, nihilominùs arte nectuntur, colligantur, & adunantur ad unam Propoſitionem multiformitèr ſuadendam, eo judicio, ac diligentia, ut altera alteri videatur ſua ſpontè conjuncta; ob id enim de Tranſitione fuſiùs nobis erit agendum; quòd ſit veluti ligamen, & glutinum ad res in Oratione locatas ferè continuandas, unumque ex eis Corpus, non ſecùs ac membris concinnè unitis, integrandum.

Servanda in Oratione.

7 Unitas autem Orationis diviſione non læditur. Sæpè quippè binas, vel ternas continet Propoſitiones: etsì invicèm adverſas, ad unum tamen finem directas, quo modo ſalvatur Unitas in diſpoſitione, ut ſuprà ex D. Thoma indicavimus. Propoſitiones igitur ſi plures contineantur, vel ſunt unius rationis: (ſcilicèt pertinentes ad idem genus

Diviſio, ſeù Partitio Orationis in Puncta.

Vir-

Virtutis, aut Vitii, ut : Bona est Oratio , & expediens Jejunium; & : Ira præfocanda , Ambitio præmenda ; aut pertinentes ad unam speciem Virtutis, sivè Vitii; ut:Liberalitas pauperem levat , Deum obligat : Gulâ substantiæ dissipantur, Intellectus hebescit.) Vel Propositiones sunt oppositæ, ut: Castitas Angelis sociat, libido brutis assimilat; Utroquè modo servatur Unitas finis, & ordinis; omnia enim ad ambas propositiones probandas disposita, Virtutum desiderio, Vitiorum detestationi suadendæ , Oratoris intentioni deserviunt.

8 Quod si nec brevior quidem sermo parænetícus , ac familiaris,alicujus esse debet divisionis expers: necessarium omninò id censetur in Concionibus ex proposito , integrisque: Tùm, ut materia tractanda dilucidior evadat : Tùm, ut auditor intentiùs attendat, sciens , & de quo dicimus, & de quo dicturi sumus, alterum meditando, alterum præstolando: Tùm demùm, quia Oratio adhùc longior , proindeque tædio finitima,patientèr auditur,si eam in diversa membra partiamur . Ex fine enim unius puncti,velùt uterque respirat , & qui dicit , & qui audit ; eo vel maximè , quòd certus est, nova subjici, & præterita quievisse. Hìc tamen addenda *Quintiliani* monitio . [Evitanda maximè concisa nimiùm , & velùt articulosa Partitio . Nam , & authoritati plurimùm detrahunt multa illa non membra , sed frusta ; & hujus gloriæ cupidi, quò subtiliùs, & copiosiùs divisisse videantur : & supervacua assumunt , quæ naturâ singularia sunt, secant, nec tàm plura faciunt, quàm minora . Deindè cum fecerint mille particulas , in eamdem incidunt obscuritatem, contrà quam Partitio inventa est.]

Omninò necessaria.

Lib. 4. c. 5.

Sed discreta.

9 Hanc Divisionem opportunè statuunt Rhetorici in ipso Exordio , declarantes in quot partes recitanda Oratio dividatur. Unde S.Maximus exordiens ex diversis traditionibus de Epiphaniæ mysterio , sermonis divisionem inducit . [Licèt Fratres dilectissimi de sollemnitate diei hujus, Veterum sit diversa traditio , una tamen sanctæ devotionis est fides. Et quamquàm nonnulli,hodie Dominum nostrum Jesum Christum, Stella duce , venientibus ab Oriente Magis existiment adoratum : Alii autem asserant,eum aquas in vina mutasse : quidam verò baptizatum illum ab Joanne confirment ; in omnibus Dei Filius creditur , in omnibus est nostra festivitas. Nam quòd Magis, utiquè Gentilibus,& adorare Dominum, & munera offerre conceditur,Gentium est præfigurata vocatio . Quòd aquæ transformantur in vinum,

Opportunè statuẽda in Exordio.

Hom. 7. de Epiph.

num, Religionis nostræ designatur arcanum. Quòd verò fluentis Jordanis baptizatur Jesus, aquæ nostro Baptismati consecrantur.]

10 Ad cujus exemplum, concionem in ejus festi sollemnitate habiturus, dividere posses in tria puncta, pertractans de Gentium vocatione ad Fidem: de Christianæ Religionis dignitate: de Baptismi necessitate. Nonnulli Partitionem ad principium Corporis, seù immediatè post Introductionem transferunt. Sic *S. Cyprianus* post Exordium ductum ex magnitudine materiæ tractandæ, nempè Martyrii, explicata in Introductione ejus rei gravitate, subdit divisionem sermonis in tria puncta. [Igitur quoniàm res summa Martyrium est, Tria sunt, quæ ex eo nobis proposuimus esse dicenda: Quid sit: quantum sit: cui rei prosit.]

Aliquandò etiam in Introductione.

Opusc. de laude Martyrii.

SECTIO II.

De Ordine in Dispositione actionum servando.

1 
Ivisione Capitum, sivè Punctorum statuta clarè, & apertè, remotis ambagibus, & translatitiis verbis, ut quilibet, etiam crassioris Minervæ, quænam sint in Concione agenda percipiat; difficultas emergit in textura actionum, Conceptuum, & argumentorum, quibus Oratio sivè panegyrica, sivè parænetica respectivè componitur: de eorum ordinatione discretis Sectionibus proindè tractandum.

2 In factorum dispositione, Naturæ ordinem Ordinatio Artis quantum potest observet; sic enim magis, ac velutì connaturali modo mentem auditoris afficiunt, & memoriæ imprimuntur. Sed Ordo Naturæ alius est secundùm viam generationis, & temporis, secundùm quam ea, quæ sunt imperfecta, sunt priora. Alius est Ordo perfectionis Naturæ, & tunc perfectum est prius, quàm imperfectum. Hoc autem ideò notandum fuit, nè aliquam incurrerent censuram eruditi Rhetores facilè omittentes ordinem temporis in Sanctorum actionibus pro Panegyrico adornando, ut quod ortui pueritia succedat, ætas ætati, admodùm Tyronibus familiarem, & Historico aptiorem.

Ordo Naturæ, & Ordo perfectionis.

D.Thom. 1. par. qu. 85. ar. 3. ad 1.

Et 1. 2. qu. 62. ar. 4. in.

3 Alter itaquè Ordo perfectionis eligendus, consistens

in

in distributione factorum, non ut evenere, sed ut prosunt, sequente Arte Naturam, dum rem rei convenire docet, & plura comptè in seriem ordinari. Ideòque *Quintilianus*. [Nam nec iis quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum, sed eo modo, quo expedit.] Et alibì propriè loquens de Dispositione artificiali, & Oratoria, subdit. [Dispositio, Utilis rerum, ac partium in locos distributio. Sed meminerimus, ipsam Dispositionem plerùmque utilitate mutari, nec eamdem semper primam Quæstionem ex utraque parte tractandam.] Temporis ordinem non curavit *Cyprianus*, cùm scripsit. [Si justus es, & Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te totiès passum esse cognoscis? In Esaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Joseph venundatus, in Homine crucifixus est.]

Lib. 4. c. 2.

Lib. 7. c. 1.

Opusc. de laud. Martyrii ad fi.

Artificiosus Ordo in actionum dispositione.

Opusc. 60. art. 3. ma.

4 Non abs re erit hìc notare discursum *D. Thomæ*, modum assignantis, quo Verbum Divinum hypostatica Unione omnia, quæ in nostra Natura plantaverat, assumpsit. [Licèt enim ista tempore simùl fuerunt, cadit tamen inter ea ordo Naturæ, ut dicit Augustinus: quia Invisibilis, & Incommutabilis Veritas, per spiritum animam, & per animam corpus accepit. Ad cujus evidentiam sciendum, quod ordo Naturæ inter aliqua dupliciter potest attendi. Uno modo per gradum dignitatis; & sic anima media invenitur inter Deum, & carnem. Et secundùm hoc potest dici, quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. Alio modo secundùm rationem causalitatis; & sic ipsa anima est aliqualitèr causa carnis uniendæ Filio Dei. Non enim esset caro assumptibilis, nisì per ordinem, quem habet ad Animam Rationalem, secundùm quam habet, quod sit caro Humana, quæ præ cæteris est assumptibilis. Similitèr per spiritum animam assumpsit: tùm propter congruitatem assumptionis; non enim anima est assumptibilis secundùm congruitatem, nisi per hoc, quod capax est Dei, ad imaginem ejus existens, quod est secundùm Mentem, quæ Spiritus dicitur, secundùm illud ad Ephes. 4. Renovamini spiritu mentis vestræ. Tùm etiam propter ordinem dignitatis: quia Intellectus inter cæteras partes animæ est superior, & dignior, & Deo similior. Et ideò, ut dicit Damascenus: Unitum est Carni per medium Intellectum, Verbum Dei.]

Ordo dignitatis, & Ordo causalitatis.

5 Proportione servata discurrentes, possumus Ordinem Dignitatis, & Ordinem Causalitatis in actionibus invenire; ut hic earum esse dicatur, quæ quodam successu, post alte-

Quæ ad ordinē dignitatis in Oratione pertineant.

ram altera contigit: aut illarum, quæ in extrema pueritia evenerunt: cujus etiam ordinis sunt Exthases, miracula, aliavè id genus Cælestia prodigia, quæ Sanctitatem quidem commendant, sed non sunt Virtus ipsa, majori digna admiratione, cum gestis in adulta ætate, fervente passionum pugna, & concupiscente adversùs Spiritum Carne, proprio sudore madentem victoriæ palmam reportat.

6 Et hæc quidem facta pertinent ad Ordinem Dignitatis. Potiùs enim Joseph encomio dignus, cùm in Ægypto, in manus Adulteræ relicto pallio, ab impudicitiæ contagio fugit: aut fratribus, habens in potestate vindictam, donavit injuriam; quàm cùm puer, futuris Imperii fascibus Cœlum sibi præludere per somnia vidit. Nec imitandi, qui actionum robustarum copia exuberante, in Cœli ostentis, Sancti natalem antevertentibus, aut puerilibus factis, (quæ Sanctitatis specimina esse solent, & Virtutum infantia dici possunt) prolixiùs describendis immorantur. Quo fit, ut summi ponderis facta levitèr in concionis progressu libare, temporis angustiâ, cogantur.

Orator non se admodùm diffundat in actionibus puerilibus, vel Cœli ostentis.

7 Gestis itaque omnibus Personæ laudandæ ab oculos explicatis, severâ censurâ discutiat Rhetor, quæ aliis communia, quæ illi propria: quæ ad unam Virtutem reduci queant, quæ disparatè se habeant. Ex his tria, vel quatuor facta seligat principaliora, cum aliorum gestis minùs convenientia: extendenda proindè, & amplificanda adeò, ut totam impleant Orationem. Ex quorum adhùc numero, una vel altera actio seponenda, gravitate, peregrinitate, ac majestate alias antecellens, in qua exornanda, & dilatanda Artis opus incumbat, ad eam reducendo plures, licèt minoris æxtimationis, quandoquè etiam disparatas, & pertinentes ad diversam Virtutem: quæ invicèm juvabuntur, dùm plures uni præstant amplitudinem, una pluribus majestatem.

Res seligendæ, in quas introducatur forma dispositionis.

8 Singularitas autem actionis potest desumi nonnunquàm ex Circumstantia. Fuerint namque spiritus desolationem plures expertæ Virgines, in Rosa tamen Peruana hoc præcipuum habuit, quod cum esset consolationibus interpolata, in luce Unionis pro certo Diva ducebat, nunquàm à Sponso relictam iri: in nocte desolationis indubiè existimabat, nunquàm deincèps se Dilecti præsentiâ fruituram. Parcere etiam inimico, non unius Davidis fuit, in eo tamen facto, cum in spelunca latitans, Sauli donaverit vitam, singulare enituit, quod militum suorum cohibuerit manum,

num,

num, nè Regem læderent. Quod exaggerans condignè *Chrysostomus*, ait. [Cum Historiæ Scriptor commemorasset verba, quibus David abhorruit à cæde, subjecit: Non permisit illis, ut surgerent, & occiderent Saul; simul, & illorum animos ad cædem promptos, & hujus fortitudinem demonstrare volens. At illi sanè, qui videntur per philosophiam habere moderatos affectus, etiamsi ipsi in se non recipiunt homicidium, nolunt tamen alios occidere parantes cohibere. At non ita David; sed perindè, ac si depositum, ac pignus aliquod suæ fidei concreditum accepisset, pro quo rationem foret redditurus, ita non tantum ipse non attigit inimicum, verumetiàm alios occidere volentes coërcuit, satelles optimus, & corporis custos pro hoste factus. Itaquè nequaquàm aberrarit à vero, qui dicat, David id temporis in gravius incidisse discrimen, &c.]

Hom. 2. de David, & Saul ad init. to. 1.

David etiam alios cohibuit nè Saulem occiderent in spelunca.

9 Disponuntur eleganti artificio facta, aut eventus; vel cùm omnes opponuntur uni gesto, quod specialitèr exaggeratur: vel cùm plura inter se opponuntur. Prioris ordinis habemus ex *Ambrosio* exemplum, monente Theodosium Imperatorem, quàm grande committeret scelus, si, ut rogabatur, incensam Synagogam restaurari Christianorum impensis juberet: ejus enim jussionis indignitatem dilatat, opponendo plura sibi à Deo collata beneficia. [Et quid tecùm posthàc Christus loquetur? Non recordaris, quid David Sancto per Nathan Prophætam mandaverit? * Ego te de Fratribus tuis minorem elegi, & de privato Imperatorem feci: Ego de fructu seminis tui in Sede Imperiali locavi. Ego tibi subjeci Nationes barbaras: Ego tibi pacem dedi: Ego tibi inimicum tuum in potestatem tuam captivum deduxi. Frumentum non habebas ad exercitûs alimoniam: ipsorum hostium manu patefeci tibi portas, aperui horrea: dederunt tibi hostes tui commeatus suos, quos sibi paraverant .... Ego, cum periculum summum esset, nè alpes infida Barbarorum penetrarent consilia, intrà ipsum Alpium vallum victoriam tibi contuli, ut sinè damno vinceres. Ego te triumphare feci de inimico tuo: & tu de plebe mea das meis inimicis triumphum? &c.]

To. 3. lib. 5. epist. 29.

* *Prosopopeja. Figura.*

10 Posterioris verò ordinis, facto factum conferendo, *Chrysostomus* præbet exemplum. Illam enim Propositionem, quam assumit. [Non modò enim facere quid bonum, sed & quid malum pati, mercede multa rependitur: atque Job ipse passionibus videtur magìs, quàm Virtutis actionibus profecisse.] Sic deinceps actionum collatione demonstrat,

Hom. 5. de Patien. Iob to. 1.

Job majoris perfectionis Vir dum mála patiebatur, quàm dum bona agebat.

[Introducamusque, si placet, ipsum hunc magnum Patientiæ luctatorem Job hìnc, atque indè illustrem, simulque videamus compatientes. Quando fuit illustrior, cùm domum cunctis aperuit: aut cùm, eadem cadente, benedixit Deum, nulloque amaro sermone loquutus est? Quando alacrior fuit, dic mihi, cùm pro natis agebat Sacrificium, atque concordiam adducebat: aut quando ipsis contumulatis, functisque vita amarissimo mortis genere, multa cum philosophia casum sustulit? Quando magis claruit, cùm de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri: aut cùm audiens de Cælo ignem descendisse, gregemque consumpsisse cum Pastoribus, nec est turbatus, nec tumultuans quid peregit, sed mansuetè tulit calamitatem? Quando major fuit, cùm ad oppressorum defensionem, corporis sanitate utebatur, conterens molares iniquorum, & è medio dentium eorum, prædam eripiens: aut cùm hoc ipsum corpus oppressorum scutum, consumi vermibus videbat, sedensque in sterquilinio idem ipse saniem radebat, testam accipiens? Et illa quidem omnia præclara gesta: hæc autem patibula, tormentaque erant: sed tamen plus hæc, quàm illa Job clariorem ostenderunt. Siquidem cùm illa fiebant, quamvìs turpitèr, valdèque atrocitèr, contradixit tamen Diabolus dicens: Nunquid frustrà colit Deum Job? his verò contingentibus se occultans, terga dedit, &c.]

Cautela in actionibus disponendis, quæ Viro laudando dedecus afferre videntur.

11 Cautè disponendæ sunt actiones de se pravæ, & Sancto, quem laudas, dedecoris notam inferentes. Ut si agere debeas de laxa B. Patris Augustini conversatione ante baptismum: vel licentiosiori Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ ante efficacem vocationem ab bonam frugem; sic de turpibus actionibus tractare necesse est, ut salva exaggeratione potentis dexteræ Excelsi in suscitando de pulvere egenos, & elevando de stercore pauperes, nil Auditoribus relinquatur, vel profanum in auribus, vel indecorum in cordibus. Quod si Sanctimoniæ eorum occurrant facta sufficientia, priora vìx indicata quantum sufficit ad notitiam, amplificatione non dilatentur. Imò consultiùs omittantur, præsertìm cùm de se nota sunt, & tanta arte uti non posse novit Orator, qua in ineptias non degeneret. Undè *Beda* optimè advertit prudentiam Evangelistæ, qui Magdalenam peccatricem exprimens, non proprio, sed Mulieris vocabulo designat. *Luc. cap. 7.*

Magdalena sub generali appellatione Mulier dicta.

[Maria Magdalena ipsa est, cujus tacito nomine proxima lectio pœnitentiam narrat. Nam pulchrè Evangelista, ubi eam cum Domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo

cabulo manifeſtat: ubi verò peccatricem, ſed pœnitentem deſcribit, Mulierem generaliter dicit: nè Nomen tantæ famæ, priſtini erroris notâ fuſcaret.]

12 Inter ſingulares actiones aliæ ſunt ſeipſis magnificæ, Auditorum aures pompa quadam implentes. Pro his non multùm laudabitur in Oratore labor; ſua enim ſponte occurrent authoritates, ſimilitudines, eruditiones, ſymbola, ſcripturarum interpretationes. Aliæ ſteriles prima fronte, ac puſillæ, in eis tamen quid grande latet, & ſi ingenioſiùs pertractentur, difficultèr quidem, ſed non dubiâ Oratoris gloriâ, eò magìs novæ, quò minùs à cæteris obſervatæ, maximè augent admirationem. Plures enim plura prætereunt facta ſpecietenùs exilia, vel quæ uno verbo abſolvuntur: in grandiſonis linguam impendunt totam. Reliqua in Job patientiæ documenta, incendia, ſtrages, plagas, vermes, uxoris exprobrationes, amicorum dicteria infracto animo tolerata multos habuere Encomiaſtes: Nuditas ejus, imò modus, & circumſtantia nuditatis, quæ non admodùm videbatur vulgaribus oculis aſpectabilis, *Chryſoſtomi* ſpecialem intuitum meruit, aureo calamo illius pauperiem, & nuditatem elevantis.

Actiones aliæ de ſe magnæ, aliæ primo aſpectu parvæ.

Hom. 5. de Pat. Iob.

13 Undè ait. [Conſiderabo Job patientiæ * turrim minìmè nutantem. Quis enim hoc pauperior? qui publica ad balnea abjectis pauperior fuit: his qui ſuper fornacis ſedent cinere, atquè omnibus prorsùs hominibus miſerior. Hi namquè, vel veſtimentum lacerum habent, ille verò nudus ſedebat, & quod habuit indumentum à Natura, carnis ſcilicet velamen, ſanie acerba Diabolus corrupit. Et pauperes quidem, vel ſub tecto ſunt, ſtipulaque ſaltèm operiuntur: ille verò ſub die nocturnus ſemper agebat, nequè tugurii tenuis ſolamen habens. Atquè, quod majus, quoniàm multorum malorum pro exacta jam vita ſibi conſcii ſunt: nequè parvum ſolatium ingruentis calamitatis, ſe ſibi conſcium eſſe, juſtèque punitum. Hic autem, & eo privatus ſolatio erat, utpotè qui conſolationem, converſationem, Virtutem plenam oſtenderet; eorum, qui ultima audent mala, pœnas pendebat. Et illi quidem olìm, & à principio de ærumna, calamitateque cogitaverunt: ille verò calamitatem inopinatam ſubiit, repentinam accipiens ex divitiis mutationem. Vidiſti eum in ultimam venientem paupertatem, & eam, poſt quam non eſt aliam invenire? Quid enim vel nudo, vel tectum non habente pauperius? &c.]

* Metaphora.

Nuditas Job ſingularis.

SECTIO

SECTIO III.

De Dispositione Conceptuum ex Sacra Scriptura.

1 
Uamvìs tradita pro ordinandis actionibus, etiam sit conceptibus proportionatè adhibenda: quædam nihilominùs pro his necessè est specialitèr adnotare. Nam cum Sacræ Scripturæ intelligentia, undè conceptus formantur, sua sublimitate mentes Auditorum supergrediatur; nec exigi possit, ut qui audit, quantociùs percipiat, quod qui dicit longo studio meditatus est: convenit, ut primo loco conceptus collocentur captu faciliores, qualis hic ex *Augustino* expendente Christi verba: *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterùm*, Samaritanæ Mulieri. [Quid est, qui biberit de aqua hac, sitiet iterùm? Et verum est secundùm hanc aquam: & verum est secundùm quod significat illa aqua. Etenim aqua in puteo, voluptas Sæculi est in profunditate tenebrosa. Hinc eam hauriunt homines hydriâ cupiditatum. Cupiditate quippè proni submittuntur, ut ad voluptatem haustam de profundo, perveniant, & fruuntur voluptate, præcedente, & præmissa cupiditate; nam qui non præmiserit cupiditatem, pervenire non potest ad voluptatem. Pone ergò hydriam cupiditatem, & hauri de profundo voluptatem. Cum pervenerit quisque ad voluptatem Sæculi hujus, cibus est, potus est, lavacrum est, spectaculum est, concubitus est: nunquid non iterùm sitiet?]

Conceptus faciliores primo ordine disponendi.

Joan. 4.

Tract. 15. in Joan. to. 9.

Aqua putei Samariæ significabat voluptatem Sæculi.

2 Pergat Auditoris mentem paulatìm elevare secretiori intellectu alicujus sententiæ, cujus exemplum præbeat *Augustinus* super illud: *Voca Virum tuum, & veni hùc.* [Ergo Fratres mei audiamus, & intelligamus, quod ait Dominus voca Virum tuum Mulieri. Fortè enim, & animæ nostræ dicit: voca Virum tuum . . . . Videns ergò Jesus, quia mulier non intelligebat, & volens eam intelligere: voca, inquit, Virum tuum; ideò enim nescis quid dico, quia intellectus tuus non adest. Loquor ego secundùm spiritum, tu audis secundùm carnem. Quæ loquor, nec ad voluptatem aurium pertinent, nec ad oculos, nec ad olfactum, nec ad gustum, nec ad tactum: mente sola capiuntur, intellectu solo

Ibid.

Intellectus Vir animæ.

solo

solo hauriuntur. Ille intellectus non tibi adest, quomodò capis quod dico? Voca Virum tuum, præsenta intellectum tuum, &c.]

3 Jam ad ampliorem intelligentiam Auditorem invitet per nobiliores conceptus, vel comparando factum narratum in novo Testamento alteri, de quo in Veteri, vel econtrà. Sic *Augustinus.* [Non sub poplite sella Regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitûs, non gloriosorum fama præliorum hos ad eum Viros ex remotis terris cum tanto voto supplicationis attraxerat. Jacebat in præsepi puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate; sed magnum aliquid latebat in parvo . . . . . . Regina quidem Austri venerat à finibus terræ audire Sapientiam Salomonis . . . . . . Verumtamèn inerat Salomoni doctrina, quæ verbis ejus longissimè, ac latissimè diffamatis, ad discendum potuit studiosos animos excitare. Proindè illa non latentem Deum, sed loquentem hominem, non adorare venerat, sed audire. Hic autem, qui donaverat illam sapientiam Salomoni, & erat Virtus, ac Sapientia Dei, infirmitate carnis indutus adhùc per pusillam ætatem tacebat in terris, & jàm per amplissimam Majestatem clarebat in Cœlis.]

Serm. 7. de Epiph. to. 7.

Christi in Præsepio Paupertas.

A Regibus adoratur.

4 Alibì verò idem *S. Pater Augustinus.* [Vide si non Judæi signa petunt. Dixerunt ergò ei: Quod ergò tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Parumnè erat, quod de quinque panibus pasti sunt? Sciebant hoc quidem; sed huic cibo manna de Cœlo præferebant. Dominus autem Jesus talem se dicebat, ut se Moysi præponeret. Non enim ausus est Moyses de se dicere, quod daret cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Aliquid plus iste promittebat, quàm Moyses. Per Moysen quippè promittebatur Regnum, & terra fluens lac, & mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, & cætera omnia temporalia quidem, in figura tamen spiritalia, quia veteri homini in Veteri Testamento promittebantur. Attendebant ergò promissa per Moysen, attendebant promissa per Christum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, sed cibo, qui perit: iste promittebat cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Attendebant eum plus promittentem, & quasi nondùm videbant majora facientem, &c.]

Tract. 25. in Io.

Judæi signa petentes.

Audiebant Christum plusquàm Moysen promittentem, & de potentia dubitabant.

5 Eminent etiam Conceptus formati de eodem facto

ex

ex oppositione circumstantiarum. Proferamus itidèm *Augustinum* expendentem, quod Dominus de morte Lazari, & gavisus sit, & tristatus. [Sed si gaudere se dicit hìc Dominus propter Discipulos de Lazari morte: quid est, quod postea flesse refertur in Lazari morte? Sed advertamus rationem gaudii, & lachrymarum. Gaudebat Dominus propter Discipulos, flebat propter Judæos. Propter Discipulos gaudebat, quia per resurrectionem Lazari, confirmari habebat Fides ipsorum in Christo: propter Judæorum flebat incredulitatem; quia nec resurgente Lazaro, Christo Domino fuerant credituri. Aut fortè idcircò flevit Dominus, ut lachrymis suis, mundi peccata deleret, &c.]

to.10. ferm. 104. de tëp.

Christus de Lazari morte quomodò lætatus, & tristatus.

6 Conceptus planè egentes ad captum dicendi Genere Didascalico, hoc est Doctrinali, medium occupent Concionis, in quo datur quidam pausæ locus, adeoquè nonnihil morari concessum est, & Auditor prioribus delectatus, jucundè etiam difficillia apprehendit. Hujusmodi sunt formata ex verbis, quæ ponuntur in Scriptura, & Deo repugnant, si ut sonant accipiantur. Ex quorum frequenti numero, aliqua hic indicare nonnisi utile erit. *Augustinus*. [Manè exaudies, hoc intelligi voluit: manè intelligam me esse exauditum. Qualis est ista loquutio: Exurge Domine: fac me exurgere. Sed si hoc de resurrectione Christi accipitur, illud certè non potest rectè aliter accipi: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum; nisi ut vos per illum sciatis, & vobismetipsis manifestetur quantum in ejus amore profeceritis.]

to.8. Enarr. in Psal. 6.

Deus qua ratione hominem tentare dicatur, ut sciat.

7 Similiter quomodò Deus dicatur *reminisci* explicat subtilitèr *D. Thomas* ad ea verba: *Reminiscere miserationum tuarum.* [Et ideò petit misericordiam contrà peccata. In hac ergo misericordia sunt duo, scilicèt usus, sivè effectus misericordiæ, qui vocatur miseratio: secundum est ipsa Misericordia, secundùm quod est Virtus. Quando igitur Deus miseretur actù, tunc dicitur misericors: sed videtur oblivisci, quando actù non miseretur. Undè dicit: Reminiscere miserationum tuarum. Psal. aut oblivisccetur misereri Deus? Tamen hoc ipsum, quod differt misereri, facit propter bona nostra, licèt secundùm opinionem hominum videatur oblitus quando non miseretur actù. Quasi diceret: Reminiscere, nè apud iniquos videaris oblitus.]

In Psal. 24.

Et reminisci.

8 De verbo autem *oblivisci* quomodò Deo tribuatur triplicem habemus ex *Augustino* expositionem. Nàm super illud: *Ne obliviscaris pauperum*, ait. [Idest, sicùt impii putant,

Enarr. in Psal. 9.

tant,

tant, qui dicunt: oblitus est Deus, avertit faciem suam, nè videat usque in finem.] Et ad ea verba: *Usquequò Domine oblivisceris me in finem, usquequò avertis faciem tuam à me?* ait. [Ideft differs me ad intelligendum Christum spiritalitèr, qui est Dei Sapientia, & rectus finis omnis intentionis animæ. Quousquè avertis faciem tuam à me? Sicut non obliviscitur Deus, sic nec faciem avertit, sed more nostro Scriptura loquitur. Avertere autem Deus faciem dicitur, dùm non dat animæ notitiam sui, quæ adhùc purum mentis oculum non habet.] Et super illud: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas nè memineris,* inquit. [Delicta confidentis audaciæ meæ,& ignorantiæ meæ nè ad vindictam reserves; sed tanquàm excidant tibi.]

Enarr. in Psal. 12.

Et quo sensu dicatur oblivisci.

Enarr. in Psal. 24.

9 Christo insuper aliqua in Scripturis attribuuntur, secundùm se quidem repugnantia, sed ad mysticum sensum trahenda, undè conceptus eruuntur. Hìnc ea Apostoli verba: *Christus autem nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis Maledictum,* exponens *D. Thomas* ait. [Ubi notandum, quod *Maledictum* est, quod *dicitur malum,* & secundùm duplex malum potest dici duplex maledictum, scilicèt maledictum culpæ,& maledictum pœnæ. Et utroque modo potest hoc legi duplicitèr: *Factus pro nobis Maledictum.* Et primò quidem de malo culpæ. Nam Christus redemit nos de malo culpæ. Unde sicut redemit nos de morte mortuus, ita redemit nos de maledicto culpæ factus Maledictum scilicèt culpæ: non quidem, quod in eo peccatum esset aliquod, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in eo 1. Pet. 2. sed secundùm opinionem hominum, & præcipuè Judæorum, qui reputabant eum peccatorem. Joa. 18. si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum...... Secundò exponitur de malo pœnæ. Nam Christus liberavit nos à pœna, substinendo pœnam, & mortem nostram, quæ quidem in nos provenit ex ipsa maledictione peccati. Inquantùm ergò hanc maledictionem peccati suscepit, pro nobis moriendo, dicitur esse factus pro nobis Maledictum. Et est simile ei, quod dicitur Rom. 8. Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati,ideft mortalis. 2. Cor. 5. Eum, qui non noverat peccatum, scilicèt Christum, qui peccatum non fecit, Deus, scilicèt Pater, pro nobis fecit Peccatum, ideft fecit pati peccati pœnam, quando oblatus est proptèr peccata nostra.]

Ad Gal. 3. Ibid. Lect. 5.

Christus cur dicatur factus pro nobis Maledictum.

10 Verùm postrema hæc Apostoli verba captu difficillima fusiùs explanat idem *S. Thomas* proprio loco dicens.

[Pro nobis fecit Peccatum . Quod tripliciter exponitur. Uno modo, quia consuetudo Veteris Legis est, ut Sacrificium pro peccato Peccatum nominetur. Oseæ 4. Peccata Populi mei comedent, idest oblata pro peccato. Tunc est sensus. Fecit peccatum, idest Hostiam, vel Sacrificium pro peccato. Alio modo: quia peccatum aliquandò sumitur pro similitudine peccati, vel pro pœna peccati. Rom. 8. Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato, idest de similitudine peccati, damnavit peccatum. Et tunc est sensus: Fecit Peccatum, idest fecit eum assumere carnem mortalem, & passibilem. Tertio modo, quia aliquandò dicitur hoc esse hoc, vel illud, non quia sit, sed quia opinantur homines ita esse. Et tunc est sensus: fecit Peccatum, idest fecit eum reputare peccatorem. Esa. 53. Cum iniquis deputatus est.]

In 2. ad Cor. cap 5. lect. 5.

Et quod Deus Christum fecerit Peccatum.

11 In Concionis extrema parte Conceptus breviores ponendi, ut faciliùs memoriæ hæreant, præsertìm qui ex verbi, aut adverbii appositi, sivè etiam quod videtur deficere, consideratione oriuntur. Plura id genus sua sede reperies, unum hìc subtexendum. *Augustinus* ad illa verba: *Qui loquitur veritatem in corde suo*. [Nonnulli enim in labiis habent veritatem, & in corde non habent. Tanquàm si aliquis dolosè ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dicat: si hàc ieris, à latronibus tutus eris; & contingat, ut verè non ibi latrones inveniantur. Verum ille loquutus est, sed non *in corde suo*. Aliud enim putabat, & nesciens verum dixit. Ergò parùm est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit.] Conceptus autem ex adverbii *Insuper* ponderatione, aut ex verbo, sivè pronomine, quod videtur deficere, vel superfluere, quæras apud Augustinum pluribì; nimis enim sectio excresceret, eos adducendo sigillatìm; præsertìm legatur super illud: *& olei sui*, & illud: In *Justitia tua*, & alibì.

Veritas in aliquorum labiis, & non in corde.

Enarr. in Psal. 14.

Enarr. in Psal. 8. In Psal. 3. In Psal. 4. In Psal. 6.

12 Non omittenda tamen super ea verba: *Et odio iniquo oderunt me* expensio *D. Thomæ*, nè videatur verbum *iniquo* superfluere, sed potiùs admodùm convenire. [Est autem duplex odium: primum odium est bonum, quando quis odit peccatum, sivè peccatorem proptèr culpam. Psal: Perfecto odio oderam illos. Item est odium iniquum, quando quis odit naturam, vel justitiam. Ideò dicit: Et odio iniquo oderunt me, idest injusto, & sine causa. Joa. 15. Ut impleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis.] Idemque indicat *Augustinus*. [Et oderunt me diligentem se.] Animi enim ingratitudine, quæ ad Injustitiam

Odium iniquum quid sit.

D Thom. in Psal. 24.

Enarr. in Psal. 24.

tiam pertinet, pro eo, ut me diligerent, ficut diligebam eos, oderunt me.

SECTIO IV.

De Dispositione Argumentorum.



1 Idem rei, de qua tractas, præcipuè faciunt rationes, & argumenta; hæc autem etsì efficacia, vim omnem amittent, nisi apta dispositione coordinentur. Ordo eorum sit, ut selectis fortioribus; & velùt ineluctabilibus, initia Orationis præmuniantur. Hæc Regia Cohors, hæc Honorariorum Phalanx, manibus conserendis expedita. Auspicata victoria est, primo sistere impetu, quem aggrederis. Hujusmodi sunt præsertìm Ratiocinationes, quæ vocantur Argumenta ad Hominem, quæ alibì fusiùs tractata, hìc libare satis est. Argumenta in prima Orationis fronte efficacia.

2 Marcionem asserentem, quod Christus esset Deus, & ob hoc non veram carnem, Deo indecoram, sed carnis phantasma circumferret, ad hominem *Tertullianus* convincit, nempè ex hoc phantasticè Deus censendus esset, quod non verè esset homo. [Quomagis * Antichristus Marcion sibi eam rapuit præsumptionem, aptior scilicèt ad tenuendam corporalem substantiam Christi, qui ipsum Deum ejus, nec authorem Carnis induxerat, nec resuscitatorem, optimum videlicèt, & in isto, diversissimum à mendaciis, & fallaciis Creatoris. Et ideò Christus ejus, nè mentiretur, nè falleret, & hoc modo Creatoris forsitàn deputaretur, non erat quod videbatur, & quod erat mentiebatur: Caro, nec caro: Homo, nec homo: proindè Deus Christus, nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portaverit? An credam ei de interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus? * Quomodò verax habebitur in occulto, tàm fallax repertus in aperto? Quomodò autem in semetipso Veritatem Spiritus, fallaciâ carnis confundens, negatam ab Apostolo, lucis, idest Veritatis, & fallaciæ, idest tenebrarum, commisit communicationem?]

Lib. 3. con. Marcion. cap. 8. — * *Epitheton.* — * *Argumentatio ad hominem.*

3 Prosequitur Marcionis dogma pessumdare *Tertullianus* argumento reducente Adversarium ad concedendum aliquod impossibile, nempè Evangelicam Veritatem delendam, & Fidei Cardinem perfringendum. [* Eversum est igi-

Ibid. Paulò post. — * *Argumentatio per reductionem ad impossibile.*

igitùr totum Dei opus. Totum Christiani Nominis, & pondus, & fructus, mors Christi negatur, quam tàm impensè Apostolus demandat, utique veram, summum eam fundamentum Evangelii constituens, & salutis nostræ, & prædicationis suæ: Tradidi enim, inquit, vobis in primis, quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris, & quod sepultus sit, & quod resurrexerit tertia die. Porrò si Caro ejus negatur, quomodò mors ejus asseveratur, quæ propria Carnis est passio per mortem revertentis in terram, de qua est sumpta, secundùm Legem sui Authoris? Negatâ verò morte dùm Caro negatur, nec de resurrectione constabit. Eâdem enim ratione non resurrexit, qua mortuus non est, non habendo substantiam scilicèt Carnis, cujus sicut & mors, ita, & resurrectio est. Proindè resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est. Nec ea enim valebit, propter quam Christus venit, si Christus non resurrexit. Nam sicut illi, qui dicebant, resurrectionem mortuorum non esse, revincuntur ab Apostolo ex resurrectione Christi: ita, resurrectione Christi non consistente, aufertur & mortuorum resurrectio. Atque ità inanis est Fides nostra, inanis est & prædicatio Apostolorum.]

Si Christus veram Carnem non habuisset, non verè resurrexisset.

4 Rationes, sivè argumenta non tantæ efficaciæ medium impleant Orationis. Cum autem singula minùs possint, colligata in unum cuneum, velùt inter veteranas Legiones Mediæ acies, vìx velitationibus aptæ, simul consistentes evadunt etiam decretorio Marte pugnaces. Fortissimis argumentorum singulis instandum ad initium, vel ad calcem Orationis, infirmiora congerenda sunt, ut mutuo auxilio substineantur, & si non possunt valere, quòd magna, valebunt certè, quòd multa. Quemadmodùm Urbe circumsessâ, Oppidani, quamvìs animo quisque despondeat, in manipulos tamen conjuncti, & præsidiaribus immixti, adhùc ipsi milites censentur, & in subitis eruptionibus contrà hostes nimiùm audent. Sic rationes ex se non magni momenti, unà convincunt, quæ separatæ vilipenduntur. Ad rem *Quintilianus.* [Quid quod interìm, quæ per se levia sunt, & infirma, turbâ valent; ideoquè congerenda sunt potiùs, & velùt eruptione pugnandum.] *Lib. 4. cap. 5.*

Argumenta non tàm firma in medio Orationis locanda.

5 Eidem Orationis medio opportunum est argumentum, quod dicitur Inductio, efficax quidem ad convincendum, sed sinè strepitu, imò cum quadam delectatione, plurium collatione exemplorum. Quarè *Tertullianus* Universale Christi Regnum probans, argumento ex Inductione ferè *Lib. adv. Judæos cap. 7.*

rè in medio utitur. [Ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ Nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita: & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum Gentium, & Provinciarum, & Insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs possumus. In quibus omnibus locis Christi Nomen, qui jam venit, regnat, utpotè ante quem omnium Civitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ: ante quem * seræ ferreæ sunt comminutæ, & valvæ æreæ sunt apertæ. Quamquàm, & ista spiritalitèr sint intelligenda, quo præcordia singulorum variis modis à Diabolo obsessa, Fide Christi sint reserata; attamen perspicuè sunt adimpleta, utpotè in quibus omnibus locis populus Nominis Christi inhabitet.]

Christi Nomen in omnes Gentes diffusum.

** Stylus Scripturalis per usū verborum.*

6 Ampliùs idem convincere pergit, quoniàm omnium Gentium ubiquè terrarum nulli unquàm contigit Dominatus, aliâ utens Inductione. [Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius? Qui omnibus in æternum Gentibus regnaturus nunciabatur. Nam si Salomon regnavit: sed in finibus Judææ tantùm, à Bersabea usquè Dan termini ejus Regni signantur. Si verò Babyloniis, & Parthis regnavit Darius, non habuit potestatem ulteriùs: ultrà fines Regni sui non habuit in omnibus Gentibus potestatem. Si Ægyptiis Pharao, vel quisque ei in hæreditate Regni successit, illìc tantùm positus est Regni sui Dominium. Si Nabuchodonosor cum suis Regulis, ab India usquè Æthiopiam habuit Regni sui terminos. Si Alexander Macedo, nunquàm Asiam universam, & cæteras regiones, posteaquàm devicerat, tenuit. Si Germani, adhucusquè limites transgredi non sinuntur. Britanniæ intrà Oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum Gens, & Getulorum barbaries à Romanis obsidentur, nè Regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de Legionum suarum præsidiis Imperium suum muniunt, nec trans istas Gentes porrigere vires Regni sui possunt? Christi autem Regnum, & Nomen ubiquè porrigitur, ubiquè creditur, ab omnibus Gentibus suprà enumeratis colitur: ubiquè regnat, ubiquè adoratur; omnibus ubiquè tribuitur æqualiter: non Regis apud illum major gratia: non barbari alicujus imperiosi lætitia: non dignitatum, aut natalium cujusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus, & Dominus est.]

Ibid.

Nemo unquàm totius Orbis obtinuit Dominatum.

7 Ul-

7 Ultima Concionis pars validis rationibus roboranda est, ut animos jam priori congressione perculsos, extremo agmine Oratio armata triumphet. Languet profectò si infirmis rationibus claudicet in postremis. Ideòque *Quintilianus*, arbitrio linquens Dispositionem argumentorum, Rhetoribus in hoc variantibus, illud monet, nè Oratio exilibus probationibus terminetur. [Quæ, prout ratio Causæ cujusque postulabit, ordinabuntur: uno, ut ego censeo, excepto, nè à potentissimis ad levissima decrescat Oratio.] Huc advocentur Enthimemata, Dilemmata, Exempla, argumentorum genera eò magis robusta, quò breviora, acsi in acuminatis missilibus contracta virtus armorum, quò diriguntur altiùs hærent,& intima mentis obtinent.

Argumenta valida in extrema Orationis parte ponenda.

Lib. 5 cap. 12.

8 Eodem fine, rationes aliquas breves, sed efficacissimas, velùt extremam selectorum militum cohortem sibi reponat, ut fervente pugna, & hoste nutante, oppositâ inopinatâ illâ rationum acie, novo impetu contraniterem adoriatur, plenamque consequatur victoriam. Breves autem sint, & celeri quodam fervore dicendi prolatæ,nè concedatur Auditori tempus respondendi, aut de earum pondere judicandi, sed pluribus rationibus, alterâ alteri nexâ, ad cedendum obstringatur: ac suo bono à vitiorum dissolutione abstractus, Christi jugo cervicem demittat.

Rationes breves, sed efficacissimæ in fine statuendæ.

9 Cujus Regulæ praxim disce ab *Ambrosio*, ubi Relationi respondet Symmachi Urbis Præfecti petentis à Valentiniano Cæsare priscæ superstitionis restitutionem. Inducit autem Ambrosius Romam expostulantem pluribus de veteribus profanorum ritibus, inter quæ. [Hoc solùm habebam commune cum Barbaris, quia Deum anteà nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis Dei voces? Venite, & discite in terris Cœlestem militiam: hìc vivimus,& illìc militamus. Cœli mysterium doceat me Deus ipse, qui condidit, non homo, qui seipsum ignoravit. Cui magìs de Deo, quàm Deo credam? * Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare, quod colitis? Uno, inquit, itinere non potest perveniri ad tàm grande secretum. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognovimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa Sapientia Dei,& Veritate compertum habemus. Non congruunt igitùr vestra nobiscùm. Vos pacem Diis vestris ab Imperatoribus obsecratis: nos ipsis Imperatoribus à Christo pacem rogamus. Vos manuum vestrarum adoratis opera: nos injuriam ducimus,

Epist. 31 ad Valent.

* *Argum. ad hominem.*

Nulli magis de Deo, quàm Deo per Ecclesiam loquenti credendum.

cimus, omne quod fieri poteſt, Deum putari. Non vult ſe Deus in lapidibus coli. Deniquè etiam ipſi Philoſophi veſtri iſta riſerunt.]

10 Veroſimilibus rationibus, aut factis Propoſitionem fulcire non improbatur, ubi veræ, & certæ non innoteſcunt, vel materia ipſa ſterilis eſt. Alioquin teſte *Tertulliano*. [Nemo tàm otioſus fertur ſtylo, ut materias habens, fingat.] Plurimum verò artis oſtendi pòteſt, dùm ſivè prætextu non neceſſariæ probationis: ſivè timore ſimulato nocendi potiùs, quàm juvandi, rationum inopià artificio tegitur. Sic *Tertullianus* poſt execratam ſpectaculorum curioſitatem. [Sed hæc Ethnicis reſpondi. Cæterùm abſit, ut de iſtius ſpectaculi averſione diutiùs diſcat Chriſtianus, (*plura ſcilicet à me audiat, quæ nec memoranda ſunt.*) Quamquàm nemo hæc omnia pleniùs exprimere poteſt, niſi qui adhùc ſpectat. Malo non implere (*ideſt non plenè probare*) quàm meminiſſe.] Quia nempè aures offenderentur.

Lib. adv. Valentin. cap. 5.

Lib. de ſpectac. cap. 19

Spectacula obſcæna improbatur.

11 Ordinem probandi propria, ſequitur ordo refellendi aliena, quæ noſtris ſivè Propoſitionibus, ſivè argumentis opponi multotiès vel contingit, vel præſumendum eſt. Pluribus modis fieri poteſt, de quibus ſuo actum eſt loco. Hìc adjicimus, quod ſi Auditor rubore quodam ſignificet nimiùm ſe concuſſum, remorari tamen nonnullis difficultatibus, quas cuperet, ſi locus daretur, proferre; utatur Orator Figurâ Subjectionis. Undè *Ambroſius* ad Chriſti imitationem, poſt tot beneficia, hominem exhortans, ait. [Brevis hujus laboris eſt meta, & corona fructus perpetui: tolerabilis paſſio, merces inæxtimabilis. * Quid enim te angit? An ignobilitatis abiectio? Sed erit tibi in futurum glorioſa nobilitas devotionis, ac Fidei. Nunc cenſus tenujor, victus anguſtior, ſed erunt tibi divitiæ remunerationis æternæ, in quibus rei ullius egere non poſſis. Nùm amiſſio filiorum? Recipies perpetuos, quos ſuſceperas temporales, &c.]

To. 4. lib. 1. de Jacob cap. 6.

Chriſti imitatio glorioſa.

* *Subiectio. Figura.*

12 Per Figuram etiam Præoccupationis reſpondetur, cùm uno, vel altero verbo ſatisfit difficultati, quæ nobis diſcurrentibus objici poſſet. Sic ſolertèr *Ambroſius*, cum de Viro Nobili Chriſti typo, juxtà Evangelicam parabolam ageret, exigente à ſervis uſuram de mna commiſſa: quia ſibi objici poterat: quarè Dominus uſuras exigat, qui uſuras prohibet? hanc ſolvit objectionem. [Benè autem, quia Judæis dicit, duo ſoli multiplicatam pecuniam deferunt, non utique æris, ſed diſputationis uſuris. Alia eſt enim pecuniæ fœnebris, alia doctrinæ Cœleſtis uſura! Denique Dominus

Luc. 19.

Lib. 8. in Luc.

Talenta à Chriſto concredita, cum uſuris repetuntur.

minus dicit: Quarè non dedisti pecuniam meam ad mensam? * Non nostræ, sed suæ pecuniæ quærit usuram.]

* *Præoccupatio artificiosa.*

13 Robustior confutatio, qua Adversarius suo asserto refellitur. Eâ usus est *Ambrosius* contrà Gentiles reposcentes inanium Numinum sacra ab omnibus retrò Imperatoribus instituta. [Nunquid Imperator Gentilis aram Christo levavit? Dùm ea, quæ fuerunt, reposcunt, exemplo sui admonent quantum Christiani Imperatores Religioni, quam sequuntur, debeant deferre reverentiæ, quando Gentiles superstitionibus suis omnia detulere.]

To. 3 Epist. 31.

Argumenta, vel facta afferenda aliquandò per Figuram Hypothiposim.

14 Clausulæ loco advertendum, argumenta, conceptus, facta, non esse simplici narratione proponenda, sed sæpè per Figuram Hypothiposim, circumstantiis obvallata, velùt intuenda potiùs quàm audienda. Ut enim inquit Fabius. [Magna virtus est, res, de quibus loquimur, clarè atque ut cerni videantur, enunciare. Nemo enim satìs efficit, neque ut debet plenè dominatur Oratio, si usquè ad aures volet, atquè ea sibi Judex, de quibus cognoscit, narrari credit, non exprimi, & oculis mentis ostendi.]

Quintil. Proœm. lib. 1.

15 Novimus quoque, longam Orationem, quantumlibet elegantem, tædium parere, nec minoris virtutis esse, scire desinere, quàm scire dicere. In memoriam proindè revocans Orator, ejus muneris esse, quidquid debet aliis exponere, non quidquid potest: Haùd gravatè nonnulla relinquat, alibì forsàn necessaria: è consita rerum, argumentorum, conceptuum, authoritatum sylva opportuna causæ carpat: si quæ remanent, nova occasione oblatâ sunt profutura. Ejusdem dispendii censenda est, & exundans rerum copia, & extrema indigentia. Multa, quia placent, existimamus utilia; sed utilia non sunt, quæ obsunt modò. Deniquè audiendus *Ambrosius*. [Alliga sermonem tuum, nè luxuriet, nè lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat: sit restrictior, & ripis suis coërceatur: * Citò lutum colligit amnis exundans.] Et post non multa subdit. [Ad mensuram sermones proferat, librâ examinatos justitiæ: ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.]

Non omnia congesta in côcione afferenda.

Lib. 1. Offic. cap. 3.

* *Sententia.*

16 Inter omittenda præcipuè judicamus rationes, vel facta Ethnicorum. Si enim argumentorum, exemplorum, authoritatum ex Divinis Literis, Sanctis Patribus, Sacris Historiis affluentia exuberat, ut quid extraneis egemus, imò non egemus, sed oblectamur? Hujusmodi ultrà modum sæcularibus doctrinis deditum severè arguit *Tertullianus*. [Red-

Rationes ex Ethnicis desúptæ non admodùm frequentes in Concione.

Lib. de Resurr. Carn. cap. 6. [Redde illi (*Ethnico*) suos sensus, quia nec ille de tuis instituitur. Quid cæco Duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno uteris clypeo, si * ab Apostolo armatus es?] Jis igitur selectis, quæ nec multitudine obruant, nec paucitate infirment, sed rei congruant, & intento æquentur, evadet Oratio, proût fieri potest, similior illi, quam *Nazianzenus* in Basilio exaltat. [Quis sermonem habuit animi sensa meliùs exponentem: itaût neutra parte, ut plerique, claudicaret: nempè vel mente sermone destituta, vel sermonem mente haud æquo gradu sequente?] Jàm verò tradita Dispositionis methodo, de jis, quæ Dispositioni in Oratione subjiciuntur deincèps agendum est.

* *Laconismus.*

Orat. 20. de laud. Basil.


CAPUT II.

De Exordio.



Xordium, Orationis principium, ad captandam in Auditoribus benevolentiam, attentionem, ac docilitatem institutum, Propositionem assumptam aliquantò latiùs exponere, & Concionem quasi compendio continere debet. Cùmque sit prima Orationis facies, gemino decore nitet: &, ut ita dicam substantiali pulchritudine, & superficiali. Prior resultat ex gravitate, eruditione, sententiis, cæterisque vigorosam compositionem efficientibus, & ad mentem devinciendam efficacibus. Altera consistit in periodorum concinnitate, Figurarum coloribus, argutiarum salibus, aliisque lænocinantibus gratiis (ut ajunt;) quibus tamen exornetur, non obruatur: ostendat lautitiem, non luxuriem: fœcunditatem, non superfluitatem: rerum apparatus, non apparentias.

Exordium ad quid institutum.



SECTIO I.

Vitia Exordii. Orationis Thema.

1  Itia, quibus Exordium peccare contingit, etsi plura à Rhetoribus numerentur, ut Vilitas, seù rerum humilium, sententiarum, apophtegmatum, eruditionum, similitudinum, vulgo familiarium adunatio adversa splendori Exordio convenienti. Ineptitudo, quia vel productum nimis, vel nimis contractum, utrìmque reliquo Orationis corpori monstruosum Caput indigitat. Incredibilitas, nempè continua propositionum paradoxo affinium, & Hyperboli finitimarum conglobatio; in quem speciosum Artis errorem, acris ingenii Juvenes, vani plausûs cupiditate labuntur. Indè subrepit Obscuritas, non quidem ex altitudine styli, qui adhùc in Grandi Genere dicendi, si tractetur, ut oportet, perspicuus est: non rerum sublimitate, quæ Auditorum mentem suspendit, non opprimit: sed ex incongrua serie, & labyrinthæis ambagibus, neglecto ordine, & inversa proportione: aut ex frequentiori Translatorum usu, materiam, de qua agitur, offusa caligine obnubilantium, cum benevolum, attentum, docilem non mereatur Auditorem, quem suâ culpâ nolit intelligentem.

Vitia communitèr in Exordiis animadversa.

2 Duo præsertim vitia summoperè sunt in Exordio declinanda, videlicèt Communitas, & Extraneitas. Primum cavetur, si non facilè accommodari possit aliis à proposito Assumpto. Et profectò observanda aliqua singularis circumstantia conveniens, & rei agendæ, & rei à qua comparatio desumitur. Quo fit, ut Exordium aliàs commune pluribus, uni proprium videatur. Hoc exemplo Regula pateat. Si enim ad exponendum Assumptum, *Gedeonem Evangelicum* pro Sancto Martyre Sebastiano, Exordium duceres ex Dei Providentia, veræ Religionis cultum profitentes strenuis semper Ducibus contrà hostes muniente, præcipuè Gedeone ad Madianitas reprimendos; idque multò potiùs Ecclesiæ Catholicæ præstitisse: Commune innumeris Fidei Athletis Exordium erit, nihil conferente ordinaria additione, nunquàm scilicèt hoc clariùs ostensum, quàm in Sebastiano.

Restringuntur ad duo.

Communitas Exordii quomodò vitanda.

3 A Communitate autem vindicatur, perpensâ singulari

ri circumſtantia in Gedeone, quem Divina Potentia deſtinatum ad præclari facinoris oſtenſionem, Spiritûs virtute obarmatum, occultum voluit, & ſub jugo hoſtium, villicum agendo, animi robur diſſimulantem: ubi arcanæ diſpoſitionis tempus advenit, novo alacritatis impulſu: *Spiritus Domini induit Gedeon*, ſtrenuum Virum eduxit in aciem. Conſimilem veſtigare licebit in Sebaſtiano circumſtantiam, qui Dux primæ Cæſarianæ cohortis, Chriſtianos, quorum Fidem clàm colebat, animabat inobſervatus ad pugnam, Diocletiano, & natalium conditione, & muneris dignitate charus in paucis, Barbarum hominem contrà Fideles rabidè furentem, inſinuato crudelitatis horrore mitigabat: Cum poſteà Fidei periculum in Marco, & Marcelliano Fratribus, ſuppliciorum congerie, conſanguineorum violenta aggreſſione oppugnatis, & in ultimum diſcrimen adactis, advertiſſet: depulsâ diſſimulatione Veritatis, & confirmata magnanimitate Virtutis, Chriſtianæ rei patrocinium ſuſcipiens, nutantes publica oratione corroborans, Tyranno generoſi pectoris conſtantiam opponens, & plures firmavit exemplo, & ſibi Immortalitatis ſtolam promeruit proprio ſanguine rubricatam.

Judic.6.

S. Sebaſtiani laus.

4 Id in *Chryſoſtomo* fas eſt obſervare, qui Paulum laudans ſic exorditur. [Quid ſit homo, & quanta Naturæ noſtræ nobilitas, quantæque capax virtutis, hoc vel præcipuè ex omnibus Paulus oſtendit, qui nùnc ſtetit adversùs criminationes humanæ creaturæ, clariſſima pro Deo voce reſpondens, cohortans ad ſtudia Virtutis, & impudentiſſima blaſphemantium ora concludens: docens quoque, quod inter Angelos, homineſque, non grande ſit medium, ſi tamen nosipſos diligentiùs excolamus.] Cæterùm nè modus hujuſmodi exordiendi in Communitatis vitium incidat, cùm non deſint alii eodem animi robore magna operati, & majora perpeſſi: ſingularem oſtendit ex ea circumſtantia, quod homo debeat ſivè agens, ſivè ſubſtinens, omnia ferre ex amore Virtutis, & hoc ſpecialiſſimum in Apoſtolo fuerit. Undè ſubdit. [Neque verò hoc ſolùm in illo mirabile eſt, quòd præ abundantia devotionis quodammodò non ſenſit dolores pro Virtute ſuſceptos: ſed etiam, quòd Virtutem ipſam pro mercede penſavit. Nam nos equidèm pro ea, nec mercede propoſita, certamus, quam ille complectens, etiam ſinè præmio diligebat, cuncta illa, quæ aſperitate ſui videntur impedire Virtutem, cum omni magnanimitate perpetiens: qui neque infirmitatem corporis, neque multitudi-

To. 3. hom. 2. de laud. Paul.

Paulus ora blaſphemantium concludens.

Virtutem pro Virtutis mercede penſavit.

nem circumstantium undiquè negotiorum, neque tyrannidem naturæ, neque quidquam aliud omninò causatus est: cum utiquè major illi, quàm cunctis, & militiæ Principibus, & Regibus terræ esset cura commissa. Sed quotidiè celsior, quotidiè assurgebat ardentior, & intentis sibi periculis nova semper alacritate pugnabat.]

5 Extraneum Exordium est, quod cum sequentibus non connectitur, idest non cohæret Propositioni assumptæ quantùmlibet verbis illis frigidissimis: *Ast quid in his immoramur, quando ad alia, Veritas exponenda nos vocat?* velutì reste quadam violentèr ad rem trahatur. Vitium præcedenti non impar, eò absurdius, quò aliorsùm divertere cogit nobilissimam, àc primam Orationis partem destinatam, ut sit Propositionis, argumentorum, omniumque membrorum Concionis specimen, & Epitome. Verba facturus de Christi passione, & Exordium habens de Indica navigatione, vel de Astrorum varietate, quo glutino ea nectere m? Nisi forsàn ex jis rebus ducta metaphora pro materia proposita illum pateretur excursum, quamvìs nec patiatur in certi generis concionibus, ut de Passione, de Paradiso, de Inferno, & similibus, Exordium ex abrupto, aut ex visceribus causæ, utplurimùm exigentibus.

Extraneitas Exordii explicata.

6 Qua solertia hoc præcipuè vitium vitari possit, ex Praxi mox subjicienda colligitur. Verùm certissimè cavetur: si Orationis Thema perpendatur, nè unius quidèm verbi diligenti scrutinio neglecto: idipsum enim, absquè alio Inventionis labore, proprium, & ut sic loquar, connaturale ministrabit Exordium, oblato dubitandi motivo, causæ investigandæ ratione, authoritatis ipsius pondere, mystica interpretatione, Emphatica significatione, cæterisvè ad tractandam materiam conducentibus. Sic *Bernardus* Canticorum expositionem aggressus, mysteriorum sublimitate territus, primis eorum verbis: *Osculetur me osculo oris sui*, animo firmatus, ait. [Jucundum Eloquium, quod *ab osculo* principium sumit, & blanda quædam Scripturæ facies facilè afficit, & allicit ad loquendum. Itaùt quod in ea latet, delectet etiam cum labore investigare: nec fatiget inquirendi fortè difficultas, ubi eloquii suavitas mulcet, &c.]

Thema perpendendum.

Cant. 1. Serm. 1. in Cant.

7 Expendens quoque *S. Maximus* propositum Thema: *Quia dies Domini, sicut fur in nocte, ità veniet*, & dubio agitans, cur *noctem* posuerit, hoc sermoni imponit initium. [Movet fortasè vos Fratres, cur Dominus adventum suum indicans, *noctis* se tempore ostenderit adventurum:

1. ad Thess. cap. 5. Hom. 1. de Adv.

cum

cum utiquè ejus adventus magna cùm claritate diei, magno cùm nitore, & timore suscipi deberet à cunctis. Frequentèr namquè audivimus in Sacris Literis prædicatum, priusquàm Dominus noster adveniat, Antichristum regnaturum, qui ita tenebras Humano Generi suæ pravitatis infundet, ut lucem Veritatis nemo penè respiciat, & caligine propria operiens mentes hominum, cæcitatem quamdam spiritualibus oculis exhibebit, &c.]

Antichristo regnante, lucem Veritatis penè nemò respiciet.

8 Alibì etiam instituto Sermone ad Domini Passionem præambulo, quam prophætico plectro sigillatìm David præcinuisse probat, super Titulum Psalmi interpretandi reflectens, ita incipit. [Psalmi vigesimi primi, qui lectus est, seriem decursuri, diligentèr priùs debemus intendere, quid in superscriptione contineat: ut cognita ejus origine, intelligentiam ipsius faciliùs consequamur, & manifestato capite, possint rectiùs membra distribui. Inscribitur enim ita: *In finem pro susceptione matutina, Psalmus ipsi David.* Nisi fallor, susceptio matutina, Solis ortum semper antevenit, & priusquàm Orbem radiorum clarus splendor illuminet, matutinum noctium tenebris terminum ponit, &c.]

Hom. in Domin. Palm.

9 Sæpissimè hunc modum exordiendi prosequitur *Augustinus* in Concionibus post Psalmorum enarrationes, præcipuè super Psalmum: *In te Domine speravi*, sic pro initio Concionis eloquitur. [Psalmi hujus, quem modò cantavimus, quantum possumus, secreta rimemur, & indè sermonem exculptum reddamus auribus, & mentibus vestris. Titulus ejus est: In finem Psalmus ipsi David, Ecstasis. *In finem* quid sit novimus, si Christum novimus. Dicit enim Apostolus: Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti, Finis non consumens, sed perficiens. Duobus enim modis dicimus *finem*, vel quo fit, ut non sit, quod erat: vel quo fit, ut perfectum sit, quod inchoatum erat. Ergò *in finem*, in Christum, Psalmus David, Ecstasis. Verbum est *Ecstasis* Græcum, Latinè quantum datur intelligi, verbo uno exponi potest, si dicatur *Excessus* . . . . . . In hac Ecstasi fuerunt omnes Sancti, quibus arcana Dei Mundum istum excedentia revelata sunt . . . . . Ergò si hunc excessum mentis, idest hanc Ecstasim significat Titulus Psalmi hujus, magna profectò, & alta quædam sperare debemus dicturum eum, qui condidit Psalmum, &c.]


Psal. 30. Concion. 1. de princ. Psal.

Christus Finis Legis non consumens, sed perficiens.

SECTIO

SECTIO II.

Praxis Exordiorum ex ipsa Materia.

1 
Rationis disponendæ difficultas primo occurrit in limine, & paucorum est invidenda sors, calamo securo præfervidum ingenium æmulante, volare: pro reliquis tardiori motu, sed forsàn minus discrimini obnoxio, compositionis semitam terentibus, necessum est hìc subtexere Exordiorum formas in Patrum Lucubrationibus observatas, ad duas præcipuè reducendas, videlicèt ad Materiam ipsam, & ad Circumstantias: utraquè verò plures modos complectitur.

Pro Exordio quandoquè utimur ipsâ materiâ Concionis.

2 Igitùr ipsa materia, quæ tractatur in Concione diffusiùs, deseruit pro Exordio, non quod in eo, (nisi rarò, & per propositiones generales) anticipentur in progressu dicenda, id enim potiùs pertinet ad Epilogum; sed de illa quædam afferantur, non replicanda deincèps; sæpè enim affluens rerum copia, etiam ultrà Concionis fines exundat, proindè alienum quid usurpari in Exordio non patitur. Est autem hoc exordiendi Genus promptum, ac facilè, Auditoribus gratum, utpotè de qua re agendum sit cupidis, Oratoris etiam fiduciam commendantibus, & grandia expectantibus in Concione, quòd judicent: illum esse certum de benevolentia: hanc ex rei granditate mereri attentionem.

Exordium pro Concione de Liberalitate in pauperes.

Orat. de Pauper. amore.

3 Acturus itaquè *Nazianzenus* de amore fraternæ liberalitatis pauperibus impendendo, hoc habet Exordium. [Viri fratres, & mecùm paupertate conjuncti: (quamvìs enim hominum opinione, atquè judicio, alii aliis, si ad exiguam lancem expendantur, antecellant: pauperes tamen omnes in universum sumus, gratiaquè Divina indigemus) hanc de pauperibus amandis Orationem, non malignè, sordidèque, sed benignis, candidisque animis accipite, ut Regni Cœlestis opibus affluatis: ac communibus votis mecùm exposcite, ut eam affatìm, copiosèque vobis subministrem; orationisque, & doctrinæ pabulum animabus vestris porrigam, panemque spiritualem fame laborantibus frangam: sivè prisci illius Mosis in morem cibum cœlitùs depluens, panemque Angelorum impartiens: sivè paucis panibus, myriades etiam hominum ad satietatem usquè, in-

ſolitudine alens, quemadmodum poſtea Jeſus fecit, verus inquam ille Panis,& veræ vitæ Author.]

4 Eadem utitur forma *Chryſoſtomus* ex materia,de qua tractare proponebat, Exordium conſtruens, nempè eleæmoſynam petentes non eſſe curioſè examinandos, an verè ſint pauperes. [Quid.ſtipem depoſcentem ſcrutaris? quin illum Chriſti ob gratiam excipe: nam ſi nimiùm fueris explorando curioſus, vel probum plerùmque virum præteribis, facieſque hoc modo futuræ, & emeritæ mercedis jacturam. Quamvis, qui vel improbum pro Chriſto ſuſceperit, culpandus non erit, quin capiet pro eo, & præmium. Nam * qui Prophætam ſub Prophætæ nomine admiſerit,Prophætæ mercedem accipiet: qui verò pro intempeſtiva hac, & ſupervacanea ſcrutandi cura quempiam laude dignum parviſecerit, pœnas luet, &c.]

To. 5. Serm. Quod ne ſcrutemur pauperes curioſè.

Ad idem propoſitum.

* *Stylus Scripturalis per uſum ſententiæ.*

5 Inſupèr Concionem:Quod non oporteat de ſeipſo deſperare, ſic idem *Chryſoſtomus* exorditur. [Magna Pœnitentiæ remedia Fratres; igitur de ſeipſo deſperet nemo. * Is verè dignus eſt deſperatione, qui de ſeipſo deſperat.Ille non jam ſalutem, neque ſpem habet. Non in malorum veniſſe profundum eſt grave dilectiſſimi, ſed poſtquàm veneris, ibi jacere. Non in profunda cecidiſſe malorum eſt impii, ſed poſtquàm ceciderit, contemnere. Propterea debet ſemper eſſe ſolicitus. Dic mihi: proptereanè contemnis, quod vulnera tot habeas incurabilia? Sed nullum eſt animæ vulnus incurabile. In corpore quidem multa ſunt talia; in anima verò nullum, &c.]

Hom. 40. ad Pop.

* *Sententia.*

Gravius eſt jacere, quàm cadere.

6 Sed, & Sermonem de tremenda extremi Judicii die, ex ipſo diſtrictionis terrore exorditur. [Unuſquiſque veſtrûm, Chariſſimi, ſuam ingreſſus conſcientiam, & peccata reputans, diligentèr à ſemetipſo pœnas exigat, nè quandoquè cum Orbe terrarum condemnemur.Tremendum enim illud ſubſellium, horrendum Tribunal, tremore plena judicia, ignis funditur fluvius, frater non redimit, redimet homo? Recordare ſiquidèm eorum,quæ dicuntur in Evangelio, circumcurrentium Angelorum, ſponſalis thalami clauſi, extinctarum lampadum, Poteſtatum in fornaces detrahentium. Et illud penſa, quod ſi cujus ex nobis factum occultum in medium hodie coràm ſolâ produceretur Eccleſiâ, quomodò non perire, & ſibi terram hiſcere precaretur potiùs, quàm tot malitiæ teſtes habere? Quid tùnc ergò patiemur,cùm in medio coràm Mundo cuncta promentur in theatro tàm claro, & illuſtri, & nobis notis, & incognitis

Hom. 48. ad Pop.

Exordium aptum pro Cócione de Extremo Judicio.

gnitis

* *Interrogatio Dolentis.* gnitis omnia ſpectantibus? * Sed heu mihi! Cur vos terrere cogor ex hominum opinione, cum ſit opus ex Dei timore, & ipſius damnationis hoc agere? Quales enim quæſo tùnc erimus, cùm ligati, cùm ſtridore dentium in exteriores tenebras projiciemur? Imò verò quid agemus, (quod & omnium eſt terribiliſſimum) cum Deum offenderimus? Si quis enim ſenſum habet, & mentem, &c.]

7 Hùc pertinet Exordium exponens, narrans, deſcribens rem, à qua Aſſumpti metaphora ſumpta eſt. Quam frequentiſſimam formam exhibet *Tertullianus* Librum de Bono Martyrii inſcribens Scorpiacum, & Scorpium ſic elegantèr, de more, initio vivis coloribus depingens. [Magnum de modico malum, Scorpium terra ſuppurat: tot venena, quot ingenia: tot pernicies, quot, & ſpecies: tot dolores, quot & colores. Nicander ſcribit, & pingit, & tamen unus omnium violentiæ geſtus, de cauda nocere: quæ cauda erit quodcumque de poſthumo corporis propagatur, & verberat. Proindè Scorpii ſeries illa nodorum, venenata intrinſecùs venula ſubtilis, arcuato impetu inſurgens, hamatile ſpiculum in ſummo, tormenti ratione, reſtringens. Undè, & bellicam Machinam retractu tela vegetantem, de Scorpio nominant. Id ſpiculum, & fiſtula eſt patula tenuitate in vulnus, & virus quà figit, effundit. Familiare periculi tempus æſtus, Auſtro, & Africo ſævitiâ velificat, in remediis naturalia plurimùm, aliquid, & Magia circumligat, Medicina cum ferro, & poculo occurrit, &c.]

In Scorpiaco adver. Gnoſt.

Scorpii qualitas, & veneni efficacia.

Bellica Machina Scorpion appellata.

SECTIO III.

Exordium ex Materiæ Magnitudine.

1 MAgnitudo materiæ, de qua inſtituitur Concio, & unde derivandum dicimus Exordium, dividi poteſt in Intenſivam, ideſt ſuâ naturâ talem: & Extenſivam, quæ ſcilicèt ad plura porrigitur. Non ſemper eamdem rem ſimùl afficiunt. Plura enim peccata graviora ſunt malitiâ intenſivâ, originali Prothoparentis culpâ, quæ nihilominùs univerſa crimina excedit extenſione in Adæ poſteros. Res tamen aliquandò utroque modo magna eſt, ſicut Meritum Chriſti, quod in ſe eſt infinitæ dignitatis, & in infinitis hominibus gratiam cauſandi effi-

Adæ peccatum alia ſuperat extenſivâ malitiâ.

efficaciam habet, majori utiquè virtute in bono, quàm in malo originalis transgressionis contagium. Undè Apostolus: *Sed non sicut delictum, ita & donum.* Ad quæ verba *D. Thomas.* [Ostendit autem, quod per gratiam Christi removetur peccatum per Adam introductum in Mundum, comparando gratiam Christi peccato Adæ: quia scilicèt plùs potest gratia Christi in bono, quàm peccatum Adæ in malo.]

Ad Rom. 5. Lect. 5.

Christi meritum infinitæ dignitatis, & efficaciæ.

2 Ex Re igitùr per se magna optimè ducuntur Exordia, & exemplum præbet *S. Maximus*. [Investigabiles humanis sensibus dispositiones esse Divinas, ipsa operum Dei altitudo testatur. Sed eò magìs nobis Christi sunt veneranda mysteria, quò magnitudine sui, capacitatem ingenii mortalis excedunt. Et ideò Fratres cùm annunciatur nobis Sempiternus ille Unigenitus Dei Patris, cui subjacent omnia, & per quem creata sunt universa, sub fine temporum nasci voluisse de Fœmina, infantiam perpeti, nostræ carnis subire consortia, tantæ dignationis gratiam non debemus examinare, sed credere, &c.]

Hom. 5. in Nativ. Dom.

Exordium pro Sermone de Christi natalitio.

3 Ad rem eamdem *Augustinus* agens de Salvatoris ortu. [Ut hodie à me possit, Fratres charissimi, majestas Nativitatis Dominicæ prædicari, per vos mihi à Domino facultas est impetranda, quatenùs ipse verbum in ore suo constituat Sacerdoti, nec nostri oris dedignetur officium, qui nostræ carnis hodie dignatus est inire commercium. Non enim Fratres ineffabile Divinæ Generationis contendimus aperire mysterium, sed nostræ salutis magnum, & mirabile gestìmus gaudium nunciare, sicut dixit Angelus: Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Nullum hodie Fratres conceptus, nullum terreat partus. Ubi enim Virginitas concipit, Integritas parit, Dei est virtus conscia, non voluptas, &c.]

To. 10. Ser. 20. de Nat.

Pro eodem proposito.

4 Artificiosiùs procedit Exordium ex intensiva granditate materiæ simùl facultatem excedentis, & fandi obsequium exigentis. Audi *S. Leonem* hac formâ de Domini Passione agere exordientem. [Desiderata nobis Dilectissimi, & universo optabilis Mundo adest festivitas Dominicæ Passionis: quæ nobis inter exultationes spiritualium gaudiorum silere non patitur: quia etsì difficile est, de eadem sollemnitate sæpiùs dignè, aptèque differere: non est tamen liberum Sacerdoti in tanto Divinæ Misericordiæ Sacramento fidelibus populis subtrahere sermonis officium: cum ipsa materia, ex eo, quod est ineffabilis, fandi tribuat facultatem; nec possit deficere quod dicatur, dum nunquàm potest satis esse, quod dicitur.]

Ser. 11. de Pass.

Pro Sermone familiari de Passione Domini.

5 Idipso penè exordiendi modo utitur *Cyprianus* laudes attexens Martyrio, quo flagrabat. [Etsì incongruens est, Fratres charissimi, in hoc fervore dicendi aliquid trepidationis afferre, minimèque deceat gloriam tantæ devotionis infringere ex eo, quod fatear me cœpisse dubitare: tamen, idemtidèm dico, ipsa animum deliberatione constringi, qui exequendæ laudis cupiditate succenditur,& à loquendo magnitudine Virtutis inhibetur: cum aut non deceat tacere, aut periculosum sit parùm dicere: nisi quod hæc æstuanti res sola subvenit, quòd videatur ei facilè ignosci posse, qui non timuit audere. Quamobrèm charissimi Fratres, tot, tantisque rebus, etsì potentiâ rei oneratur facultas ingenii, ut quantum se in exprimenda Martyrii dignitate protulerit, tantum ipso pondere laudis oppressa, atquè existimatione rerum omnium, de quibus cùm maximè loquitur, debilitata, ac fracta, intrà seipsam illaqueata oratione deficiat: nec habenis liberis, ac solutis, in apertum sermonis eloquium vim tantæ laudis exprimat: tamen erit aliqua, nisi fallor,in eloquendo facultas, quæ ipsius operis oratione munita, largè fundat quod à dicendo impar ingenii conscientia submoveat.] *Opusc. de laud. Martyr.*

De rebus magnis, etsì nequeat plenè dici, ignosci potest dicendi ausus.

6 Dominicæ item Nativitatis festiva Celebritas, *Ambrosii* Eloquentiam, & invitat, & terret eadem mysterii magnitudine, ita proindè exordientis. [Qua gratia,vel quibus laudibus hunc diem Natalis Domini prædicemus, prorsùs ignoro. In tanta enim festivitate ad magnificandum Deum humana loquela non sufficit. Nam si tunc, cùm nascebatur Christus, Angelorum voce laudatus est: nunc humana laudandus est voce, cùm regnat? Supergreditur enim illius temporis festivitatem nostra sollemnitas. Siquidèm tùnc stupuerunt illi tantùm nascentem Dominum: nos illum suspicimus nascentem, resurgentem paritèr, & regnantem. Tantò igitur facundior laudatio esse debet humani temporis, quantò sunt majora miracula. Sed quoniàm dignam prædicationem exhibere non potest humana fragilitas, ad Angelorum nos præconia conferamus, &c.] Et *Augustinus* ad idem. [Quis tantâ rerum, verborumque copiâ instructus existat, qui hujus diei gratiam dignis possit laudibus prædicare? Unde si hujusmodi nullus est, non erubescimus, etiamsi nobis nitidior dicendi facundia desit, vel mediocri tamen sermone, Partum Sacræ Virginis, & Ortum Dominici Corporis differentes conabimur explicare,&c.]

Exordium pro Christi Nativitate.

Ser. 13. in Nat. Dom.

Ser. 6. de Nat.

7 Jucundum hoc mentis supplicium indicat *Arnoldus*

Car-

Carnotensis, in eo, quod à Virgineæ celsitudinis apice cadit, & tamen ad ejus fastigium, obsequentis linguæ ausu nititur propinquare; ideòque his sensibus exorditur. [Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de Sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Christi Mariæ gloria eloqui potero: quia verè in laudibus ejus modulandis non invenitur conveniens organum, & hebes est cujuscumque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cujus plenitudine roratum est desupèr, quod Maria prædicatur gratiâ plena; manifestum est, individuam esse Matris, & Filii gloriam, & commune esse utriusque præconium, cujus definitio omnem superat intellectum. Quia etsì illud antiquum Consilium de Incarnato in Sancta Virgine Verbo, quod Deus apud Deum erat, palàm factum sit Mundo; tamen hujus tàm insolitæ actionis modum, (quia res miraculi est, & ordinem non sequitur Naturæ) sensus humanus timet attingere, & hæret ancipiti affectu: quia & stupori est majestas Operis, & ingratitudinis foret præterire silentio laudes Authoris. Res mira, & inaudita! Mater Virgo, Verbum Caro, Deus Homo. Quis in tàm celebri miraculo sileat? Item quis hæc prædicare sufficiat? Scimus quidem, suprà nos esse hoc aggredi: sed illa, in cujus Sacratissimo utero Verbum Caro factum est, loquuturis de Verbo, conciliat Verbum.]

Tract. de laud. B. Vir.

B. Mariæ Virginis laudes prosequi difficillimum.

Matris, & Filii individua gloria.

Mira in Virginis partu.

SECTIO IV.

Ex magnitudine extensiva materiæ: Ex Persona laudanda.

1 Xtensivam diximus materiæ magnitudinem, extensionem ejus ad alia plura, quæ afficit. Ex ea Exordium disposuit agens de Avaritia *S. Zeno*. [Avaritia quàm facilè arguitur ab omnibus, utinàm posset tàm facilè non amari. Est enim artifex, & dulce malum, & hominibus universis semper infestum. Deniquè non habentibus divitias, habendi injicit cupiditatem: habentibus adimit satietatem. Ità omnes in rabiem una tempestate præcipitat, ut ubinàm sit major ignores, &c.] Et Patientiæ Virtutem omnibus esse necessariam declarans, sic de illa exorditur. [Etsì beata diversis vita Virtutibus quæritur,

Ser. 2. de Avar.

Avaritia dulce malum universis infesta, & dilecta.

Patientia cujuscumque conditionis homini necessaria.

Ser. de Patien.

ritur, cujus cupidine flagrans Humanitas per momenta suspirat; tamen omnes uno eodemque consensu, quasi quemdam Patientiæ deferuntur in portum, sinè qua nec audiri, nec concipi, nec disci quidquam poterit, nec doceri. Nam profectò sola est, ad quam prorsùs res omnis spectat, &c.]

2 Intolerandam luxûs, & crapulæ vecordiam arguens vehementèr *Chrysostomus* ex ejusdem indignitate exorditur in pluribus vigente. [Edamus, & bibamus, cras enim moriemur. In Prophætas hæc multi apud Judæos dicebant. Sed haùd mirum, si Judæi ita dicant, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Sed quod post gratiam, post contemptum rerum præsentium, & tantam perfectionem, & diligentiam, sint adhùc aliqui, licèt non omnes, dicentes; & ut per ipsum apparatum patet, clamantes, quanta reprehensione fuerit dignum? Etenìm sunt profectò, qui ob hoc in hanc vitam adductos se putant, ut deliciis vacent, & ventrem disrumpant, & corpus impinguent, atquè sic hìnc migrent, vermibus largiorem è sua carne mensam instructuri, &c.]

Luxus, & crapula hominibus frequentes.

Tom. 5. Ser. cont. Luxum, & Crap.

3 Arcanum illud nostræ Fidei, nempè Carnis resurrectionem probare aggressus *Tertullianus*, ex ejus Veritatis magnitudine exorditur, quam etiam qui negant, superstitiosis tamen funerum ritibus, non ex toto mortuos interire, vel coactè testantur. [Fiducia Christianorum Resurrectio mortuorum. Illam credentes, sumus: hoc credere Veritas cogit. Veritatem Deus aperit, sed Vulgus irridet, existimans nihil superesse post mortem, &c.]

Lib. de Resurr. Carn.

4 Et ex Pudicitiæ nitore, cujus Majestatem venerantur, etiam qui oderunt, utpotè totius decus Humanitatis, ejusdem Virtutis laudes exorditur *S. Zeno*. [Pudicitiam qui colit, quantæ nobilitatis sit facillimè cognoscit. Est enim tantæ virtutis, ut sit honorabilis etiam hostibus suis. Hæc totius Humani Generis fundamenta confirmat. Hæc nominum proprietates universis affectibus præstat. Hæc parentum, conjugum, &c.] Iterùmque loquens de Avaritia, ex eo, quod commune sit malum, exorditur. [Nec singulare, nec frivolum crimen est Fratres, vel maximè Christianum Cupiditatis compedibus alligari, profundæque noctis feralibus tenebris obcæcatum, miserabilitèr ad ima deferri. Sed quia inextinguibilis pestis incendio totus Mundus exarsit; Avaritia, ut putatur, crimen esse desiit, quia neminem, qui se possit arguere, derelinquit. Omnes enim passìm furore insatiabili turpes præcipitantur in quæstus; nec quisquam pror-

Pudicitia hostibus etiam suis venerabilis.

Ser. de Pudic.

Ser. 1. de Avar.

Avaritia commune malum.

prorsùs inveniri poteſt, qui ei ſaltem, vel uno momento, Juſtitiæ frænos imponat. * Inquieta ſemper exæſtuat, ſævit, pugnat, rapit, congregat, ſervat, ſui tenax, appetens alieni, non ſuo, non alieno, non ipſo Orbe contenta. Totum poſſidet, & de inopia quæritur ſemper,&c.] ** Congeries in verbis. Figura.*

5 Rei extenſiva magnitudo cenſenda, cùm Virtus vel Vitium, exempli causâ, alteri ſociatur, aut alia plura complectitur. *Tertullianus* ad Jejunium ſuadendum inſtituens tractatum, Exordium habet ex Guloſitatis improbatione, cui eſt Luxuria individua comes. [Mirarer Pſychicos iſtos, ſi ſolâ Luxuriâ tenerentur, qua ſæpiùs nubunt,ſi non etiam ingluvie ducerentur, qua jejunia oderunt. Monſtrum ſcìlicèt haberetur Libido * ſinè Gula: cum duo hæc tàm unita, atquè concreta ſint, ut ſi disjungi omninò potuiſſent, ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent: ſpecta corpus, & una regio eſt. Deniquè pro diſpoſitione membrorum ordo Vitiorum: prior venter, & ſtatìm cætera ſaginæ ſubſtructa Luxuria eſt, per edacitatem ſalacitas tranſit. Agnoſco igitur animalem fidem ſtudio carnis, qua tota conſtat, tàm multivorantiæ, quàm multinubentiæ pronam, &c.]

Lib. de Jejun. adver. Pſych.

** Argutia.*

Libido ut plurimùm Gulæ ſocia.

Lib. de Idol. 6 Et Exordium tractatûs de Idololatria deſumit ex eo, quod per omnia crimina divagetur. [Principale Crimen Generis humani, ſummus Sæculi reatus, tota cauſa Judicii, Idololatria. Nam etsì ſuam ſpeciem tenet unumquodque delictum, etsì ſuo quodque nomine Judicio deſtinatur, in Idololatriæ tamen crimine expungitur. Omitte titulos,operas recognoſce. Idololatres idem homicida eſt. * Quæris quem occiderit? Si quid ad elogii ambitionem facit, non extraneum, nec inimicum, ſed ſeipſum.Quibus inſidiis? erroris ſui. Quo telo? offensâ Dei. Quot plagis? quotquot Idololatriis, &c.]

Idololatria ferè omnia crimina complectitur.

** Subiectio. Figura.*

7 De Invidia ſimilitèr agens *Baſilius Magnus* exorditur ex magnitudine hujus Vitii cætera excedentis:illa enim aliis noxia ſunt, Invidia Invidum lacerat. [Bonus eſt Deus, & bonorum his, qui digni ſunt, largitor. Malus eſt Diabolus, & omnis pravitatis opifex. Et quemadmodùm boni eſt nemini invidere: ſic Diaboli propria eſt Invidia. Vitemus igitur Fratres Invidiæ affectionem,nè ſocii operum Adverſarii noſtri fiamus, & eodem judicio condemnemur.Si enim faſtuoſus in judicium Diaboli incidit: quomodò Invidus paratam Diabolo pœnam effugiet? Nulla enim pernicioſior affectio animis hominum innaſcitur, quàm Invidia, quæ extraneos minimè lædens,primum,& domeſticum malum

Hom. 39. de Inv.

Invidia domeſticum malum Invido.

lum est possidenti. Quemadmodùm enim rubigo ferrum, sic Invidia animam, in qua est, consumit. Imò potiùs quemadmodùm viperas tradunt exeso materno utero generari: ita, & Invidia animam ipsam parientem consumere solet. Est enim Invidia, Tristitia ex alieno successu oriens, &c.]

8 Ad eamdem formam exordiendi ex ipsa materia, de qua agitur, pertinent Exordia ducta ex Persona, cujus laudes in Concione attexuntur. Undè *Nazianzenus*. [Cyprianus ferè nobis effluxit, ò grave damnum! Idque vos passi estis, qui in eum omnium maximè suspicitis, annuisque honoribus, festisque celebratis. Cyprianus, inquam, cujus vel etiamsì alioquî oblivionis vitio laboraremus, meminisse tamen necesse fuerat: Siquidem optimi potissimùm Viri memoriâ colendi sunt, jique quos memoriâ complecti non modò pium est, sed etiam utile, ac fructuosum. Verùm hoc debitum fœnore dissolvamus, si tamen pares huic saltèm rei facultatem habemus, ac non omnium rerum egestate, ac penuriâ conflictamur, &c.]

Cyprian. Martyr Antioch. laudatus.

Orat. de S. Cypr. Mar. Antioch.

9 Et encomia Magni Athanasii hoc incepit Exordio. [Athanasium laudans, Virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod Virtutem laudibus efferre: quoniàm Virtutes omnes complexu suo tenebat, vel, ut veriùs loquar, tenet. Deo enim omnes vivûnt, qui secundùm Deum vixerunt, etiamsì ex hac vita migrarint, &c.] Qua consimili forma utitur in Fratrum Machabæorum laudibus exponendis. [Quid autem Machabæi? (horum enim nomine diem festum agitamus.) Qui tametsì ob eam causam apud paucos honorentur, quòd eorum certamen, Christi ætatem præcesserit; digni tamen sunt, quos omnes honoribus complectamur, quoniàm pro Legibus, Institutisque Patriis, dolorum acerbitatem forti animo pertulerunt. Qui porrò ante Christi supplicia martyrium subierunt, quid tandem erant facturi, si post Christi tempora vexati fuissent, ejusque mortem, nostræ salutis causâ susceptam, ad imitandum propositam habuissent? &c.]

Athanasii Magni laudes.

Orat. de laud. Atha.

Machabæorum septem Fratrum encomia.

10 Hoc idem in Epicædicis Orationibus observare congruum ducitur, proùt sic genio Auditorum morem gerendo, qui publicâ defuncti commemoratione privatum animi dolorem solaturi præsumuntur. Ideòque *Nazianzenus* totâ Eloquentiæ vi Magnum Basilium è vivis ereptum pro rostris laudans, sic exorsus est, [Ergò hoc oportebat, ut cum multa nobis Basilius Magnus Orationum Argumenta proposuisset: (sic enim meis Orationibus gestiebat, ut nemo

Magni Basilii cum Nazianzeno familiaritas.


Orat. de laud. Basil.

mo

mo unquàm perindè suis) seipsum tandem in summæ contentionis, ac dimicationis Argumentum iis proponeret, qui in Eloquentiæ studiis elaborarunt. Sic enim existimo, si quis vim suam, facultatemque dicendi experiri, eamque posteà velùt ad normam exigere vellet, materiam unam ex omnibus sibi proponens, &c.]

SECTIO V.

Ex Comparatione materiæ tractandæ cum alia.

1 
On inutilitèr in forma exordiendi ex ipsa materia adhùc hærentes, ut difficultatem Tyronibus, quoàd possumus, minorem faciamus, addimus hìc alium exordiendi modum ex materia, nempè ex comparatione illius cum alia, quò latior explicatur ingeniis campus ad faciliùs Exordia construenda. Materia autem, de qua agendum est comparari potest alteri vel simili, vel oppositæ, vel communiori. Prior præbet Exordium ex similitudine: secunda ex contrariis: tertia ex universalibus. Cujus triplicis formæ addentur exempla, ut cautiùs in re non ita pervia, ut creditur, procedatur.

2 Ex similitudine gestientium hominum pro Principis sui natalitia celebritate, Sermonem exorsus est *Ambrosius* de faustissimo Christi Domini die natali. [Lætitia quanta sit, quantusque concursus, cum Imperatoris Mundi istius natalis celebrandus est, benè nostis: quemadmodùm Duces,
Ser. 14. & Principes omnes, etiam militantes, accuratè sericis vestibus accincti, operosis cingulis, auro fulgente preciosis, ambiunt solito nitidiùs in conspectu Regis incedere. Credunt enim majus esse Imperatoris gaudium, si viderit majorem suæ apparationis ornatum: tantòque illum lætum futurum, quantò ipsi fuerint in ejus festivitate devoti: ut quia Imperator, tanquàm homo, corda non conspicit, affectum eorum circà se probet, vel habitum contuendo: ita fit, ut splendidiùs se accuret quisquis Regem fideliùs diligit. Deindè quia in die natalis sui, sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel ministris suis, vel his, qui in domo ejus abiecti putantur, ac viles, tanta priùs thesauros ejus replere divitiarum varietate festinant, ut in quantum prorogare

Principum anniversaria Natalitia pompis celebrata.

rogare voluerit, in tantum prorogatio copiosa non desit, & ante voluntas donandi deficiat, quàm substantia largiendi. Hæc autem ideò solicitè faciunt, quia majorem sibi remunerationem pro hac solicitudine sperant futuram. Si ergò Fratres, sæculi istius homines, &c.]

3 Ex desumpta quoquè Sacra Historia, tanquàm ex similitudine ad intentum conducente exorditur *S. Maximus*. [Cum apud Patres nostros, sicut Liber Judicum refert, quædam Israëliticæ Tribus civili adversùm se prælio decertarent: nec proptèr consimilem Populi unius habitum, inter bellatores posset esse discretio: Tribus illa, cujus justior erat causa pugnandi, quia meritò per Dei auxilium victoriam præsumebat, signum sibi certo in sermone construxit: ut quos una armorum facies confundebat, secretioris verbi distingueret sacramentum. Quod Beati Apostoli, ut ego reor, exemplum sequentes, Ecclesiæ Dei, quam adversùm militiam Diabolici furoris armabant, mysterium Symboli tradiderunt: ut quia sub uno Christi nomine, credentium erat futura diversitas, signaculum Symboli inter Fideles, Perfidosque discerneret, &c.]

Hom. de Tradit. Symboli.

Judic. cap. 12.

Tessera distinguens Milites ab hostibus.

Symbolum Fidei, Tessera Christianorum.

4 Obitèr ad memoriam revocanda historia ex Libro Judicum, quam similitudinis loco S. Maximus nupèr adhibuit ad Exordium. Videlicèt civilis conflictus inter Jephte Ducem Populi Hebræorum, & Ephratæos seditione commotos, & Duci incendia minitantes, quòd in pugna adversùs Ammon eos neglexisset. Quale autem fuerit arcanum verbum ex parte exercitûs Jephte, habetur ibidèm. [Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atquè dixisset: Obsecro, ut me transire permittas: dicebant ei Galaaditæ: nunquid Ephratæus es tu? quo dicente: non sum: interrogabant eum, dic ergo: *Scibboleth*, quod interpretatur Spica. Qui respondebat *Sibboleth*, eadem literâ spicam exprimere non valens. Statìmque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu.]

Ephratæi idiomate deprehensi, & obtruncati.

5 Proposita quoquè similitudine in Exordio laudum Job utitur *Chrisostomus* dicens, [Athletam in certamen compellit erecta Victori statua. Armigerum in prælium provocat decreta Fortibus Gloria. Christianos autem confirmant in patientia, eorum qui strenuè certarunt, præmia. Quis autem tàm strenuus, & fortis, utì Beatus Job? Quem vidit quidem Diabolus, aggredi tamen primùm detrectavit. Undè Sapiens Agonotheta fidens Athletæ suo, Adversarium

Ser. de Iob.

Job strenuitas, & patientia.

rium irritat, & ad certandum movet: & idcircò Beato Job testimonium dans, præfert hunc suum, & apostatam inferiorem facit, &c.]

6 Ex comparatione autem materiæ tractandæ ad oppositam, idem *Chrysostomus* agere incipit de Pœnitentia. [Provida mente, & profundo cogitatu cognosci debent duo rerum distincta negotia, ideft quantum distat inter bonum, & malum. Nec aliundè hæc cognitio, quàm à primordio repetenda est. Quid aliud est malum, quàm peccatum committere? Quid est bonum, quàm agere pœnitentiam pro commisso? Hæc est discretio utriusque negotii. Serpens in Paradiso peccatum suasit. Evam pœnitentia reclusit. Et indè boni, malivè origo, &c.]

To. 5. Ser. 1. de Pœn.

Quæ inter bonum, & malum discretio.

7 Instituto etiam Sermone *Arnoldus Carnotensis* de illis Christi verbis: Pater ignosce illis, ex comparatione mitissimi hujus effati in nova Lege præcipui, cum alia Veteris Legis sententia, sic exorditur. [Oculum pro oculo, dentem pro dente evelli Lex præcipit. Nemini parcit Moyses, omnes injurias suas prosequitur, & ulciscitur, & absquè ulla miseratione, decretorum ejus contemptor occiditur. Tempore Gratiæ temperantur edicta: & Evangelica mansuetudo à Populo acquisitionis, iram, & convitium, & contemptum excludit, nec Raka Fratri dici, aut fatue, vel etiam irasci, Magistri nostri disciplina permittit. Ipse quoquè, qui Judex est omnium, cujus est vindicta, nequaquàm per singulos dies irascitur: & gladium in vaginam revocari præcipiens, percutientes in gladio, gladio perituros denunciat, &c.]

Tract. 5. de Verb. Dom. in Cruce.

Lex Evangelica Lege Scripta mitior.

8 Sedverò materia tractanda alteri potest conferri magìs communi, adeòque à proposita remotæ, & tùnc non tàm est comparatio, quam illatio ingeniosa, & acri egens judicio, nè Exordium evadat alienum, & vitio maculetur. Quarè cùm (quod non rarò contingit) Propositio assumpta ex universaliori, & magìs communi deducitur, ea adhibenda diligentia est, ut ex aliqua ejusdem materiæ conditione, nexus inter utramque videatur naturâ inductus, non invectus per violentiam. Maximè verò in ea universali propositione non senescat Exordium, sed quantùm sufficit indicata, ad propriam transeat. Idque in Patribus observare est, siquando hunc tritum exordiendi modum usurpant.

9 Hìnc *S. Leo Papa* exorditur Sermonem de Sancto Laurentio ex eo, quod Charitas præsertìm in Martyrio enitet, sed propositio hæc communis optimè assumitur proptèr singularem Christi imitationem in Laurentio commendandam.

Charitas plenitudo Justitiæ.

dam. [Cum omnium Dilectissimi summa Virtutum,& totius plenitudo Justitiæ de illo amore nascatur, quo Deus, proximusque diligitur: in nullis profectò hic amor sublimiùs excellere, clariùsque fulgere, quàm in Beatissimis Martyribus invenitur: qui Domino Nostro Jesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tàm propinqui sunt imitatione Charitatis, quàm similitudine passionis, &c.] Ser. de S. Laur.

10 Prudentèr *Nazianzenus* ex Propositione communi, nempè Virtutem in omnibus esse laude dignam,& maximè suspiciendam, ac encomiis prosequendam, quæ elucet in Consanguineis, deducit justo titulo se dilectæ Sorori Gorgoniæ Sanctissimæ, justa, dicendo, persolvere. [Sororem laudans, domestica prædicabo. Non tamen quia domestica, ideò falsò, sed quia vera, ideò laudabilitèr: res autem non modò, quia justa, verumetiàm quia nota. Nec verò ad gratiam, nè si cuipiam quidem loqui conceditur,&c.] Et de Pace sermonem exordiens ex propositione communi, quod Charitas non finit in nobis bonum deperdi, sed & sub discrimen positum in integrum restituit, deducit, quod dissidia inter Catholicos, pacis fœdus non abruperat, ut Arriani calumniabantur. [Fervidus Zelus, clemens Spiritus,benigna Charitas, vel potiùs ipsamet benignitas, æquanimis Spes, Zelus accendit, Spiritus mitigat, Spes expectat, Charitas constringit: nec bonum quod in nobis est, dissipari, ac diffluere finit, quamvìs alioquì fluxæ, fragilisque naturæ simus, &c.] Orat. in laud. Gorg. Orat. 2. de Pace.

11 Homiliam *Chrysostomus* habens,qua moneret à jurejurando abstinendum,Exordium duxit ex eo, quod Christifideles excedere debeant antiquorum justitiam. Quæ propositio communis aptè assumitur, & nectitur cum materia tractanda, quòd aliquos contingat etiam ab illa imperfecta priscorum Virtute deficere. [Si Regnum assequi volumus, dilectissimi, plus aliquid antiquis exhibeamus mandatis, quippè cum non alitèr Cœlestia consequi liceat. Nam si ad eamdem Antiquorum mensuram pervenerimus, extrà Cœli vestibula remanebimus. Nisi enim abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum, aut Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Et tamen licèt tot minæ propositæ sint, sunt quidam, qui non solùm illam non trascendunt justitiam, verùm, & ab ea deficiunt. Non enim solùm juramenta non fugiunt, verùm, & pejerant: non tantùm lascivum non declinant aspectum, verùm, & in ipsam improbam actionem incidunt, &c.] Hom.28.ad Popul.

Plures Christiani etiam ab imperfecta Antiquorum Justitia deficiunt.

12 Et

12 Et de Martyris Vincentii laudibus agens *Augustinus*, ex debito honoris obsequio tribuendo Sanctorum passionibus, præcipuè eorum, qui Ecclesiam singulari operum luce illustrarunt, sic exorditur. [Cunctorum licèt, dilectissimi, gloriosas Martyrum passiones, quos distincta Regionibus loca meruerunt, una Fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio vendicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei, & documentis præ cæteris erexerunt, & patrociniis adjuverunt. Inter quos justè Beatum Levitam Vincentium, cujus confessione, & morte Christum incredulis prædicatum incunctantèr agnoscimus, Catholicis studiis celebramus. Qui ut Fidelium devotionem Deo studiosiùs commendaret, altiori Charitatis flammescens affectu, morti se se tandem fidelitèr obtulit: quo videlicèt robur Fidei in solidissima Petra Christo fundatum sequacibus imitandum daretur: necnon, & semen Apostolicæ Prædicationis per eum pluribus disseminatum, spe suæ intercessionis tutum, ac perfectæ consummationis fruge refertum in Cœlestibus demùm horreis conderetur, &c.]

To. 10. Ser. 13. de Sanct.

S. Vincentius Martyr Charitate flammescens.

SECTIO VI.

Exordia ex circumstantia Oratoris.

1 ALteram Exordiorum Originem Circumstantiæ præbent, quarum quædam considerantur in Oratore, quædam in Auditoribus, quædam in utrisque, quædam deniquè sunt omninò extrinsecæ. Et illæ profectò ad opportunè exordiendum deserviunt, quæ Oratorem afficiunt. Primùm exigita in Exordiis modestia, quantum ex confessione propriæ pusillitatis, & inhabilitatis verecundans apparet, tantum sibi benevolentiæ, & commendationis acquirit. Indè etiam est, quod cum extollatur Oratio, cujus sit sublimior materia, hæc major videbitur, si Orator profiteatur, eam non posse, aut imitatione, aut ingenii viribus plenè assequi.

2 Hanc humilis, ac seipsum metientis animi speciem præsefert *Tertulliani* Exordium de Patientia tractantis. [Confiteor ad Dominum Deum, satis temerè me, si non etiam impudentèr, de Patientia componere ausum, cui præ

Lib. de Patien.

 standa

ſtandæ idoneus omninò non ſim, ut homo nullius boni: quando oporteat demonſtrationem, & commendationem alicujus rei adorſos, ipſos priùs in adminiſtratione ejus rei deprehendi, & conſtantiam commonendi, propriæ converſationis authoritate dirigere, nè dicta, factis deficientibus, erubeſcant. Atquè utinàm erubeſcere iſtud remedium ferat, utì pudor non exhibendi, quod aliis ſuggeſtum imus, exhibendi fiat magiſterium: niſi quòd * bonorum quorumdam, ſicut, & malorum, intolerabilis magnitudo eſt, ut ad capienda, & præſtanda ea, ſola gratia Divinæ inſpirationis operetur, &c.]

De Patientia difficilis tractatio.

* *Sententia.*

Bonorum quorumdam, ſicùt, & malorum intolerabilis magnitudo eſt.

3 Quam pudoris plenam exordiendi formam *Chryſoſtomus* uſurpavit agens de Compunctione cordis, à qua ſe nimìs longè diſtare fatetur. [Et quomodò fieri poterit, ò Homo Dei, quod imperas ſterili menti, ut anima infirma, & frigida compunctionis verba pariat? Ego enim puto, quod is, qui in hac materia vult aliquid dignum proferre, ipſe ante omnes debet ſalutari hoc calore fervere, & hoc incendio priùs igniri, quòd poſſint etiam ſermones, qui ab eo proferuntur, ignire, & accendere animas auditorum. Sed nobis horum nihil adeſt: procùl enim, procùl à nobis ſunt hæc: nec ignis iſte, nec flamma illa intra nos eſt, ſed emortuus cinis eſt, &c.]

To. 5. Lib. 2. de Compunct. cord.

Ioan. Chryſoſtomi demiſſio.

4 Ejuſdem verò *Chryſoſtomi* modum exordiendi imitari quis poterit, transferens ad rationem propriæ exilitatis in dicendo, quod ille aſſeruit, dùm Antiochenæ Eccleſiæ eſſet Præsbyter deſignatus, quaſi adhùc dubitans, an verè tàm indigno, tàm grandis Dignitas conferretur. Sic etiam Orator poſſet exordiri, quadam animi ſuſpenſione, quomodò fieri potuiſſet, ut nullius Eloquentiæ Viro tantum onus imponeretur ad verba facienda de re ſumma, vireſque ſuas penitùs excedente.

5 Ait ergò *Chryſoſtomus*. [Nùm vera ſont, quæ nobis acciderunt? Nùm reipsà geſta ſunt, nec falſi ſumus, neque quæ nunc fiunt ſunt ſomnia? An verè dies eſt, & vigilamus omnes? Et quis credat, quod in die, cum ſobrii ſunt, ac vigilant homines, adoleſcens nullius rei, & imperitus ad tantum Dignitatis faſtigium ſubvectus ſit? . . . . . . Et Civitas tantæ magnitudinis, tàm celebris, ac hominibus referta; populus, & multus, & admirandus, ad meam inhiat exiguitatem, tanquàm à nobis magnum quiddam, ac præclarum auditurus? Atquî etiamſi mihi omnium more profflueret Oratio, ſique verborum fontes eſſent in ore meo, protinus

To. 5. Ser. 10. cum Præsbyter eſſet deſignatus.

In Sacerdotio capeſſendo.

tinùs ex tantæ multitudinis ad audiendum concursu, metu sisteretur profluvium, & in diversum fluenta resilirent, &c.]

6 Aliquandò autem Exordium haberi potest ex fiducia Oratoris, vel proptèr justitiam, & dignitatem Causæ agendæ, ut Nazianzenus fecit de Gorgonia Sorore perorans. Vel quòd in re licèt ardua, & sublimiori ingenio tractanda, non desperet dicere superno fisus auxilio. Undè *Chrysostomus*. [Magnum rerum pondus, magnarum narrationum dignitatem postulat: splendidisque Justorum historiis, splendida lingua, splendidaque mens convenit. Et mens quidem Divinas Literas sincerè, jugitèrque contemplans: Lingua verò, Divina interpretans. Idque potissimùm in subjecto nobis, sumptoque Sancti Job laborum opere, qui in omnem peragrantem sub Cœlo regionem, patientiæ sermonem, coruscantium more, vibravit. Sed novi, gratiam Dei præbituram fore verbum, non pro Dicentis authoritate, sed Patrum interveniente legatione Sanctorum, &c.]

To. I. Hom. 2. de Patien. Job.

Job famâ patientiæ omnem Regionem implevit.

7 Quam dicendi fiduciam adhùc excitat, vel præsumptio rationabilis, quod Personæ laudandæ ipsa Oratoris exilitas sit placitura: Vel ex dicentis statu, cui conveniens sit de proposita materia perorare. Et primùm expressit *S. Eucherius*, contestatus, sermonem capessere de Sancti Honorati laudibus, quia has potiùs styli demissione deprimeret, non eveheret, idque foret Sancto humilitatis studioso pergratum. [Si adhùc in corpore positum Beatum Patrem prædicare vellem, cujus mentionem facere, indigno honore præsumo, forsitàn non offenderetur tepido, & infirmo, atquè inutili laudatore, qui semper laudem suam refugit, & Virtutes suas sicut studuit addere, ita optavit abscondere. Faciam itaque, quod semper voluit: ut opera illius, prædicatione pauperculâ abscondantur potiùs, quàm prodantur, &c.]

Ser. in deposit. S. Honor.

Humilis humili laudatore contentus est.

8 At verò *Nazianzenus* confidentèr exorditur Orationem de Herone Philosopho, & Martyre, quia infirma Oratoris valetudo (quæ sæpiùs cogit philosophari) & Sapientiæ studium, opportunè eum inducerent ad Philosophum commendandum. [Philosophum laudabo tametsì corpore æger: id enim est Philosophicum. Ac jure quidem meritò laudabo: quandoquidem ille Philosophus est, ego verò Sapientiæ cultor. Ac proindè non incongruè hoc laudis munus suscipiam: ut si nihil aliud, hoc certè nomine philosopher, quod Philosophum laudem, atquè admirer. Sic enim existimo, duorum alterum nobis faciendum esse, ut vel Phi-

Orat. in laud. Heron.

Philosophum Philosophi laudem prosequi decet.

Philoſophiæ operam demus: vel Philoſophiam certè honoribus, ac laudibus efferamus, &c.]

SECTIO VII.

Ex Circumſtantia Auditorum.

1 
Eque arctiorem Exordia conſtruendi modum exhibent Circumſtantiæ in Auditoribus obſervatæ, ut alacritas, vel ſegnities ad audiendum, durities ad pœnitendum, fallax judicium de re agenda. Priori proindè modo Exordium procedit laudando Auditores; ſecundo, excitando: tertio, increpando: poſtremo docendo. Ex alacritate Auditorum Sermonem *Chryſoſtomus* exorditur. [Videns, dilecti, alacrem, & quotidianum veſtrum in hoc templo conventum, magnam percipio voluptatem, miſericordemque Deum in profectu veſtro glorificare non ceſſo. Nam ſicut eſurire, corporalis ſanitatis indicium: ita, & ſtudio magno audire Divina eloquia, bonæ animi valetudinis certiſſimum eſt argumentum. Propterquòd, & Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in ſuis Beatitudinibus, quas in monte promiſit, dicebat: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniàm ipſi ſaturabuntur. Quis igitur dignè vos laudare valet, qui ſemel Beatitudinem accepiſtis, & ab ea infinita bona expectatis? &c.]

To. 1. Hom. 2. de Geneſi.

Studiosè Divina eloquia audire boni animi indicium eſt.

2 Nonnunquàm conditio exigit Auditorum, ut & de illis, & de eorum Civitate honorifica habeatur commendatio. Genus Exordii pergratum, (ſi tamen aſſentationis, vel extraneitatis Vitium abſit) ſua enim cuique placent, & ab aliis æxtimari affectat; unde ex Auditorum dignitate, ac Patriæ gloria optimè quis exorditur, præeunte exemplo *Nazianzeni* alloquentis Epiſcopos Ægyptios, qui advecto frumento, plebem Conſtantinopolitanam in annonæ caritate levaverant. [Eos, qui ab Ægypto venerunt, pro eo, ac debeo, ſalutabo, atquè alloquar: (quandoquidèm ſuperatâ per zelum Invidiâ, promptè, & alacritèr convenerunt) ab hac, inquam Ægypto, quam & amnis locupletem reddit *è terra pluens, Regioniſque fines, Maris inſtar, inundans, & irrigans; (ut eos quoquè nonnihìl imiter, qui hujuſmodi verborum elegantias, & lepores conſectantur.) & divitiis auget Chriſtus meus, anteà quidem ob Herodis nefariam

Orat. in Ægyptiorum Epiſc. appulſu.

Ægyptus, Nilo irrigante, ferax.

* *Antilexis.*

pue-

puerorum obtruncationem, in Ægyptum fugatus: nunc verò propter Patrum ergà filios amorem, Ægypti facultatibus adjutus. Christus, inquam, novus eorum, qui præclara fame corripiuntur, cibus, frumenti erogatio major omni ea, quæ Historiæ monimentis prodita est, fidemque apud mortales invenit: panis, inquam, ille de Cœlo descendens, vitamque finis omnis, atque interitûs expertem, dans Mundo: de quo nunc mihi quoquè Patrem audire videor dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum, &c.]

Christus Ægyptum, eò secedens, consecravit.

3 Cæterùm, si præostensum audiendi desiderium infrequentia mentitur, & rari sunt Auditores ad conciones, ex hoc ipso sumi potest Exordium. Contigit hoc quondàm Summo Oratori *Gregorio Nazianzeno*, qui Civium precibus è solitudine redux, non respondere frequentiam desiderio expertus, ita ad eos sermonem habens, exorditur. [Quidnam hoc rei est, Fratres, & amici, quod tàm lentè, & segnitèr ad Sermonem nostrum audiendum acceditis: cum præsertìm in vi afferenda, nobisque ab arce nostra extrahendis, hoc est à solitudine, (quam ex omnibus rebus maximè complexus eram: ac velut sociam, & administram, Divinæque subvectionis parentem, atqueadeò Divinitatem afferentem, mirificè suspexeram, totiusque vitæ moderatricem mihi statueram,) ita prompti, celeresque fueritis? Et quid causæ est, cur postquàm id, quod expetebatis, adepti estis, fastiditis jam, atque aspernamini: meliùsque visi estis absentis desiderio teneri, quàm præsente frui? &c.]

Orat. ad eos, qui ipsu acciverant, &c.

Solitaria Vita Animæ contéplativæ socia.

4 Ex dura insupèr conditione Auditorum, nullam ex concione emendationem ostendentium, specialis exordiendi causa *Ambrosio* fuit. [Et ipsi videtis Fratres, quod mea non cessat humilitas omni circà vos solicitudine laborare, & ad frugem bonam vos tota festinatione convertere. Sed quantò plùs laboro vobiscum, tantò ampliùs confundor in vobis. Cum enim video, tot commonitionibus meis nullum vos habere profectum, labor meus jam non gratulationi est, sed rubori. Dicit Beatus Apostolus: Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Ecce ego pasco gregem Christi, & gregis fructum extorquere non valeo, &c.]

Ser. 82.

Auditorum durities, Oratori confusionem parit.

5 Iterùm ex Auditorum segnitie, sivè potiùs nausea, qua Dei verba audiebant, domumque regrediebantur cœlesti pabulo vacui, idem *Ambrosius* Sermonem exorditur. [Frequentèr statueram apud meipsum, Fratres, subtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia, ac non elargiri sæpiùs

Ser. 80.

piùs sermonum cælestium Sacramenta. Siquidèm nihil prosit offerre pabula recusanti, & potum porrigere minimè sitienti, cum id, quod offers non tàm libentèr hauriat, quàm fastidiosè velùt turbulentum reddat: atquè ita fit, ut & poculi sinceritas vitietur, & causas delicti fastidiosus peccator inveniat. Sic ergò, & charitati vestræ ingerere Dominicæ poculum prædicationis fortè superfluum est, cum id anima vestra clausis visceribus non tàm sitientèr hauriat, quàm dissimulantèr infundat. Fundit enim mandatum Domini, qui illud aure sua percipit, corde non continet, &c.]

Auditorum in Concione fastidium.

6 Evenire autem potest, quod Auditores de re dicenda, aut de Oratore, sivè timore, sivè errore falsò judicent. Et hanc circumstantiam pro motivo exordiendi assumere opportunum est Oratori, corrigendo conceptam de ea re fallacem cogitationem. Ex quo, de Continentia acturus sic *S.Zeno* exorditur. [Si cui fortè asperum videtur, ac durum, quod fiducialitèr loquimur Fratres, rem penè contrà Naturam jamjamque desinat permoveri, intelligens, Christianæ Virtutis hanc esse maximam gloriam, ipsam calcare Naturam. Sed quia Virtutem voluptas semper offuscat, nihilque unicuique, nisi quod amaverit, rectum est, maximè quod uno desiderio omnes excolunt populi: dubium non est, quia, aut hostis publicus, aut certè judicatur insanus quisquis nuptias dissuaserit. At ego non pertimescam Sermonis publici, quæ de me fabuletur invidia. Non enim nuptias contemno, sed nuptiis meliora proponam, &c.]

Ser. de Contin.

Christianæ Virtutis maxima gloria, ipsam calcare Naturam.

7 Sed & *Chrysostomus* Misericordiam in pauperes suadere aggrediens, ejus generis initio utitur. [Audite Fratres Paulum dicentem: Induite, quemadmodùm electi Dei, misericordiæ viscera: nos autem longè alitèr factitamus. Siquidèm adeuntem quempiam vel nummum à nobis deprecaturum, probro, & maledictis incessimus, & importunum appellamus. Cujus rei non te pudet ò homo, molestum, & importunum clamitare, panem deposcentem: is enim, vel si molestior esset, foret quidèm misericordiâ dignus: quia adeò fame vexatus, tibi personato homini supplicet: qua in re nostra est crudelitas incusanda: nam si nec facilè impartiri aliquid egentibus toleramus, vana coguntur arte nostram inhumanitatem pellicere, & emollire duritiem. Porrò si argentum, aurumvè exposcerent, aliquid fortè rationis durius tuum illud responsum habere videretur: at cum necessarii victûs gratiâ te adeant, quid ineptè philosopharis, verbis accuratioribus, & supervacaneis, &c.] Ubi *Chrysostomus* erre-

To.5.Ser.de Miseric.

Pauperes molesti non abigendi.

errorem arguit existimantium indignam, cui misericordia impendatur, nimiam in pauperibus importunitatem.

8 Procedit hujusmodi exordiendi forma per Figuram Præoccupationis, cujus aptum apud *Salvianum* habes exemplum. [Personalitèr diù loquuti sumus. Excessisse videmur regulam disputandi. Cogitat enim absquè dubio, is, qui legit (si fuerit tamen aliquis, qui ex Christi amore conscripta ob Christum legat) cogitat de me forsitàn, vel dicit * Cum Causa generalis sit, quam exequitur, quid negotio huic consulit, quod in personam unius tanta congessit? Esto etenim ille, de quo loquutus est, talis: * Sed nunquid officit bonitati unius crimen alterius? Aut, quod fortiùs multò est, nunquid læditur scelere personali causa cunctorum? Possum quidem evidentibus testimoniis approbare, quia læditur. Achan enim quondàm de anathemate quidpiam furto abstulit, & * crimen unius hominis, plaga omnium fuit. David numerari plebem Israëliticam jussit, & errorem illius, Dominus clade totius populi vindicavit. Rabsaces loquutus, &c.]

Lib. 6. de Gubet.

* *Præoccupatio Figura.*

* *Sententia.*


Unius delictū, pœna multorum.

* *Metonymia. Effectus pro causa.*

9 Verosimilitèr quoquè præsumimus quidquam à nobis Auditores expectare, quod tamen in animo nostro haùd sit. Undè ex hoc possumus Concionem exordiri, ut præstitit *Nazianzenus*, Fratris laudes, Parentibus coràm, prosequuturus. [Existimatis fortasse ò amici, & fratres, & Patres, non re dumtaxàt, sed nomine quoquè ipso mihi perjucundi, me cupidè ad dicendum prodire, ut Fratris interitum, lachrymis, luctuque prosequar, aut ornatam, & elegantem Orationem, qua vulgus hominum delectatur, in longum producam. Et partìm quidem hoc animo convenistis, ut simùl mœreatis, & affligemini, atquè in mea calamitate calamitates vestras deploretis, (si quibus hujusmodi quidpiam accidit) & in amici afflictionibus dolere condiscatis: partìm verò, ut aures pascatis, animosque delectetis. . . . . . . Nè quæso id de nobis existimetis, si quid boni existimare vultis. Nàm nequè Fratrem morte abreptum immoderatiùs lugebimus: ut qui nè in aliis quidem talia probare soleamus: nequè in eo laudando, modum, ac decorum excedemus. Quamquàm alioquì jucundum, &c.]

Orat. in laud. Cæsar. Frat.

Defuncti non ultrà modum lugendi.



SECTIO VIII.

Ex Circumstantia Oratoris, & Auditorum.

1 Unt rursùs Circumstantiæ Auditoribus, simùlque Oratori communes, ut gaudii, vel mœroris. Ex priori motivo *Nazianzenus.* [Quid tantum dici potest, quantum oculis usurpare licet? Quæ Oratio cum iis bonis, quæ conspiciuntur, comparanda est? En oculis nostris incredibile spectaculum proponitur, quod videre quidèm sæpè optavimus: præstantior autem voto erat hæc cupiditas. Rursùm hic Martyrum honores multo jam antehàc temporis spatio neglecti. Rursùm Sacerdotum Dei concursus. Rursùm tripudia, & spirituales celebritates, &c.]

Auditorum frequentia ad Nazianzeni Orationes.

Orat. de laud. Martyr.

2 Ex eadem communi lætitia *Chrysostomus*, & quidem spirituali, alacritèr ad Genesim in Quadragesima explicandam se accingens, exorditur. [Gaudeo, & lætor, videns hodie Ecclesiam Dei suorum filiorum multitudine ornari, vosque omnes multa jucunditate concurrisse. Nam cùm alacres vultus vestros intueor, quid voluptatis esse in animabus vestris, conjecturam capio maximam: quemadmodùm, & Sapiens dicebat: Corde lætante, viret facies. Eapropter, & ipse hodie ingenti alacritate surrexi, unà vobiscùm lætitiæ spiritualis particeps futurus, &c.]

Et ad audiendum Chrysostomum.

3 Magni autem mœroris stimulus pungens Auditorum, & Oratoris animum, rationem *Chrysostomo* præbuit in eversione imaginum Piissimi Imperatoris Theodosii ita exordiri. [Quid dicam? aut quid loquar? Lachrymarum præsens tempus, non verborum: luctuum, non sermonum: deprecationis, non concionis. Tanta patratorum magnitudo, tàm immedicabile vulnus, tàm vasta plaga, & omni medicamine major, & superni indigens auxilii. Sic enim, & Job, omnibus amissis in fimo sedebat, & audientes amici accesserunt, & ipsum procùl conspicati disciderunt vestimenta, & sibi cinerem insperserunt, & vehementèr ingemuere. Nonnè hoc facere circumstantes omnes Civitates oportebat, ad Urbem nostram venire, & quæ ingruunt cum omni misericordia deflere? &c.

Theodosii Imagines à Populo injuriosè sublatæ.

Hom. 2. ad Pop. to. 5.

4 In funere etiam Valentiniani Imperatoris, conceptum

ex

ex ejus morte dolorem, omnium animos angentem, assumpsit *Ambrosius* pro exordiendi motivo. [Etsì * incrementum doloris sit, id quod doleas scribere : quoniàm tamen plerumquè in ejus, quem amissum dolemus, commemoratione requiescimus : eoquòd in scribendo, dùm in eum mentem dirigimus, intentionemque defigimus, videtur nobis in sermone reviviscere : Signare aliquid de Valentiniani Junioris ultimis, cordi fuit : nè aut obliterasse silentio benemeriti de nobis Pignoris memoriam videremur, atquè inhonoratam reliquisse : aut refugisse incentivum dolendi, cum doluisse plerumquè solatium sit dolentis:simùl, ut cùm de ipso, aut ad ipsum loquor, tanquàm de præsente sermo sit, &c.]

Orat. in Obit. Valét.

* *Sententia.* Incrementum doloris est repetere, quod doleas.

5 Non parvifaciendæ sunt pro Exordii constructione Circumstantiæ extrinsecùs se habentes sivè ad rem gestam, sivè ad Orationem habendam. Inter quas advertenda Circumstantia *temporis*. Ideòque *Ambrosius* de Sancto Cypriano, cujus natalis dies celebratur Mense Septembri, sic exorsus est. [Sancti Cypriani festivitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus, & imminente vindemia natalem ejus martyrii procuramus. Conveniunt igitur vota nostra, & Mundi : Mundus vindemiarum ebrietate lætatur, nos Sanctorum passione gaudemus. Quæ quidem passio vindemiis comparanda est : sicut enim uvarum expressione vinum funditur, ita & Sanctorum martyrio, vini vice, sanguis effunditur ; nisi quod uva temporales fructus præstat, passio sempiternos, &c.] Quod & repetit alio sermone de eodem Martyre. [Ante dies cum Beatissimi Martyris Cypriani celebraremus natalem, suavissimè in ejus festivitate jucundati sumus : quia enim hoc vindemiarum tempore passus est, tanquàm, & nos de vindemia dulces, & varios fructus ex ejus passione collegimus. Impinguavit enim nos, & refecit musto martyrii sui. Est enim mustum, quod reficit, & inebriat Christianum, sed ebrietas illa magis sobrium facit, &c.]

Ser. 72.

Martyrium Vindemię comparatum.

Ser. 73.

6 Ex eadem Septembris circumstantia, Jejunii pro eo tempore instituti *S. Leo Papa* observantiam commendans, format Exordium. [Devotionem Fidelium, Dilectissimi, nihil est, in quo Providentia Divina non adjuvet. Siquidem exercendis ad Sanctimoniam mentibus, atquè corporibus, ipsa quoquè Mundi elementa famulantur : dum dierum, ac mensium distinctè variata revolutio quasdam nobis paginas aperit præceptorum : ut quod Sacra admonent instituta,

Ser. 6. de Jejun. Sept. Mens.

Jejunia congrua Mense Septembri.

 ta,

ta, hoc quodammodò loquantur, & tempora. Undè cum septimum Mensem nobis anni recursus attulerit, non ignoro, observantiam nostram ad celebrandum, &c.]

7 Aptissimè *Chrysostomus* ex circumstantia temporis ad jejunium invitantis, sermonem exorsus est ad ejus observantiam injungendam. [Læta nobis hodie, ac festiva celebritas, solitoque illustrior cœtus. Quænàm ergo causa? Ipsum jejunii hoc clarum tempus, hoc est novi jejunii non præsentis, sed expectati. Illud namquè nos hùc ad Patriam congregavit domum: illud etiam eos, qui ante hoc pigritaverunt, ad maternas reduxit manus. Si enim solùm, quod expectatur, tantum studii nobis ingessit; cum apparuerit, adveneritque, qualem, quantamque præ se venerationem feret? &c.]

Lætitiam pariunt.

To. 5. hom. 1. de Pen.

8 Iterùm de Jejunio agens, exorditur ex eo, quod temporis opportunitatem præbeat ad virtutes excolendas, & vitia extirpanda. [Propitiationis tempus adest, temporis opportunitatem nè contemnamus: abjiciendorum peccatorum tempus est, gratiam nè negligamus: jejunemus à cibis, sed primùm à peccatis: Primum enim bonum est liberari à malis. Malitia autem est, quæ Virtuti opponitur, invidia, furtum, & homicidium, &c.]

Jejunandum à cibis, & peccatis.

To. 5. Ser. 1. de Jejun.

9 Formam denique Exordii præstant aliæ Circumstantiæ, quarum difficile, imò superfluum est hìc seriem exponere. *Ambrosius* pro Theodosii Imperatoris parentalibus Orationem habens, illam exorditur, ad quædam signa respiciens, Cæsaris fatum verosimilitèr prænunciantia. [Hoc nobis motus terrarum graves, hoc juges pluviæ minabantur, & ultrà solitum caligo tenebrosior denunciabat, quod Clementissimus Imperator Theodosius recessurus esset è terris. Ipsa igitùr excessum ejus Elementa * mœrebant. Cœlum tenebris obductum, aër perpeti horrens caligine: Terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluvionibus. Quidnì Mundus ipse defleret, eum Principem continuò esse rapiendum, per quem dura Mundi istius temperari solerent, cum criminum pœnas indulgentia præveniret? Et ille quidem abiit, &c.]

Orat. de Obitu Theod.

Cœli Signa mortem Theodosii prænunciarunt.

* *Energia.*



SECTIO

SECTIO IX.

Exordia ex abrupto: Figuræ, & Periodi in Exordiis usurpandæ.

1  Odum nunc, quo Exordia non construuntur, sed proferuntur, subjungere libuit, & aptari potest cuilibet formæ ex suprà indicatis. Exordia itaquè ex abrupto nuncupantur, impetu velùt subitaneo prolata, ac si tunc mente deprompta. Supponunt proindè in Auditorum, vel Oratoris animo miserationem, iram, mœstitiam, gaudium, aliamvè passionem ad sic ex abrupto dicendum cogentem. In jis primi conceptus, prima verba spirent animum dicentis, internos exprimant affectus, ut videatur Naturæ partus, non industriæ artificium. Imò, ut notavit *Quintilianus*. [Hoc ipso non compositum domi, sed ibì, atquè è re natum, & facilitate famam ingenii auget: & facie simplicis, sumptique è proximo sermonis, fidem quoque acquirit: adeoùt, etiamsi reliqua scripta, atquè elaborata sint, tamen plerumquè videatur tota extemporalis Oratio, cujus initium nihil præparatum habuisse manifestum est.]

Exordii ex abrupto artificiũ.

Lib. 4. cap. 1.

2 Ex abrupto igitur Exordium ducitur, cùm nullo alio præmisso, materia agenda, aut ejus Circumstantiæ exponuntur quodam cordis exultantis, aut mœrentis impulsu. Ita *Nazianzenus*, postquàm Gregorius Pater in gratiam rediisset Monachorum, qui illum, tanquàm ad Arrianas partes transisset, à societate abegerant, partam suis monitis pacem Oratione celebrans, ex abrupto exorsus est. [Linguam meam solvit alacritas, Legemque humanam proptèr Spiritûs Legem contemno, ac sermonem, quem nondùm ulli priùs concessi, Paci dono offero. Nam cum priùs à nobis Membra dissiderent, ac magnum illud, & pretiosum Christi Corpus ita divideretur, & discinderetur, ut penè etiam secùs Infernum ossa nostra dissiparentur: non secùs, ac terræ profunditas aratro patefacta, &c.]

Orat. 1. de Pace.

Nazianzenus Pacis studiosus.

3 De Pace similitèr *Cyprianus* exorditur. [Pax, ecce, Dilectissimi Fratres, Ecclesiæ reddita est, & quod difficile nupèr incredulis, ac perfidis impossibile videbatur, ope, atquè ultione Divina, securitas nostra reparata est. In lætitiam

Lib. de Lapsis.

Pax lætitiæ causa.

tiam mentes redeunt : & tempestate pressuræ, ac nube, & caligine discussâ, tranquillitas, ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia ejus, ac munera cum gratiarum actione celebranda. Quamvìs agere gratias nostra vox, nec in persequutione cessaverit. Neque enim tantum Inimico licere potest, ut non qui Dominum toto corde, & anima, & virtute diligimus, benedictiones ejus, & laudes semper, & ubiquè cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, & post longæ noctis horribilem, teteramque caliginem, Domini luce radiatus Mundus eluxit, &c.]

4 In faustissima etiam Dominicæ Resurrectionis solemnitate *S. Cæsarius Arelatensis* idem habuit genus Exordii. [* Exulta Cœlum, & lætare terra. Dies iste ampliùs ex sepulchro radiavit, quàm de Sole refulsit. Dolet Infernus, quia resolutus est: gaudet, quia visitatus est. Resultet terra, quia ignotam lucem, post sæcula longa, vidit, & in profundæ noctis caligine respiravit. * O pulchra lux, quæ de candido Cœli fastigio promicasti! &c.]

** Apostrophe. Figura.*

*Paschalis diei exultatio.

** Exclamatio. Figura.*

Hom. 3. de Pasch.

5 Figuræ vivacibus Exordiis deservientes præcipuæ censendæ Interrogatio, Prosopopeja, Apostrophe. Nequè verò duæ istæ accipiendæ sunt cum Orator Auditoribus loquitur; semper namquè supponitur, Oratorem Auditoribus verba facere. Sed Prosopopejâ inducitur loquens Persona, cujus est causa in concione : Apostrophe verò dirigitur sermo ad omnes homines, ad Orbem, ad Mare, ad alia præter eos, qui audituri convenerunt. Utrâque Figurâ processit initio Prophæta: Audite Cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui : Israël autem me non cognovit, & Populus meus non intellexit.

Isa. cap. 1.

6 Per Apostrophen Sublimi dicendi Genere, velùt ad rem magnam, & memorabilem, videlicèt Julianum Apostatam è vivis expulsum, omnes undequaquè advocat *Nazianzenus*. [Audite hæc omnes Gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem. Omnes enim, quasi ex edita quadam, ac mediterranea specula, magno, ac sublimi præconio appello. Audite Populi, Tribus, Linguæ, Homines omnes, cujusvìs generis, & ætatis, tàm qui nunc estis, quàm qui post eritis : atquè quò latiùs præconium pateat, omnis Cœlorum Virtus, omnes Angeli, quorum operâ Tyrannus extinctus, ac deletus est, non Seon ille, Rex Amorrhæorum,

De Juliano extincto Orbis lætitia.

Orat. 1. in Julian.

neque Og Rex Basan, exigui Principes, atquè Israelem, hoc est parvam Orbis partem vexantes: verùm Draco ille, Apostata ille, magna illa Mens, Assyrius ille, ille communis omnium inimicus, atquè hostis: qui, & multum furorem, multasque minas in terra profudit, & multam iniquitatem in Excelsum loquutus, & molitus est . . . . . . Audi hæc etiam Constantini Magni anima, &c.]

7 De aliqua Virtute dicturus, per Apostrophen ad ipsam exordiri potest Orator, exemplo *Nazianzeni*. [Pax amica, non re dumtaxàt, sed nomine quoquè ipso jucunda, quam nunc Populo dedi, ac recepi, haùd scio an sinceram ab omnibus vocem, spirituque dignam, ac non potiùs publica pacta, Deo teste, violata, quo gravior sit nostra condemnatio. Pax amica, meditatio mea, & decus meum, quam Dei, & cujus Deus, & quam Deum esse audimus, (velùt in illis Apostoli verbis, Pax Dei, & Deus Pacis, & Ipse est Pax nostra) ac nè hic quidem eam reveremur. Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem conservatum, ubinàm nos tanto jam temporis spatio reliquisti? Et quando ad nos reditura es? Equidèm te suprà mortales omnes expeto, atquè exosculor, & præsentem complector, &c.]

Orat. 3. de Pace.

Pax ab omnibus laudata, à paucis servata.

8 Sermonem de Deo institutum, optimè exorditur *Cyprianus* Apostrophe ad ipsum. [Adesto Sancte Spiritus, & Paraclesim tuam expectantibus illabere cœlitùs. Sanctifica Templum corporis nostri, & consecra in habitaculum tuum: desiderantes Te animas tuâ præsentiâ lætifica: dignam Te habitatore domum compone, adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus Virtutum. Sterne pavimenta pigmentis: niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omnium charismatum intrinsecùs spirent odoramenta, &c.]

Ser. de San. Spiritu.

Ad Spiritum Sanctum Oratio.

9 Per Figuram Interrogationis crebrò modus exordiendi frequentari solet, qui potens est ad excitandos primis verbis Auditorum affectus. Hinc Patre *Nazianzeni* mœrente, ac silente ob maturas fruges improvisa grandine prostratas, à plebe *Gregorius* Orationem habere coactus, ait. [Quid laudabilem ordinem solvitis? Quid legi servienti vìm affertis! Quid sermonem spiritui cedentem flagitatis! Quid relicto * Capite, ad Pedes accurritis? * Quid Aaronem prætereuntes, Eleazarum in medium producitis? Non æquo animo patior, fonte obstructo, torrentem cum impetu ferri: absconso Sole, Stellam ostentari: cedente canicie,

Orat. in Plag. grandin.

* *Allegoria.*

* *Stylus Scripturalis per usũ Personatum.*

nicie, juventutem Leges præscribere: tacente Sapientia, imperitiam juvenili temeritate se in publicum inferre, &c.]

10 Vehementiùs contrà Arrianos exorditur Figuris simùl Interrogationis, Substentationis, & per Apostrophen. [Ubi sunt tandèm qui paupertatem nobis exprobrant, opesque suas insolentèr jactant? Qui Ecclesiam multitudine definiunt, gregemque exiguum aspernantur? Qui Divinitatem metiuntur, & plebem appendunt? Qui arenam in precio habent, & ipsa Mundi lumina contumeliis afficiunt? Qui deniquè conchas aggerunt, & margaritas contemnunt? Nec enim sciunt quantò arena, & conchæ, Stellas, perspicuasque gemmas multitudine superant, tantò vicissìm hæc illis, & puritate, & pretio, dignitateque præstare. Rursùs excandescis, rursùs arma induis, rursùs vìm, & contumeliam infers Nova Fides? Parumpèr quæso minas istas comprime, ut loquar. Non injuriam inferemus, sed coarguemus: non minas intendemus, sed probris incessemus: non vulneribus afficiemus, sed medebimur. Hoccinè tu quoquè contumeliam interpretaris? O insignem superbiam! &c.]

Orat. cont. Arrian.

Ecclesia non definienda est multitudine, sed Sanctitate.

11 Ex allatis ubertìm, toto hoc Tractatu, Sanctorum Patrum authoritatibus, non difficilè prudens Orator colligere potest, qua periodorum formulâ, quo stylo sibi sit utendum in Exordiis. Quia nihilominùs diversa cujusque inclinatio, & materiæ exigentia unicam pro hoc Regulam prohibet statuere: non superfluum judicabitur alia addere Patrum exempla, aliquandò rotundis, nonnumquàm concisis, quandoquè compositis exordientium.

12 Rotunda periodo exorsus *Augustinus*, sequitur concisis, iterùmque rotundis progreditur. [Audite Filii lucis, adoptati in Regno Dei, Fratres charissimi, audite, & exultate justi in Domino, ut vos rectos possit decere laudatio: Audite quod jam nostis, recolite quod audistis, amate quod creditis, prædicate quod amatis, sicut anniversarium celebratis hunc diem, sic huic diei debitum expectate sermonem. Natus est Christus, Deus de Patre, Homo de Matre. De Patris immortalitate, de Matris Virginitate. De Patre sinè Matre, de Matre sinè Patre. De Patre sinè tempore, de Matre sinè semine. De Patre Principium Vitæ, de Matre Finis Mortis. De Patre ordinans omnem diem, de Matre consecrans istum diem. Præmisit enim hominem Joannem, qui tunc nasceretur, cùm dies inciperet minui, & natus est ipse cùm dies inciperet crescere: ut ex hoc præfiguraretur, quod ait idem Joannes: Illum oportet crescere, me autèm minui, &c.]

To. 10. Ser. 19. de Nat.

Christi duplex Generatio ineffabilis.

13 Eam-

13 Eamdem Sermone alio commendans celebritatem, plures cumulat initio periodos concisas, prosequitur autem rotundis. [Laudem Domini loquetur os meum : ejus Domini, per quem facta sunt omnia, & qui factus est inter omnia. Qui est Patris revelator, Matris Creator. Filius Dei de Patre sinè Matre: Filius hominis de Matre sinè Patre. Magnus in die Angelorum, parvus in die hominum. Verbum Dei ante omnia tempora, Verbum Caro opportuno tempore. Conditor Solis, conditus sub Sole. Cuncta Sæcula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans de utero Matris. Ibi manens, hìnc procedens. * Effector Cœli, & Terræ, sub Cœlo exortus in Terra. Ineffabilitèr Sapiens, sapientèr Infans. Mundum implens, in præsepio jacens. Sidera regens, ubera lambens. Ità magnus in forma Dei, brevis in forma Servi: ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Nequè enim quando membra humana suscepit, opera Divina deseruit: nec attingere à fine usquè ad finem fortitèr, & disponere omnia suavitèr destitit, quando infirmitate carnis indutus, Virginali utero receptus est, non inclusus, ut nec Angelis subtraheretur Sapientiæ cibus, & nos gustaremus, quoniàm suavis est Dominus, &c.]

Ser. 23. de Nat.

Quæ illi, ut Deo, quæ ut Homini conveniant.

* *Paradoxa.*

14 Periodo rotunda *S. Zeno* exordiri cœpit in Paschali solemnitate. [Sæculorum hæres, & paterno cursu procurrens, atquè revertens, solemni meta rotatus, in se proferens sibi de fine principium, natalitia de occasu, dies sempiternus eluxit: quo discussa convolutæ hyemis tristitudine, novo vento favonio blandiente, diversis floribus, genere, colore paritèr, & odore una nativitate diffusis, germinantia undiquè dulcia prata respirant, &c.]

Ser. 1. de Pasch.

Paschalis diei solemnitas.

15 Ex pluribus verò concisis velùt membris unam compositam conflantibus, sic exorditur. [Instabili cursu, multiformi gratia redimitus temporum solemni vestigio dies salutaris advenit: * idem sui successor, idemque decessor, longæva semper ætate novellus, anni parens, annique progenies, antecedit, sequiturque tempora, & sæcula infinita, parit sibi de fine principium, & tamen à cunis genitalibus non recedit.] Et iterùm eamdem Dominicæ Resurrectionis materiam tractans. [Perpetis anni pernicem cursum in bis senæ mutationis augumentum, unâ eademque, nec ipsâ, sed ipsâ orbitâ circumducens, dies magnus advenit, suo sibi semper novellus occasu: Quod præterit, sequitur: quod futurum est, antecedit: in omnibus novus est, & tamen

Ser. 2. de Pasch.

* *Antithesis in sententiis.*

Et lætitia.

Bbb

men in omnibus vetus est: punctis omnibus commutatur non naturâ, sed munere: fit filius horarum, qui pater est omnium Sæculorum. Verùm currat annè recurrat, ambiguum est, cujus præteritum restat, ut redeat. Mira prorsus ratio! Innumerabilium Sæculorum diversâ mensurâ contexendo innovat spatia, & tamen ejus sempèr orbita est una.]

16 Quo autem Genere dicendi construenda sint Exordia, attendi utplurimùm debet qualitas materiæ in Oratione tractanda. In universum niteat in eis elegantia, non quam multi ex troporum frequentia aucupantur, sed ex selectione verborum, ac periodorum sonantium harmonia. Sic *Chrysostomus* propriis, & tamen elegantissimis verbis Orationem de Fratribus Machabæis exorsus est. [Quàm speciosa, & grata Civitas nobis enituit, & totius anni diebus splendidior dies hodierna præfulget, non de usitatis Solis radiis illuminata præclariùs, sed de laude Martyrum suprà coruscum fulgoris micante illustrata sublimiùs. Multis enim Solibus illustriores sunt Martyres, & magnis Luminaribus clariores, &c.]

To. I. Hom. de Nativ. Sept. Machab.

Martyr Sole illustrior.

17 Magìs verò probatur Stylus planus, & familiaris, qui Auditorum benevolentiam faciliùs captat, & fiduciam ingerit, captu pervia esse, quæ dicentur. Unde *S. Maximus*, [Hodie, Fratres Charissimi, Christus natus est, nos renati. Hodie Salvator Mundi per Matrem, nascendi tempus accepit, qui de Patre, nativitatis non habet tempus. Hodie per Hominem Filius Dei ingressus est Mundum, cujus manu ante Hominem factus est Mundus, &c.] Et *Cyprianus* eodem dicendi Genere. [De Patientia loquuturus, Fratres dilectissimi, & utilitates ejus, & commoda prædicaturus, undè potiùs incipiam, quàm quod nùnc quoquè ad audientiam, vestram patientiam videam esse necessariam: ut nec hoc ipsum, quod auditis, & discitis, sinè patientia facere possitis? Tunc enim demùm sermo, & ratio salutaris efficacitèr discitur, si patientèr, quod dicitur, audiatur, &c.] Postremò quod de vultu, ac voce in Exordio componendis docuit *Quintilianus*, etiam monet in constructione observari. [Frequentissimè verò Procemium decebit, & Sententiarum, & compositionis, & vocis, & vultûs modestia: adeoùt in genere causæ etiam indubitabili, Fiducia seipsam nimiùm exerere non debeat.]

Christi Nativitas.

Hom. I. in Nat. Dom.

Tract. de bono Pat.

Lib. 4. cap. I.

CAPUT

CAPUT III.

De Introductione, & Peroratione:



Oſt Exordium ſequitur Introductio, quam diſſimulare nullo modo debuimus, ſed ad Canonem revocare, propoſitis Sanctorum Patrum exemplis. Eſt autem diſcurſus gravis, & ponderatus, inſtàr veſtibuli, quo ad Orationem ingreſſus pateat. Exordii munus èſt præparare Auditores, Concionis Aſſumptum enunciare, aut etiam in puncta partiri: Introductio ad argumenta inſinuanda ſenſim Oratorem deducit. De ea, fortè quia inter Orationis partes non numeratur, vel quia ex recta Exordii diſpoſitione colligitur, Rhetores ſiluerunt. Sed neceſſitas notitiæ illius non intactam relinquere cogit.

SECTIO I.

Introductionis quidditas, diviſio, & uſus ex remotioribus.



1 Eſcribi poteſt: *Prævia Ratiocinatio ad materiæ tractationem*. Et ſignificat aditum quemdam artificiosè diſpoſitum, quo Orator, Sententiarum, rationum, geſtorum, conceptuum apparatum, ſerie ſuccedente demonſtrat. Inprimis prolixitas vitanda, qua ſi alias Concionis partes peccare, irrationabile ducitur, multò magìs Introductionem, quæ illius pars non eſt, ſed præludium appendix, & materiæ duntaxàt primordia exponit. Maximè quia Auditor ad Aſſumpti in Exordio propoſiti efficacem probationem quantocyùs deveniri deſiderat. Introductionis definitio. Brevitas.

2 Hinc ſi bicipiti Themate, vel diviſione punctorum, de duobus diſcurrere in Introductione cogaris, nè longior æquo evadat utriuſque complexione, optimum erit, alterum illorum ad ſecundam aſſumpti Thematis partem diſcutiendam tranſmittere. Ut ſi verba illa pro themate affe-rantur: *Erat Lucerna ardens, & lucens*, indicantia alicujus Et qua ratione ſervanda.

Zelum, & Sanctimoniam, sicut Oratio bipartitur, ita duplici velùt Introductione utendum est. In priori, discursus brevis habeatur de ardoris efficacia, subnectendo actiones ad Zelum pertinentes. In posteriori, de lucis dignitate, addendo heroica Sanctimoniæ gesta.

3 A' Re extranea Introductionem construere, error est, qui tamen nonnumquàm tegitur arte. Acris quidèm ingenii est hujusmodi uti sinè defectu, & eò magìs admirationem ingerit Orator, quò minùs ostenso artificio, id, quod ut impertinens cadere poterat sub prudentum censura, dum appositè rei congruere demonstratur, etiam plausum meretur. Verùm non cujusquàm Capitis est hanc parere Minervam, sed peregrinarum excogitationum (quas Phantasias vocant) fœcundi.

4 Dicitur autem remota res, quæ inexpectata, vel opposita materiæ tractandæ; sed ab ea introduci, adhibitâ solertiâ neutiquàm taxari potest. Agens enim de Mortis memoria, utiquè videtur ex remoto introduci festivo discursu opposito rei, de qua sermo est; & nihilominùs si prudentèr fiat, extraneum non censebitur. Unde *Cyprianus* de Mortalitate verba faciens, exacto Exordio, ad reliquum Orationis verbis exultantibus, & lætitiam in ipso mortis mœrore præseferentibus introducit se. [Regnum Dei, Fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo: præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia, & possessio Paradisi nupèr amissa, Mundo transeunte, jam veniunt: jam terrenis Cœlestia, & magna parvis, & caducis æterna succedunt. * Quis hìc anxietatis, & solicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus, & mœstus est, nisi cui Spes, & Fides deest? * Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare.] *Lib. de Mortal.*

Morte præmium acquiritur.

* *Gradatio. Figura.*

Introductio ex re extranea qualiter esse possit absq; defectu.

5 Verùm hæc Introductio ex Dicentis fine esse definit aliena. Intendebat etenim Cyprianus Mortis horrorem ab hominum opinione dispungere. Ideòque artis fuit in primo Orationis limine illam alio vultu personatam ostendere, indicatâ bonorum copiâ conferendâ per mortem. Unde ut defectus vitetur desumendi ab extraneo Introductionem, maximè juvabit aliquam observare circumstantiam Auditoribus vel compertam, vel insinuandam, qua manifestum sit, Oratorem non de longinquo venire. Eapropter *Nazianzenus* ad Cypriani laudes introducitur post indicatam in Exordio sui absentiam, (procùl enim Nazianzo, tranquillæ

quillæ vitæ ſtudio, ſeceſſerat) ex reditu ad ſolemnitatem. [Quàm commodè, atquè opportunè, egregiiſque Dei menſuris, qui omnia cum libra, & menſura conſtituit, ac moderatur, ad vos redimus à ſilentio, & quiete ad Sermonem, à Martyrum ſtudio ad Martyres, à corporea relaxatione ad ſpirituales epulas. Deſiderabamus vos Filii, parique, ut mihi perſuadeo, deſiderii affectu à vobis expetebamur, &c.]

6 Abſolvitur etiam Introductio à nota extraneitatis, ſi propoſitio, ex qua ſumitur, ad materiam tractandam comparari poſſit, ſicut Commune ad particulare, vel minùs perfectum ad perfectius, aut econtrà. Quemadmodùm *Nazianzenus* agens de amore pauperibus oſtendendo, Exordium diſpoſuit ex ipſa materia: Introductionem verò longiùs petiit, plures collaudando Virtutes, perquirens, quænam dignior, & omnibus illam præponens, ex qua amor procedit in pauperes. [Eſt quidem haùd admodùm promptum, & facile in tanto Virtutum numero, eam, quæ cæteris præſtet, invenire, eique primas honoris partes, laudiſque palmam dare. Nec minùs utiquè arduum, quàm in prato quodam plurimis, ſuaviſſimiſque floribus ornato, florem omnium præſtantiſſimum, fragrantiſſimumque reperire, alio nimirùm aliàs olfactum, proſpectumque ad ſe retrahente, noſque primùm ad ſui collectionem invitante. Quantum tamen ipſe aſſequi poſſum, ita res diſtinguenda, atquè conſideranda eſt. Præclara Virtus eſt Fides, &c.]

Orat. de Pauper. amore.

Virtutibus omnibus.

7 Exaggerata verò plurium dignitate Virtutum, ſubdit. [Si tamen ex Pauli, atquè ipſius etiam Chriſti ſententia, & authoritate, Charitatem, ut Legis, & Prophætarum Caput, præceptorum omnium primum, maximumque cenſendum eſt: hujus potiſſimam partem in eo ſitam eſſe comperio, ut pauperes amore, & benevolentia complectamur, atquè eorum, qui nobis cognationis jure ſunt conjuncti, calamitate moveamur, atquè doleamus. Neque enim ulla omninò res eſt, quæ Dei benevolentiam perindè conciliet, ac Miſericordia: (quandoquidèm nec quidquam eſt, quod Deo congruentiùs offerri poſſit, utpotè quem Miſericordia, & Veritas antecedant, eique miſericordia ante judicium offerenda ſit) nec ulli alii rei potiùs, quàm humanitati, & commiſerationi, commiſeratio, & humanitas ab eo rependi ſolet, &c.]

Charitas præfertur.

SECTIO

SECTIO II.

De Introductione ex ipsa Materia tractanda.

1 PErfectè procedere censenda est Introductio per Rem, de qua in Oratione tractatur, ejus exponendo quidditatem, magnitudinem, necessitatem, aliavè singularia decora, quorum forsàn in decursu agendi locus non dabitur, & in Introductione opportuniùs prævenitur. Eo etiam fit, ut Auditor magnam rei concipiat æxtimationem, & avidiùs quæ illam probant attendat. Insupèr cum Oratio debeat crescere, tot præmissis rei encomiis, nedùm de re grandi Concionator se verba facturum ostendit, sed majora adiecturum, sicque in sui admirationem, Virtutisque laudandæ, præproperè animos inclinat. Idemque observare licet in materia Vitiorum.

2 Hìnc de Martyrio agens *S.Cyprianus*, post Exordium, tam heroici actûs excellentiam pro Introductione exaggerat. [Quantæ sit gloriæ ponderate, hujus vitæ cupiditatibus, atquè ab omni animum Natura, Mundique commercio segregatum contrà Adversantis discrimen opponere, nec sævitiam torquentis horrere. Animari hominem dolore, quo credatur extingui: & id sibi in augumentum Virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse, qui punit. Nam prædurantibus licèt costulis resultans ungula recurrat in vulnus: & euntibus flagris, cum avulsa corporis parte rediens, habena ducatur: stat immobilis tamen, pœnis suis fortior: hoc solùm secùm ipse convolvens, quod in illa crudelitate Carnificum, plùs, pro quo patitur, Christus, quàm ipse, patiatur. Nam quando, si negaverit Dominum, pro eo crimen subeat, pro quo vicisse debeat: necesè est, eum videri cuncta tolerare, cui victoria debetur, & pœna.]

Opusc. de laud. Martyr.

Martyrum in suppliciis alacritas, & constantia.

3 De Idololatria verò tractans *Tertullianus*, omnium in ea scelerum congeriem contineri explicans in Exordio, ex immanitate tàm detestandi facinoris in seipso, Introductionem disponit. [Sed universa nomina criminum discedant in operum suorum proprietates, remaneat Idololatria in eo, quod ipsa est: sufficit sibi tàm inimicum Deo Nomen, tàm locuples substantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas defundit, ut de hoc cummaximè materia suscepta

Lib. de Idol.

Idololatria in plura crimina se extendit.

sit,

ſit, quot modis nobis præcavenda ſit Idololatriæ latitudo. Quoniàm multifariàm Servos Dei, nec tantùm ignoratam, ſed etiam diſſimulata,ſubvertit, &c.]

4 Rei autem magnitudo ſi lateat, & judicium ſubterfugiat ad externam ſpeciem reſpiciens, optimè ab illius explicatione ducitur Introductio. Quarè *Ambroſius*. [Movet fortaſsè ſenſus veſtros, cur Regnum Dei tàm præclarum, atquè tàm magnificum, grano ſinapis exiguo compararetur, & ſpei noſtræ tàm grande ſolatium, rei viliſſimæ ſimile eſſe dicatur, præſertìm cum alibì idem Dominus Diſcipulis ſuis dicat: ſi habueritis Fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti: tollere, & jacta te in mare. Igitur ſi Fides mira eſt, quæ poteſt ab ipſis ſedibus montium fundamenta transferre: neceſſariò ergò, & granum ſinapis magnum eſt, ad cujus ſimilitudinem Fidem habere compellimur. Magnum autem dixerim non ſpecie, ſed virtute, & Fidei qualitate non oleri comparandum, ſed vigore acrimoniæ coæquandum.]

Ser. I.

Explicatione materiæ.

Fides etiam montes poteſt transferre.

5 Quæ forma Introductionis quandoquè procedit per Figuram Præoccupationis, diſſolventis opinionem aliorum de quidditate, neceſſitate, gravitate rei tractandæ, aut quavìs illius qualitate. Regulam indicavit *Tertullianus*, qui plures adverſas rationes pro Spectaculorum frequentia in decurſu reſolvens; poſt Exordium examinat quorumdàm effatum, videlicèt Circi voluptatem, utpotè à Deo, qui omnia condidit, licitam eſſe, imò Chriſtianis oculis opportunam, quò vana deſpicientes, morti haùd deincèps pro Fide formidandæ aſſueſcerent. [Sunt qui exiſtiment,Chriſtianum, expeditum morti genus,ad hanc obſtinationem abdicatione voluptatum erudiri,quò faciliùs vitam contemnant, &c.] Et poſt.[* Pigebat ſcilicèt etiam perſeverantes in tantis voluptatibus proptèr Deum mori. Quamquàm, etsì ita eſſet, tàm apto conſilio tantæ obſtinatio diſciplinæ debebat obſequium. Jam verò nemo eſt, qui non hoc quoquè prætendat, omnia à Deo inſtituta, & homini attributa, &c.]

Per Figuram Præoccupationis.

Lib. de Spect.

* *Inſultatio Figura.*

6 Eâdem Figurâ utitur *Chryſoſtomus* quadam Concione plura complectente, præſertìm ſeriam admonitionem Sacras Scripturas evolvendi. In qua inſtituto Exordio, ad rem ſuadendam, diſſolutione oppoſitarum difficultatum introducitur. [Nè quis mihi dixerit: Sunt frigida illa verba, multa inſunt, quæ contemni debeant. Ego forenſibus cauſis affixus ſum, publica gero negotia, artificium exerceo,uxorem habeo, alo Liberos, Familiæ curam gero, mundanus homo

To. 2. Concion. 3. de Lazaro.

Sacræ Scripturæ lectio etiam Sæcularibus Viris opportuna.

homo sum, non est meum legere Scripturas, sed eorum, qui Mundo dixerunt valè, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continentèr agunt. Quid ais homo? Non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniàm innumeris curis distraheris? Immò tuum magìs est, quàm illorum, &c.]

Excitata Quæstione.

7 Itidèm ad materiam agendam pertinet excitare de illa quæstionem, qua introduci possumus. Unde *Chrysostomus* explicans parabolam de duobus Filiis, quorum alter peregrè profectus dissipavit substantiam suam, alter apud Patrem mansit, expleto Exordio, subdit. [Necessarium est ante omnia percontari causam, pro qua, & quid volens de propositis Salvator ostendere, hujusmodi parabolas ad Judæos aptaverit. Si enim nobis causa talium comparationum patuerit, tunc, & ea, quæ de ipsis sentimus an rationabilitèr congruant Veritati, facilè dignoscitur. Sunt itaquè, qui dicunt, de duobus Filiis istis seniorem Angelos esse, & Archangelos, vel omnem Cœli Militiam: Juniorem verò Hominem ponunt, qui in longinquam peregrinationem abierat, quando in terram de Cœlis, & Paradiso cecidit. Et aptant quasi consequentia, respicientes ad causam, vel statum Adam. Sed hic sensus pius quidem videtur, nescio tamen si verus sit, ... Discutientes ergò hujus parabolæ rationem, non alium intellectum vituperamus, sed magìs cum sensu illo, id quod nos sentimus, vestro dijudicandum arbitrio conferimus, &c.]

To. 2. Hom. de Patre, & duob. Filiis.

Angelus, & Homo quasi duo Filii Conditoris.

Vel remota.

8 Ex remotione insupèr Quæstionis, quia videlicèt de essentia, qualitate, aut veritate rei tractandæ nobiscùm Adversarii conveniunt, licèt in aliis discrepent, (de quibus in serie discursûs) benè possumus Introductionem formare. Quare *Nazianzenus* alloquens Arrianos, ait. [Agite igitur, arcanorum nostrorum estote participes: ad Concilium vos licèt nobis infestos, vocamus: arbitris utimur hostibus, (ò insignem arrogantiam, vel certè fiduciam!) ut pudefacti, victique recedatis, (quo quid magìs novum, & insolens?) cognita nimirùm ex eo ipso, quod ægrotavimus, nostra sanitate. Non enim de Divinitate controversiam habuimus, sed ordinis, ac disciplinæ causâ certamen inimus: nec de eo inter nos contentio extitit, &c. . . Nam quod ad Divinitatem attinet, non minùs, quàm ipsa secùm Divinitas (nisi hoc nimiùm sublimitèr, ac magnificè à me dictum videatur) inter nos consentimus, concordesque sumus, labiumque unum, & vox una existimus: contrario tamen modo, atquè ii, qui Turrim olìm extruebant.]

Orat. 2. de Pace.

SE-

SECTIO III.

De Introductione ex re proxima materiæ tractandæ.

1 Psam sibi pro Introductione materiam, de qua est acturus, præfigere, rigorem Artis indicat in Oratore, alienis non indigente, sed rei propositæ se mancipante. In Auditore tamen varietatis cupido non semper excitat motivum laudis, perrarò oblectationis. Quarè utrumque ingeret Introductio formata ex aliqua re materiæ tractandæ propinqua: tunc enim, & Ars in altero relucet, & in altero jucunditas causatur. Res autem, ex qua sumitur Introductio, dicitur materiæ tractandæ vicina, quando ad eam comparatur veluti Causa, vel effectus, vel Circumstantia intima,& quodammodò per se pertinens ad eam materiam.

2 Cum Episcopus Sasimorum *Nazianzenus* renunciatus esset, Patre Gregorio, ac Magno Basilio coràm,Orationem habens timorem suum jugitèr exprimentem pro Insulæ dignitate, & Virtutibus ad illam requisitis, Introductionem habuit ex causa hujusmodi timoris; quia videlicèt sæpè ex nostra malitia gratia Prælationis pervertitur ad elationis vanitatem: quo fatetur, maximoperè anxium se fuisse, tanto discrimine considerato, & expavescere sublimem statum, pro quo satis meriti non haberet. [Accidit sæpenumerò, ut (quod omnium malorum nostrorum miserrimum est, maximèque absurdum) Gratia ipsa fastum nobis pariat atquè insolentiùs elatos, à Deo, ad quem non ut decuit accessimus,exturbet,ac dejiciat; atquè ità dum extollimur, corruamus: ut fiat suprà modum peccans peccatum, nimirùm quod bonum est mihi mortem afferens. Hæc ego metuens, acerbitate, & mœrore totus debilitatus sum, eodemque modo affectus, quo pueri circà fulgetras, ex quarum spectaculo conjunctam cum admiratione, ac stupore voluptatem capiunt, &c.]

Ex Causa.

Apolog. ad Patr.

Elatio hominis ex Dei donis.

3 Plebis etiam Constantinopolitanæ in partes divisæ, & in diversa studia distractæ,mutuas, ac periculi plenas dissensiones idem *Nazianzenus* eleganti Oratione exaggerans, Causam odiorum civilium affert pro Introductione. [Quid tan-

Orat. 3. de Pace.

tandem causæ est, cur qui Charitatem colimus, mutuis odiis flagramus? qui pacem, implacabile, & inexpiabile bellum gerimus? . . . . . Nobis tamen nec finis, nec modus sit ullus partim inferendorum, partim accipiendorum vulnerum: non Hæreticis solùm, ac Fidei doctrina, & Religione distractis (minùs enim dolendum id esset, zelusque modò fines non excedens rem præclaram à reprehensione vindicaret:) verùm jis quoque, qui eamdem Fidem profitentur, atquè adversùs eosdem, & de eisdem rebus summa contentione certant. Hoc enim omnium est sceleratissimum, vel maximè miserandum. Et quæ hujus rei causa est? Dominandi libido, &c.]

Dissidia inter Ecclesiæ Filios.

Ex Effectibus.

4 Ex effectibus rei tractandæ disponitur insupèr Introductio, nedùm communitèr notis, sed singularibus. Quod etiam in Introductione ex Causis prospicere debet Orator, rem enim auget causa ejus inopinata, sed Oratoris solertià, tàm propria illius, ut videatur aliam afferri non è re esse. Igitur ex effectibus Ebrietatis, de ea acturus *Basilius Magnus* sic introducitur. [In qua re à brutis animalibus differs ò homo, non dono Rationis, qua à Conditore tuo accepta, Princeps, ac Dominus omnis Creaturæ factus es? Qui itaquè sibiipsi prudentiam detrahit per ebrietatem, collatus est pecoribus mentem non habentibus, ipsisque assimilatus est. Atquè ego sanè dixerim, Ebriosos Rationis magìs expertes esse, quàm pecora: siquidèm quadrupedia, & feræ omnes ordinatos habent ad coitum impetus: quibus verò ab ebrietate anima detinetur, & corpus præternaturali calore expletum est, omni tempore, ac omni hora ad immundos, ac turpes complexus concitantur: & non hoc solùm irrationalitatem ipsis inducit; sed etiam sensuum perversio, Ebriosum omni pecore pejorem designat.]

Hom. 13. cont. Ebr.

Ebrietas in libidinem prona bruitali fœdiorem.

5 Inducturus autem *Nazianzenus* ad pœnitentiam Cives suos mœrore simùl, ac terrore perculsos ob maturas fruges violenta grandine prostratas, ex ejus cladis effectibus introducitur. [Acerba quidem res est terræ sterilitas, & frugum pernicies, (quis enim negaverit?) jam spe ipsa oblectantium, atquè horreis appropinquantium. Acerba res, præmatura messis, & agricolæ laboribus suis ingemiscentes, ac velùt mortuis fœtibus assidentes, quos miti pluvia enutritos, fera, & immanis pluvia demessuit: * quibus non implevit manum suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit, nec proptèr ipsos benedictionem eam, quam viatores agricolis impertire solent, consecutus est.

Orat. in Plag. grād.

Messis grandine prostrata.

* *Sensus Scripturalis per usū verborum.*

Mi-

Miserum spectaculum, terra ignominiosè vastata, atquè detonsa, suoque ornatu spoliata, &c.]

6 Cæterùm Circumstantiæ, ex quibus duci potest Introductio, & propinquæ esse debent rei tractandæ, & singularem illius conditionem exprimentes, ideòque intimæ, & quodammodò per se afficientes. Hujusmodi sunt duo accidentia, Qualitas, & Duratio: ad primam pertinent propriæ illius prærogativæ, ad secundam reducitur circumstantia temporis. Et prioris quidem generis sunt externa corporis species, aut interior animi decor, aut ex Proavis ducta illustris sanguinis vena: alterius verò, illæ temporum considerationes, quibus rem accidisse, aut specialem vim induisse, ad causam spectat. *Ex Circumstantiis.*

7 Ex nota Nobilitatis ad laudes Cæsarii Fratris introducitur *Nazianzenus*; sed illa, quæ videri poterat ad ejus Sanctimoniam per accidens se habere, fit per se pertinens ob similitudinem pietatis Parentum, Filiique. [Cæsarius igitur, ut hìnc exordiar, unde me maximè exordiri decet, Parentes eos habuit, quos omnes cognoscitis, quorumque Virtutem intuentes,& audientes, mirificis laudibus in Cœlum effertis, aliisque, quibus minùs cognita est, (si qui tamen hujusmodi sunt) commemoratis, hoc munus inter vos partientes. Nequè enim fieri potest, ut unus, idemque cuncta exponat, nequè unius linguæ hæc opera est, quantumcumquè aliquis studio, atquè industria, animique contentione præcellat. Quibus cum multa, & præclara laudum ornamenta suppetant, tùm eos una potissimùm pietas nobilitat, & insignes reddit,&c.] *Orat. in laud. Cæsar.* Pietas præcipuè hominem nobilem reddit.

8 Et alibì,Basilii Magni Virtutes pro concione laudans, ex Generis splendore introducitur. [Enimverò si Majorum imaginibus cum Generis splendore, aut ullis omninò levibus rebus, quibus humi defixi homines efferri solent, gloriari viderem: alius utiquè Heroum cathalogus appareret. Tot, tantaque à Majoribus illius ad eum ornandum accipere possemus: Ac ne historiis quidem quidquàm hac parte cederemus, hoc certè nomine superiores futuri, quod non commentitiis, fabulosisque narrationibus, sed rebus ipsis, quarum multi testes sunt, gloriamur . . . . . Aliarum quidem Familiarum, vel etiàm sigillatìm cujuslibet hominis alia sunt decora, & laudum ornamenta vel majora, vel minora, quæ instàr paternæ cujusdam hæreditatis, vel longinquiùs, vel propinquiùs exorsæ ad Posteros devolvuntur: huic autem utriusque Generis insigne, atquè ornamentum Pietas fuit.] *Orat. in laud. Basil.* Nobilitas non adinventis, sed veris asserenda.

9 Interna quoquè dispositio rei connexæ cum materia tractanda, sivè ut causa, sivè ut effectus illius, est circumstantia prioris generis aptissima Introductioni. Quarè *Nazianzenus* calamitoso tempore, quo ab Arrianis, Macedonianis, Apollinaristis, Novatianis,aliisque hæresum portentis Orthodoxa Fides impugnabatur, vehementèr in Filios perditionis invectus, quos Ecclesiasticæ pacis eversores sugillat,eorum perversæ mentis descriptionem affert pro Orationis Introductione. [Ingenia quædam magna, & ferventia, tumultus istos, in quibus versamur, excitarunt: non illa quidem simplicitèr magna,& ferventia: (non enim ji sumus, qui vigorem animorum, & acrimoniam in Vitio ponamus, sinè qua nemo facilè insigni aliqua Pietatis laude, aut alia Virtute præstiterit) Sed quæ cum generositate temeritatem, imprudentiamque audaciæ parentem conjunctam habeant. Infirmæ enim, & imbecilles Naturæ tàm ad Virtutem, quàm ad Vitium languescunt,atquè ægrè impelluntur: nequè in alterutram partem magnoperè feruntur, ut non incommodè hominum torpore oppressorum incessibus comparari possint. At generosi animi, quemadmodùm si Rationis magisterio regantur, & coërceantur, magnum ad Virtutem momentum afferunt: ita si à scientia,& Ratione deserantur, non minùs momenti ad Vitium habituri sunt, &c.]

Orat. de moderat. in dispur.

Ingenii fervor Prudentiâ moderandus.

10 Pluribus modis Circumstantia Temporis Introductioni deseruit, quos nequè omnes possumus recensere,cum ex rei tractandæ qualitate pendeant. Præsertìm tamen, si exaggeranda duratio, & permanentia Virtutis, Vitii,& hujusmodi;si commendanda opportunitas illius ad causæ probationem, vel Orationis congruitatem, aut etiam inopportunitas: si præmatura rei interruptio, sivè personæ laudandæ præcox interitus lamentandus, vel tolerandus: si quæ in ortu præter consuetas Naturæ Leges contigerint examinanda; & similia temporum momenta expendenda sint, consentaneè tamen ad rem,ejusque probationes afferendas. Ex quibus, quandoquè cunctis, quandoquè singulis abs re non erit introduci.

11 Quemadmodùm *Ambrosius* viam sibi parans ad mœrorem pro Conjunctorum obitu temperandum, introducitur ex temporis mensura universis præscripta, ex mortui funere alicubì festivè celebrato. [Ordiamur igitur ab eo, ut lugendum nobis Nostrorum obitum non esse doceamus. Quid enim absurdius, quàm ut id, quod scias omnibus esse præ-

Orat. de Fide Resur.

Mors omnibus præscripta.

præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum suprà conditionem extollere, Legem non recipere, commune Naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram..... Fuisse etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent. Nec imprudentèr: Eos enim, qui in hoc vitæ salum venissent, mœrendos putabant: eos verò, qui ex istius Mundi procellis, & fluctibus emersissent, non injusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoquè ipsi natales dies defunctorum obliviscimur, & eum, quo obierint diem celebri solemnitate renovamus, &c.] A quibusdam populis festivè celebrata.

12 Instantibus autem Quadragesimalibus diebus, ex temporis opportunitate *Basilius Magnus* introducitur ad Jejunii observantiam commendandam. [Est quidèm omni tempore Jejunium utile volentibus ipsum. Nequè enim Dæmonum insultus jejunantem impetere audent, & Custodes vitæ nostræ Angeli libentiùs perseverant apud eos, qui animam habent per jejunium purgatam. Nunc verò multò ampliùs, cum in omnem terrarum Orbem præconium ipsius annunciatur, & nequè Insula aliqua, neque Terra-firma, non Civitas, non Gens, non extremitas est, ad quam prædicatio ipsius non perveniat: sed, & exercitus, & viatores, & navigatores, & mercatores omnes æqualitèr, & præceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt. Quarè nemo seipsum ex jejunantium cathalogo eximat, &c.]

Hom. 31. de Jejun.

Jejunium Quadragesimale ubiquè vigens.

SECTIO IV.

De Peroratione, ejusque duplici usu.

1 POstremam hanc Orationis partem à propria sede hùc tractandam transferimus, non quòd, quorumdam existimatione jam obsoletam, & rarò à Modernis usurpatam: (nemo enim est, cui eam transgredi liceat, & nisi in Arte peccet, eâ utitur adhùc non advertens, cum pro laboris fine, Auditorum commotionem, & plenum Concionis captum exoptet) Sed quòd licèt ab Exordio longiùs partibus aliis distet: Exordio nihilominùs, plùs quàm cæteræ affinis est affectuum, rerumque convenientiâ. Illud enim semina rationum jacit, hæc adultas in fasciculum cogit: illud affectuum cuspides

Peroratio Concioni necessaria.

non

non tàm intimat, quàm ostentat: hæc aggravata manu in animos figit: illud expedit arma, hæc palmam reportat. Unde *Quintilianus*. [Dividere igitur hæc officia, commodissimum, quæ plerumquè sunt, ut dixi, Proœmio similia, sed liberiora, plenioraque. Inclinatio enim Judicum ad nos petitur initio parciùs, tùm admitti satìs est, & Oratio tota superest. In Epilogo verò qualem animum Judex in consilium ferat, & jam nihil ampliùs dicturi sumus, nec restat quo fervemur.] *Lib. 6. seg. 1.*

2 Perorationem Græci proprio nomine Ἀνακεφαλαίωσις *Anacephaleoseos* denotarunt, nempè *Recapitulationem, Redactionem in summam*. Idem significat Ἐπίλογος *Epilogus*, ideſt *Conclusio*, ut plurimi vertunt, vel compendiosus sermo, sparsìm, fusèque per Concionem acta, brevi compendio recapitulans, seù per summa capita recolligens, totumque robur argumentorum, conceptuum, gestorum, in unum velutì ex selectis militibus cuneum redigens. Novus Oratoris labor, & non exiguus. Nam in angustis amplifiandis plura menti obviant: actiones, rationesque suis gaudent spatiis, & aliarum rerum dilatantur accessu: at in paucis multa, in modicis grandia restringere, ut vim, & efficaciam persuadendi nedùm non amittant, sed adaugeant, ingenium valdè commendat.

Vocatur Recapitulatio, Conclusio.

3 Est igitur: *Artificiosus Orationis terminus*, totam simul causam ponens ante oculos, & ea, quæ singula minùs moverant, in unum coacta, fortia reddit ad auditorem movendum. Ejus duplex est virtus, in rebus, & in affectibus: perfectissima si utrisque constet. Et quidem hæc duo sibi manum dant: si enim res repetantur, indèque commotio non sequatur, finis adhùc non est Orationis obtentus. Rursùs affectuum excitatio, nisi Auditor ratione sit victus, nullâ industriâ sperari potest. Unde cùm ex his duobus divisìm Peroratio procedit, observandum, ut in rerum repetitione ita res afferantur, ut de se sufficiant ad animos affectibus stimulandos: in usu verò Perorationis per affectuum seriem, res talitèr priùs fuerint dispositæ in Concione, ut Auditoris memoriâ haùd aufugerint.

Ejus munus, & Virtus.

4 Enumeratio in Peroratione non esse debet nuda antedictorum repetitio: sed nova phrasi in memoriam revocare, quæ diximus, additis brevium rationum, & sententiarum aculeis, adhibitis iis præsertìm Figuris, quæ Narrationi solent deservire, ut Congeries, Præteritio, Subjectio, Ironia, & similes. Idque monuit *Quintilianus*. [Quæ autem *Lib. 6. cap. 1.*

Enumeratio in Peroratione.

tem numeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, & apertis excitanda sententiis, & Figuris utiquè varianda. Alioquì nihil est odiosius, rectà illa repetitione velùt memoriæ Judicum diffidentis.]

5 Quia verò Græca vox *Anacephaleosis*, ut notat idem Author, Perorationi munus assignat non iterùm res in Oratione allatas extendere, sed *decurrere per capita*, nè in eis nimiùm immorantes, videamur alteram Orationem construere, imò eamdem repetere: diligentiùs servetur, ex unaquaque argumentatione eligi, quæ judicatur gravissima, & efficax ad convincendum, & quambrevissimè pertractari: vel dubitando si quid omiserimus, dum priùs adducta recensemus: aut simulando illa, & illa præterire, & unum aut alterum videri ineluctabile, in quo repetendo aliqua etiam dilatatio non prohibetur. Et certè in argumentorum reassumptione, ea postremò in Peroratione locentur, quæ velutì opprimant ingenium audientis, ut responsio ad illa non suppetat. Idque præmonuerat *Quintilianus*. [Id autem si, & actionis superererit locus, & ea proposuerimus, quæ refelli non possunt. Nam provocare, quæ indè sint fortia, non arguentis est, sed monentis.]

Brevitèr decurrenda.

Ibid.

6 Proprius perorandi modus per enumerationem est, quod fiat soluto, & libero dicendi Genere, ut cum affectuum commotio requiritur, quantùm fieri potest, lateat artificium. Sed tamen necessaria quoquè variatio, nedùm ad oblectamentum, verùm, & ad fructum, & efficaciam. Præcipuè utendo Prosopopejâ, inducendo videlicèt, vel Personam, vel res ipsas, de quibus fuit actum in Oratione, illisque munus cedere enumerandi illucusquè prolata. Hoc enim simul mulcet, & premit, dum vetera novitèr dicuntur, & quasi ab alio confirmantur.

Peroratio per Enumeratione soluto dicendi Genere facienda.

7 Cæterùm Peroratio *per affectus* procedens, propriis armis vincit. Etsì enim illi per totum Orationis corpus spargendi sint, in extremo tamen congregandi, seligendi, acuminandi, utpotè, in quo summa discriminis alea est, aut frustrà desudasse: aut Auditores flectere, ad honesta excitare, à turpibus deterrere. Qua de re *Augustinus*. [Si qui audiunt, monendi sunt potiùs, quàm docendi: ut in eo, quod jam sciunt agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes, & coërcitiones, & quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria.]

Peroratio per affectus vehementiam petit, ut in plurimùm

Lib. 4. de Doctrin. Christ.

8 Ro-

8 Robustior erit Peroratio, si abundet his ignitis missilibus corda tangentibus, ac transfigentibus. Eloquia enim Dei tanquàm sagittæ potentis acutæ animis hærent, & sæpè oculis lachrymantibus patefiunt. Procùl ideò à Peroratione joci, fabulæ, quæstiones, nugæ, quidquid non sacrum, non perutile, non urgens, non ponderosum est, & non mallei instàr saxa frangens, quibus corda audientium sunt duriora quandoquè. Ad variè utendum affectibus in Peroratione, Auditorum conditio, & materiæ pertractatæ qualitas attendatur. Nonnumquàm triplex dicendi Genus in Oratione usurpatur, quandoquè ex illis alterum. Proindè juxtà rei opportunitatem in Peroratione collocentur affectus, ad excitandum amorem, odium, æmulationem, lætitiam, indignationem, commiserationem: similesque affectus appareant in Oratore, ut videatur flens in funestis, in lætis exultans, in increpando vehemens, efficax in flectendo.

Absint joci, fabulæ, & hujusmodi.

Triplex quandoquè dicendi Genus in Peroratione.

Duplex modus affectuum in Peroratione.

9 Bifariàm verò per affectus Peroratio procedit. Nam affectus aliquandò causantur à Peroratione, & ita illos continet veluti causalitèr. Quia videlicèt eo modo disponuntur res, & verba eliguntur, ut ex illis Auditor moveatur, & ad aliquos ex præfatis affectibus concitetur. Aliquandò autem ipsæ periodi, & vocum significationes affectus continent: cum videlicèt Orator, quia rerum dictarum virtute commotus est, in quosdam prorumpit affectus, ad eum modum, quo in elevatione mentis solet cor concalere, & in meditatione ignis exardescere, ut non rarò contingit, dùm verba fiunt de Nativitate, vel Passione Domini, de Beatifico gaudio, aut pœna gehennali:& hujusmodi Peroratione difficillimum est Auditores non commoveri.

Perorationi per affectus non tàm convenit Amplificatio, quàm Amplitudo.

10 Sed dùm priori modo fit Peroratio per affectus, in ea locus detur Amplificationi, quam Epilogi nomine aptè intelligendam notat noster *Granatensis*. Non illa, qua singulæ res dilatari possunt, hoc enim est proprium Concionis, & Perorationi non congruit: sed quæ potiùs vocanda sit Amplitudo; nempè postquàm argumentorum summa collecta est, & omnia simul brevitèr conglobata, ea oportet magnificare, & efficacissima ostendere ad animi affectus ciendos, itaùt nì sequantur, Auditorem pudeat pertinaciæ suæ. Ad rem *Augustinus*. [Sicut est autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus Auditor: ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et sicut delectatur, si suavitèr loquaris, ita flectitur si amet, quod polliceris: timeat, quod minaris: oderit, quod arguis: quod commendas, amplectatur: quod do-

Lib. 4. cap. 1.

Lib. 4. de Doctrin. Christ.

Auditor delectandus, flectendus, movendus.

dolendum exaggeras, doleat: cum quid lætandum prædicas, gaudeat: misereatur eorum, quos miserandos ante oculos, dicendo, constituis: fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandi Eloquentia fieri potest ad commovendos animos auditorum, non quod agendum sit sciant, sed ut agant, quod agendum esse jam sciunt. Si autem adhùc nesciunt, priùs utiquè docendi sunt, quàm monendi.]

11 Quod profectò per prædictam amplificandi formam, etiam habetur. Nam recapitulatio dictorum valdè instruit, dum quæ convincere possunt iterùm proponit: & exaggeratio efficaciæ ipsorum, animum inclinat ad bonum, quod persuadetur, & abstrahit à malo, contrà quod Orator invehitur. Unde idem *Augustinus*. [Cum verò id docetur, quod agendum est, & ideò docetur, ut agatur: frustrà persuadetur verum esse quod dicitur, frustrà placet modus ipse, quo dicitur, si non ita dicitur, ut agatur. Oportet igitur Eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solùm docere, ut instruat, & delectare, ut teneat, verùmetiam flectere, ut vincat.] His autem in communi pro gemino Perorationis usu observatis, singularia quædam, mox exempla subjiciemus.

Ibid.

Reassumptio rerum instruit Audientes, ut moveantur.

SECTIO V.

Exempla Perorationis ex enumeratione.

1 ENumeratio eorum, quæ concione continentur, artificiosè fit in Peroratione ex aliqua sententia claudente rationes allatas, & eas iterùm ad finem inferente. Inde enim enumeratio videtur non ex industria, sed spontè sequi. Ideoquè *Cyprianus* commendatâ Martyrii dignitate ex patientis constantia, rerum caducitate, exemplo Christi, coronæ merito, addens difficilè omnia prosequi, ad finem vergens subdit. [Quid igitur Fratres charissimi potissimùm referam, quidvè dicam? Sic in unum convenientibus titulis dignitatis turbatur animus, deducitur Sensus, & in ipso conatu nitentis eloquii impar sermo vanescit. Quid enim dici satìs possit, cum si vim æternæ salutis expresseris, occurrat ambitio: (scilicèt desiderium) si ambitum dixeris, præveniat magnitudo? Res

Opusc. de laud. Martyr.

Dignitate rerum in arctum ducitur Orator.

 simul-

ſimûlque congruunt, ſimûlque concurrunt, nec eſt quod dignum præferendum eſſe videatur. Ita impetus Orationis audentis velût implicatos, irretitoſque obviàm ex adverſo Martyrii exempla tenuerunt. Quæ vox, quæ latera, quæ vires inſtàr muneris tanti capiant ſuſtinere? Confeſſioni vocis unius adverſa ſuccumbunt, læta proveniunt, patent Regna, parantur Imperia, devincitur pœna, mors ſubigitur, vita profertur, & infeſtantis Inimici repugnantia arma ſolvuntur, &c.]

2 Quibus verbis modus indicatur perorandi amplificatione rerum, quæ dum invicèm comparantur, alteri alterâ in dignitate non cedente, omnium efficacia demonſtratur, quæ tamen ſæpè cognoſcitur major, cùm per Figuram Conceſſionis tantam non eſſe permittitur, ut poſſit æquari ultimo argumento, velût Achilli ad plenam victoriam ſervato. Hujus exemplum colligere licet ex *Cypriano* ad libentèr vitam deſpiciendam hortante, & mortem hilaritèr aſpiciendam ex multiplici rerum caducitate, quam repetit in Peroratione, addens fortiùs motivum, nempè æternæ Felicitatis deſiderium.

3 Enumeratione proindè Perorationem incipiens, ait. [Quod cum ſemper faciendum fuerit Dei Servis, nunc fieri multò magìs debet, corruente jam Mundo, & malorum infeſtantium turbinibus obſeſſo: ut qui cernimus cœpiſſe jam gravia, & ſcimus imminere graviora, lucrum maximum reputemus, ſi iſthìnc velociùs recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, tecta deſupèr tremerent, domus jam fatigata, jam laſſa, ædificiis ſenectute labentibus, ruinam proximam minaretur: nonnè omni celeritate migrares? Si te navigante, turbida, & procelloſa tempeſtas, fluctibus violentis excitatis, prænunciaret futura naufragia: nonnè portum velocitèr peteres? Mundus ecce nutat, & labitur, & ruinam ſui, non jam ſenectute rerum, ſed fine, teſtatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore ſubtractus, ruinis, & naufragiis, & plagis imminentibus exueris? Conſiderandum eſt Fratres dilectiſſimi, & idemtidèm cogitandum, renunciaſſe nos Mundo, & tanquàm hoſpites, & peregrinos hìc interìm degere: amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo: qui nos iſthìnc ereptos, & laqueis ſæcularibus exutos Paradiſo reſtituit, & Regno Cœleſti. &c.]

Opuſc. de Mortal.

Mundus ſua ſponte labens, alteram vitam monet appetendam.

4 Eâdem formâ perorandi quandoquè reaſſumuntur non argumenta, ſed puncta, in quæ Concio partita eſt. Hinc *Augu-*

To. 10. Ser. 17. de verb. Apost.

Augustinus exponens verba Apostoli: *Si Deus pro nobis; quis contra nos?* Ipsum Fide apprehendentes, Spe expectantes, Charitate tenentes, ad calcem subdit. [Hoc modò credimus, hoc modò speramus: cum venerimus, tenebimus, & jam visio erit, non Fides: cum venerimus, tenebimus, & jam res erit, non Spes. Charitas quid? nunquid & ipsa modò est, tùnc non erit? Si amamus credendo, & non videndo, quo modo amabimus videndo, & tenendo? Ergò Charitas erit, sed perfecta erit, sicut Apostolus ait: Fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum Charitas, &c.]

Charitas perfecta in Patria.


5 In Orationibus brevibus Perorationem paucis claudere convenit. In aliis id servandum: quod, si omnia repetantur, ultrà modum excrescat Epilogus, illa tantummodò resumantur, quæ magìs ad utilitatem conducunt Auditorum. Quinimò adhùc aliquid Oratori indulgendum; ut quæ vìx in Concione libaverat, in Peroratione exaggeret, tanquàm ad fructum opportuniora. Sic *Nazianzenus* in fine Orationis habitæ ad Patrem cum Monachis reconciliandum, quandoquidèm dissidium subortum erat, quia Pater ad subscribendum inductus ignorantèr fuerit cuidam dogmati Arrianis faventi, extremis periodis ineffabile Trinitatis Mysterium commendat, utpotè necessarium eo tempore, quo Catholicis circa Verbi Consubstantialitatem Hæretici obstrepebant.

Orationes breves Peroratione brevi claudendæ.

6 Venustè etiam Peroratio fit (si de Sancto Viro sit sermo) exposita in concione Hæroicæ Virtutis gesta ad modum Epicedicæ Inscriptionis ejus tumulo, conciso stylo apponere, cujus rei aliquid innuit *Nazianzenus*. Præsertìm si ad id opportunitas conferat singularis prodigii ab eo Sancto patrati, in feretro dùm prostaret, aut in tumulo requiesceret. Nonnulla de hoc suppetent exempla in Divorum Actis, & in Nostratibus non deficiunt. Agnes Politiana pedem ad os usquè invisentis extollens Catharinæ Senensis: Margarita Tiphernas brachium cæcæ Virginis manu tenens: Magnus Albertus in tumulo non jacens, sed formâ orantis inventus: in aliis abundant hujus rei exempla. Quæ tamen si non suppetant, adsint tamen circa Sancti funus Cœli ostenta, idem commodè servari potest.

Orat. in laud. Atha.

Peroratio per modum Epicedicæ Inscriptionis.



SECTIO VI.

Exempla Perorationis per affectus.

Affectus expressi per verba lenia.

1  Ffectus, quibus Peroratio constat, vel rebus repetitis miscentur, vel si earum repetitionem non supponunt, certè exigunt memoriâ retineri: sic enim Auditor ad affectus disponitur. Aliqui eorum per verba lenia excitantur, cujusmodi sunt in adhortationibus ad Virtutem, quales in Peroratione *Salviani*. [Abdicare itaquè à teipso, nè abdiceris à Christo: repudia te, ut recipiaris à Christo: perde teipsum, nè pereas. Qui enim, inquit Salvator, perdiderit animam suam proptèr me, inveniet eam. Dilige itaquè hanc tuam salubrem perditionem, ut assequaris veram salutem. Liberandus enim à Deo ipse omninò non eris, nisi te ipse damnaveris.]

Abnegare seipsum, nè à Christo negari contingat.

Lib. 5. de Gubern.

2 Alii, præsertìm in Vitiorum exprobratione, verbis indignantibus exprimuntur. Talis ejusdem Salviani Peroratio. [Et miramur, si miseri, qui tàm impuri sumus? Miramur, si ab Hoste viribus vincimur, qui honestate superamur? Miramur, si bona nostra possident, qui mala nostra execrantur? Nec illos naturale robur corporum facit vincere: nec nos Naturæ infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persuadeat, nemo aliud arbitretur: sola nos morum nostrorum Vitia vicerunt.]

Affectus expressi per verba indignantia.

Lib. 7. de Gubern.

3 Quamvìs verò Oratoris sit ad omnes Virtutes provocare, & ab omnibus Vitiis Auditorem avertere, Ars tamen id non ejus arbitrio relinquit, sed diligentèr observare jubet, an bonum, ad quod hortatur, cum præmissis in Oratione conveniat: itaùt illa Virtus æmulanda Auditori in Peroratione exaggeretur, de qua præcipuè habitus sermo est. Idem dicitur de Vitio. Hinc *Basilius Magnus*, post exposita Iræ damna, subdit ad finem. [Cessa igitur ab ira, & relinque indignationem, quo iræ, quæ de Cœlo revelatur, periculum effugias . . . . Nè igitur nobisipsis tantum malum inducamus, animæ ægritudinem, Rationis tenebras, à Deo abalienationem, consortii ignorantiam, belli principium, calamitatum acervum, Dæmonem malum, qui in ipsis animis nostris generatur, & velùt inquilinus impudens, interna nostra occupat, & Sancto Spiritui accessum excludit, &c.]

Iræ damna quamplura.

Hom. 38. cont. Irascentes.

4 Mo-

4 Movet etiam ad Virtutis obſervantiam magnitudo præmii repromiſſi, cujus amplificatione duci poterit Peroratio, exemplum præbente *Cypriano* de Opere, & Eleæmoſynis agente. [Quæ illa erit Fratres chariſſimi operantium gloria, quàm grandis, & ſumma lætitia? Cum Populum ſuum Dominus cœperit receuſere, & meritis, atquè operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis Cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare: offerre nos Patri, cui nos ſua ſanctificatione reſtituit: Æternitatem nobis, Immortalitatemque largiri, ad quam nos Sanguinis ſui vivificatione reparavit: reduces ad Paradiſum denuò facere: Regna Cœlorum, fide, & veritate ſuæ pollicitationis aperire. Hæc hæreant firmitèr ſenſibus noſtris, &c.]

r Opuſc. de Opere, & Eleemoſ.

In Cœlo retribuenda Miſericordiæ Opera.

5 Verùm non minùs Auditorem movent comminatoriæ Perorationes, ſivè Vitii deformitatem exprimentes, ut ejus ingerant deteſtationem, ſivè ad Virtutem impellant, injecto ſupplicii timore impiis reſervati. Exponens Chriſti verba: *Beati miſericordes, quoniàm ipſi miſericordiam conſequentur*, inde notans eum, qui pauperibus durus eſt, *Gregorius Nyſſenus* ad finem Orationis immiſericordi indubiam pœnam minatur. [Si is præceps in tenebroſum illum ignem detrudatur, omnibus jis, qui per hanc vitam experti fuerint, ſævitiam, & inhumanitatem ei objicientibus, & dicentibus: * Memento, quod receperis bona tua in vita tua. Concluſiſti ſimùl in munimentis divitiarum miſericordiam, & reliquiſti ſupèr terram miſerandi affectum. Non portaſti ad hoc Sæculum humanitatem, non habes quod non habuiſti: non invenis quod non depoſuiſti: non colligis quod non diſperſiſti: non metis quorum non dejeciſti ſemina . . . . . . Habe quod dilexiſti. Non aſpexiſti quemquam condolentèr, non aſpicieris cum miſeratione. Deſpexiſti eum, qui affligeretur: deſpicieris dum peribis. Fugiſti miſericordiam, fugiet te miſericordia. Abominatus es, & faſtidiſti egenum: faſtidiet te, qui proptèr te egenus fuit. Si hæc, atquè ſimilia dicantur: ubi aurum, ubi ſplendida vaſa, ſplendida ſuppellex? Ubi per ſignacula theſauris adhibita cautio? Ubi ad nocturnas excubias ordinati canes: adversùs inſidiantes armorum apparatus: in codicibus perſcripta nominum adnotatio? Quid hæc ad fletus, & ſtridores dentium? Quis illuminabit tenebras: quis extinguet flammas: quis avertet vermem nunquàm morientem?]

Matth. 5.

Orat. 5. de Beatitudin.

* *Proſopopeja. Figura.*

Pœna immiſericordi reſervata.

6 Junctis autem hujuſmodi motivis excitandorum affectuum,

fectuum, comminatione videlicet, & promissione *Nazianzenus*, quæ fusè dixerat de pauperum amore ex mixtis his affectibus Peroratione concludit. [An tu beneficentiæ officium tibi liberum esse, ac non necessariò præstandum existimas: aut non Legis, sed Consilii rationem habere? Hoc quoquè ipse magnopere vellem, & existimarem: sed me * Sinistra illa Manus exterret, hœdi, & probra ea, quæ in sceleratos homines ab eo, à quo in ea parte collocati sunt, conjiciuntur: non quia manus alienis bonis attulerunt: nec quia fana diripuerunt, aut adulterium admiserunt, aut aliud quiddam ex jis, quæ interdicta sunt, perpetrarunt, hoc ordine condemnati: sed quia Christum per pauperes minimè curarunt. Quocircà si quid mihi auscultandum putabitis Servi Christi, & fratres, & cohæredes, Christum, quandiù licet, invisamus, Christum curemus, Christum alamus, Christum induamus, Christum colligamus, Christum honoremus .... ut cum hinc excesserimus, in æterna tabernacula nos accipiant.]

Orat. de Pauper. amore.

** Stylus Scripturalis per usù Parabolæ.*

Avaritia in pauperes in Extremo Judicio exprobrata.

7 Perorationes affectibus constantes, vim præcipuam habent, si fiant exprimendo Oratoris desiderium, demissionem, multotiès indignationem, sæpè rogationem, non rarò per Apostrophen, vel Prosopopejam. Optatione *Damascenus* de mortuis concionem concludit. [Væ autem, juxtà Divum Ephrem, qui sinistram partem sortietur. Beati autem omnes, & omninò beati, qui à Domino à dextris collocabuntur, vocemque audierint benedictam. Quam utinàm omnes audire mereamur, & quotquot Orthodoxam Fidem amplectimur bonis illis omnibus impleamur. Quorum pulchritudinem nequè mortalis vidit oculus, nequè audierunt unquàm aures, neque aliquo modo cor ratione perscrutatum est, &c.]

Ser. de Defunct.

Cujus expavescenda sententia.

8 In his tamen perorandi modis adhibeantur etiam rationes breves, quæ convincant, & moveant: increpet, & arguat Orator adhùc dum obsecrat, Apostolo jubente, & exemplum præbente *Augustino*. [Quid enim vis mali dic mihi in omnibus actibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terra non vis segetem malam, non vis utiquè malam, sed bonam arborem, equum, servum, bonum amicum, bonum filium, uxorem bonam. Et quid hæc magna commemorem, quandò non vis vestem malam habere, sed bonam, caligam postremò ipsam non vis nisi bonam? Aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te velle aliquid bonum: puto villam malam non vis, sed bonam: solam animam ma-

To. 10. Ser. 144. de Temp.

Omnia homo vult sibi bona, solam vult animam suam malam.

malam vis? Quid te offendisti? Quid de te tuipse malemeruisti? Inter bona tua non vis esse malum, nisi te solum. Puto quia dico, quod soleo, & facitis quod soletis. Ego coràm Deo excutio vestimenta mea, &c.]

9 Apostrophe, qua nonnunquàm utitur Peroratio per affectus, sua artificiosa positione non careat, & videatur ex ultimo facto, aut extrema authoritate, quæ adducitur, originem trahere. Quemadmodùm *Nazianzenus* Apostrophen ad Gorgoniam, de qua dixerat, ex eo disposuit, quod Sancta illa Fœmina verbis David: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, diem clausisset. Multotiès dirigitur ad absentes homines, ad irrationalia, ad inanimata, pluriès ad Divos, quorum laudes Oratio prosequuta est. Sæpè etiam ad Deum, in qua eniteat verborum majestas cum animi demissione, sententiarum gravitas ex Sacra Scriptura decerptarum, affectuum copia ex intimis provenientium, totum deniquè, quod cum Deo loquentem non dedeceat.

Orat. pro Gorgon.
Psal. 4.

Cautela in Peroratione, dum sermo ad Deum dirigitur.

10 Hìnc adductis beneficiis maximis homini à Deo collatis ex nimia Charitate sua, qua dilexit nos, sic *Cyprianus* Orationem de Christi Baptismo concludit. [Gratias ago tibi Clementissime Deus, quia, quod quæris à me, priùs ipse donasti. Et quomodò tu me dilexeris, si linguis hominum, & Angelorum loquar, nec dignè possum eloqui, nec universa complecti, quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Justum est Domine, ut diligamus te, quia & ipse nos diligis, & iniquum omninò est, ut te in aliquo dilecti tui offendant. Verè hoc mandatum Legem complectitur, & Prophætas, & in hoc verbo omnium Scripturarum volumina coarctantur . . . . Non pertinet Domine ad te, nec de tuis est, qui te non diligit: nec diligit te, qui scientèr offendit, &c.]

Orat. de Oper. Cardin. Christi.

Justum est, ut diligamus Deū, quia ipse nos diligit.

11 En & alia ejusdem *Cypriani* Peroratio per Apostrophen ad Christum, cujus in Concione expresserat cruciatus, atquè acerbissimam passionem, eamque nobis imitandam proponamus in consimilibus Orationibus. [Jam Sanguis tuus Domine non quærit ultionem: Sanguis tuus lavat crimina, peccata condonat. Clamat Sanguis Abel, clamant Sodomorum peccata: & parricidium, & libido digna sunt ultione. Tu olìm ultionum Deus, modò misereris, & parcis his, qui offenderunt: sanas contritos corde, & alligas vulneratos. Filio prodigo revertenti non improperas luxum: Mulieri adulteræ non opponis postribulum: Peccatricis publicæ non recusas servitium: debenti pecuniam dimittis

Orat. de Pass. Chr.

Magna Dei in peccatores benignitas.

* *Epitheta.*

Aqua, & Sanguis è Latere Christi Ecclesiam fœcundant.


mittis depositum. Judæis perfidis, & dedisti gratiam, & dimisisti * scelus scelerum, & * peccatorum peccatum. De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens: & de eadem, consubstantialique origine, divisis limitibus, aqua, & sanguis manavit ad complementum totius justitiæ, Sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius ubertas perenni lapsu universam Ecclesiam irrigat, & fœcundat.]

Prosopopejæ efficacia in Perorationibus.

12 Plurimùm confert affectibus, quibus Peroratio constat, alium inducere loquentem, ut si Divitem è flamma evocatum fingamus, & disserentem audiamus de suppliciis æternalibus, quæ Oratio complexa est. Imò cùm Insensibilibus sensum, ac loquelam tribuimus, ab iisque repeti, quæ dicta sunt facimus, efficacior ad movendum redditur Peroratio. Quod testatur de Epilogo loquens *Quintilianus*. [His præcipuè locis utiles sunt Prosopopejæ, idest fictæ alienarum Personarum orationes . . . . . Mutæ tamen res movent, aut cùm ipsis loquimur, aut cùm ipsas loqui fingimus.] *Lib. 6. cap. 1.*

CAPUT IV.

De Narratione.



Cùm Narratio definitur: *Expositio rei gestæ*, si in rigore accipiatur, tantummodò importat explicationem Causæ, sivè rei, de qua instituitur sermo, majorem addendo assumptæ Propositioni dilucidationem. De ea agens, postquàm de Exordio tractaverat *Quintilianus*, ait. [Maximè naturale est, & fieri frequentissimè solet, ac debet, ut præparato per hæc, quæ supra dicta sunt, Judice, res, de qua pronunciaturus est, indicetur. Ea est Narratio, in qua sciens transcurram subtiles nimiùm divisiones quorumdam plura ejus genera facientium.] At non tàm angusti ambitûs secunda hæc Orationis portio censenda est, quin ad alia etiam extendatur. Quod fatetur ex certa sententia idem Author subdens. [Ego autem magnos alioquì sequutus Authores, duas esse in judiciis Narrationum species existimo: alteram ipsius Causæ: alteram rerum ad Causam pertinentium, Expositionem.] Et de Causæ quidem explicatione in Exordio, vel Introductione sufficiens habetur notitia, maximè opportuna ejus divisione in partes, seù puncta. De al-

Lib. 4. cap. 2.

Narrationis duplex acceptio.

Ibid.

altera igitur Narrationis ſpecie plura complectentis, quæ ad faciliorem captum prolixiore indigent explanatione, hìc plenè agere pro viribus ſatagemus.

SECTIO I.

Narrationis Dotes expenduntur.

1 Quadruplici dote Narratio ditatur, nempè Brevitate, Perſpicuitate, Jucunditate, Probabilitate. Inter has primam diſcimus à *Quintiliano*. [Brevis erit Narratio antè omnia, ſi indè cœperimus rem exponere, undè ad Judicem pertinet. Deindè ſi nihil extra cauſam dixerimus: tùm etiam ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis, nec cognitioni quidquàm, nec utilitati detrahatur.] Scopus enim Narrationis eſt, ut doceat, indèque moveat; proindè, quæ delectant dumtaxàt, & ad doctrinam, aut commotionem non conferunt, reſecentur. Eſt equidèm hoc Artis præceptum. Cæterùm habemus firmiorem Prophæticum ſermonem, novimuſque Spiritum Sanctum Sacræ Scripturæ Authorem, brevitatis in Narratione ſervandæ, per remotionem utilitati non conferentium, opportunum exemplum præbuiſſe in Sacra Coſmologia, ſeù rerum conditarum Geneſi, Moyſe ſcribente, & Deo verba dictante.

Lib. 4. cap. 2.

Narrationis ſcopus, ut doceat.

2 Nam ut gravitèr ponderat *Ambroſius*. [Certè Moyſes eruditus erat in omni ſapientia Ægyptiorum: ſed quia Spiritum Dei accepit, quaſi Miniſter Dei, inanem illam uſurpatoriam Philoſophiæ doctrinam, Veritatis rationi poſthabuit: & ea deſcripſit mihi, quæ noſtræ ſpei accommoda judicavit. Quod terram fecerit Deus, quod produxit terra, juxtà Dei Omnipotentis imperium, operationemque Domini Jeſu, virgulta, & omnem animam viventem ſecundùm genus. An ille putavit dicendum, quantum de ſpatio aëris occupat umbra terræ, cùm Sol recedit à nobis, diemque adducit, inferiora axis illuminans, &c.]

Lib. 6. Hexam. cap. 2.

Moyſes in Mundi conditione narranda, plura prudentèr prætermiſit.

3 Brevitatis regulam ſervans *S. Zeno*. [Adversùs Theclam accuſator acerrimus linguæ exerit gladium: cum ſuis ſibi miniſtris publicæ Leges inſaniunt: ſtimulis acuitur * feritas in ferocitatem, & tamen hominibus mitior invenitur. Nè quod ſcænæ tàm diræ Humanitatis deeſſe videatur, im-

Serm. de Tim.

* *Abſtractum pro Concreto.*

Manſuetæ in Theclam feræ.

immittuntur etiam marina monſtra: laciniis omnibus ſpoliatur puella, veſtitur incendio. Inter tot inſtrumenta mortis, ſpectatore metuente, ſecura calcat genera univerſa pœnarum: incolumis, quaſi Orbe ſubacto, de illo feralis caveæ, jam non miſerabilis, ſed mirabilis, funereo ambitu, excedit, victi Sæculi triumphum reportans, quam tot ſuppliciis omnes crediderant morituram.]

Echeneidis piſcis vis in ratibus detinendis.

4 Loquens autem de Echeneide, piſciculo ſpinoſo, & cruſtulato, vulgò *Remora*, ejus vim in navibus detinendis *Caſſiodorus* enarrat. [Stat pigra ratis, tumentibus alata velis, & curſum non habet, cui ventus arridet: ſinè anchoris figitur, ſinè rudentibus alligatur: & tàm parva animalia plùs reſiſtunt, quàm tot auxilia proſperitatis impellunt. Ita cùm ſubjecta unda præcipitat curſum, ſuprà maris tergum, navigium ſtare conſtat infixum: miroque modo natantia inconcuſsè retinentur, dum innumeris motibus unda rapitur.] Et Torpedinis proprietatem explicans, qua in manum jaculantis per haſtam tridentis, ſtuporis qualitatem immittit, idem *Caſſiodorus* addit. [Sed ut dicamus aliam piſcis naturam, fortè nautæ prædictarum navium, torpedinis tactu ſegniſſimè torpuerunt: à qua tantum inſigentium dexteræ prægravantur, ut per haſtam, qua fuerit vulnerata, ita manum percutientis inficiat, quatenùs vivæ ſubſtantiæ pars, ſinè ſenſu aliquo immobilis obſtupeſcat.] Elegantèr *Tertullianus* totam arboris fructificantis generationem paucis complectitur. [Granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur. Deinde rami, & frondes invaleſcunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine ſolvitur, & de flore fructus egeritur. Is quoquè rudis aliquandiù, & informis, paulatìm ætatem ſuam dirigens, * eruditur in manſuetudinem ſaporis.]

Lib. 1. variar. epiſt. 35.

Torpedine manus Piſcatoris obſtupeſcit.

Ibid.

Lib. de Virgin. veland. cap. 1.

Arbor enaſcēs, germinans, fructificans.

* *Energia.*

5 Illud advertere juvat, titulo Brevitatis non excludi notitiam aliquam præcedentium, ſequentiumvè, quæ multotiès ad rei narratæ perfectam intelligentiam utilia ſunt. Sed expoſci, nè à remotiori ſumatur initium, & ad alienum finem ducatur. Narrans enim Saulis lanceâ Davidem appetitum, & incipiens à Saulis inauguratione in Regem, vel uſquè ad ejus infamem exitum progrediens, contrà brevitatem peccabit: ſicut, & rem geſtam velùt verborum meandro, Synonimorum in idem recurrentium flexuosè circumagens; vel crebras parentheſes, longaſque digreſſiones adjiciens. Quod paucis completè expreſſit *Quintilianus*. [Nos

Brevitas Narrationis, in quo tranſgredi quis dicitur.

autem

Ibid. autem brevitatem in hoc ponimus, non ut minùs, sed nè plùs dicatur, quàm oporteat.]

6 In hoc non parùm Oratoris commendatur ingenium, ut ex narrationis spatio detrahat aliquid, vel ex tædio, & brevitas non defectui adscribatur. Hoc autem fieri potest dupliciter, primò quædam indicando, & ea differendo ad Sedem argumentorum; ut causas, effectus, circumstantias rei narrandæ, ut in parricidio Amnon ab Absalone patrato. Secundò, interjectis particulis indicantibus divisionem rei exponendæ. Ut: dicam, quæ egerit David se ad singulare certamen accingens: dicam, quæ in ipsa celebri congressione cum Gethæo patraverit: dicam, quæ ex Regis invidia sequuta sint mala. Tunc in qualibet parte datur ampliùs dicere, cum tres potiùs modicæ narrationes videantur, quàm una longa. In quibus, & ea addi possunt, quæ rem nedùm non nudam, sed ornatam; non modò non confusam, sed elegantèr ordinatam ostendant. Nam, ut subdit *Quintilianus*. [Simplex, & undiquè præcisa, non tàm Narratio vocari potest, quàm confusio.] *Narratio longior, quomodò artificiosè fieri possit.* *Ibid.*

7 Perspicuitas, sivè Claritas adeò in Narratione necessaria est, ut ejus carentia in totum corpus Orationis caliginem diffundat. Quid namquè reflexiones, moralitates, elegantiæ ad rem gestam alludentes juvant, ubi ipsum, quod narratur, non capitur? Optimum ideò factu, si re, ut jacet, notificata, ducta videlicèt verbis expressivis, propriis: aut etiam translatis, at non intellectu difficillibus, nec frequentibus, stylo candido, & simplici, licèt non invenusto, temporum ordine, gestorumque servato, adjiciuntur Oratoris reflexiones, affectus, & hujusmodi: quæ arbitraria additamenta si quando (ut infrà dicetur) Narrationi interferuntur, seriem non interrumpant, ut integrè res narrata memoriæ hæreat auditoris. Quapropter *Quintilianus*. [Erit autem aperta Narratio, atquè dilucida, si fuerit primùm exposita verbis propriis, & significantibus, & non sordidis quidèm, non tamen exquisitis, & ab usu remotis. Tùm distincta rebus, Personis, temporibus, locis, causis: ipsa etiam pronunciatione in hoc accommodata: ut Judex, quæ dicuntur quamfacillimè accipiat.] *Claritas Narrationi necessaria.* *Lib. 4. cap. 2.*

8 Dilucidè *S. Cyprianus* de quodam Episcopo per Angelum increpato, quòd pati simùl, & carne exonerari timeret, narrationem brevitèr texens, ait. [Denique, ut manifestiùs Divinæ Providentiæ indicia clarescerent, quod Dominus præscius futurorum suis consulat ad veram salutem: *Lib. de Mortal.*

Mors etiam à Sanctis formidata.

Cum quidam de Collegis, & Consacerdotibus nostris, jam infirmitate defessus, & de appropinquante morte solicitus, commeatum sibi precaretur; adstitit deprecanti, & jàm penè morienti Juvenis honore, & majestate venerabilis, staturâ celsus, & clarus aspectu, & quem assistentem sibi vìx posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri; nisi quod talem videre jam poterat de Sæculo recessurus. Atquè ille non sinè quadam animi, & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox, & monentis est, qui de persequutione solicitis, de accersitione securis non consentit ad præsens desiderium, sed consulit in futurum.]

Jucunditas Narrationis quid?

9 Narrationis Jucunditas non eadem est, ac festivitas: sæpè res mœstæ narrantur, & tamen etiam in his oportet inveniri jucunditatem: quæ proindè est qualitas, & proprietas narrationis, qua jucundè, seù cum delectatione auditur, licèt horrendum sit, quod describitur. Principalitèr resultat ex rei narratæ intelligentia: sed accedere debet artificium Oratoris, si quæ ad rem pertinent non uno ductu percurrat, sed Figuras suspensionem quamdam animi præferentes interponat, quales Exclamatio, Admiratio, Insultatio, Ironia, item Dialogismi, Ratiocinationes, Dubitationes: si quid aliàs inauditum, inopinatum, grande in ea re advertat: si nedùm gesta, sed Personarum internas affectiones in sese exprimat, metum, suspicionem, mœstitiam, desiderium, exultationem, & hujusmodi: si ex historiis, eruditionibus comparationes addat, sed breves: quæ omnia nimiam excitant in Auditore ex jucunditate attentionem.

Verosimilitas in Narratione.


10 Tandem Verosimilitas in Narratione àpparebit, dum quadam utemur simplicitate dicendi; injicit enim in Auditoris animum non levem falsitatis suspicionem fucus nimius, & ornatus, quasi rei gestæ, quod ex se non habet, pondus apponere astu illo studeamus. Insuper si Personis, locis, temporibus res ipsæ conveniant. Insupèr dum causas, & circumstantias expendimus, modum, conditionem, proprietates, dotes corporis, animique, Ingenii vires, affectûs probitatem, vel malitiam, aliasque id generis. Unde *Quintilianus*. [Credibilis autem erit Narratio ante omnia, si priùs consuluerimus animum nostrum, nè quid Naturæ dicamus adversum: deindè si causas, ac narrationes factis præposuerimus non omnibus, sed de quibus quæritur; si personas convenientes jis, quæ facta credi volumus, constituerimus: ut furti reum, cupidum: adulterii, libidinosum: homi- Lib. 4. cap. 2.

cidii,

cidii, temerarium: Vel contrà, si defendemus. Præterea loca, tempora, & similia.]

SECTIO II.

De Reflexionibus Narrationi addendis.

1  Umimus hìc Reflexiones pro Sententiis, sivè propositionibus gravibus in narratæ rei ponderatione occurrentibus, non semper tamen narrationem sequutis, sed illi aliquandò præmissis, aliquandò interpositis. Quod certè Narrationi decorem confert, Auditorem simul docet, oblectat, & movet, maximè mixtis affectibus, ut infrà. Unicum exemplum ex *S. Zenone* sufficeret, factum Susannæ hujusmodi ponderationibus præpositis, mediis, terminantibus, ampliante.

Serm. de Susan. 2 Sic enim ait. [Quotiescumquè in hoc perverso Sæculo contra laudabiles Viros multiformes tenduntur insidiæ, & diversis calumniarum generibus factiosæ emerserint causæ: quid homo pestilens excogitet, vel quid Diabolus machinetur, non metuat Justus, quia cum illo est Deus. Inde Susanna Illustris Hebræa verè decus Pudicitiæ, docuit fæminas suæ castitatis exemplo. Stabat Susanna in judicio perditorum, falsorum testium oppressa mendaciis: conscientiæ tamen bonæ contenta secretis: non tàm rea susceptura sententiam, quàm dicatâ Deo pro castitate, fortitèr moritura: & quam judicantium sententia prava dejecerat, illustris conscientiæ integritas erigebat. Sufficit ergò Pudicitiæ conscientia, testis Deus. &c.] *Susannæ pudicitia, & Conscientiæ securitas.*

To.10.Ser. 118. de tēp. 3 De eadem pudica Matrona elegantèr *Augustinus*. [Susanna mulier inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem in sermone tuitio est: Sed in Sancta Fœmina tacente lingua, pro ea Castitas loquitur. Castitas enim Susannæ adfuit in judicio, quæ Evæ defuit in Paradiso. Ibi enim (*in horto*) pudori ejus consuluit, hìc saluti: ibi nè macularetur pudicitia, hìc nè innocentia damnaretur. Castitas enim Susannæ, & Presbyteros impudicos convicit in Paradiso, & in judicio falsos accusatores obtinuit: bisque victrix, reos facit testimonii, quos reos fecerat adulterii. Atquè tandem Judicem meretur Castitas Danielem puerum juniorem, necdùm pubescentis ætatis, Multum igitur de *Bis victrix, libidinis, & calumniæ.*

Deo

Deo pudicitia consequitur, cùm judicem Virginem promeretur. Secura enim est de victoria Castitas, cui est judicatura Virginitas: pudicitiæ autem causas, nisi Vir pudicus audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur Castimonia, apud quem non periclitetur verecundia. &c.]

4 Super narrata Innocentum strage effuso calamo reflectens *Cyprianus* ait. [Acta est Nativitatis solemnitas sursùm jubilantibus Angelis: deorsùm ex ore infantium, & lactentium laus est perfecta, resonantibus usquè ad Cælos victoriæ tubis: & versus est parvulorum vagitus in gaudium, & luctus in jubilum: sequente, non Stellam, sed Agnum exercitu Innocentium, & bajulante gloriosissimi triumphi solemne vexillum. Nec potuit Mundus interficere nupèr agonem ingressum infantilem exercitum: & pedes, qui nondùm lutum calcaverant, urgens, citatusque transitus non est passus ullis sordibus inquinari. Sed in ipso vitæ initio tota illa innoxia Phalanx, sinè ullo integritatis detrimento, ad solidioris vitæ translata est gloriam. Et quæ expectari poterat annorum elapsu Rationis discretio, repentè nullis jam ætate illa temporibus subjecta, omnis consummationis reperit finem, & casuum accidentium mutabilitates evasit. &c.]

Ser. de Innocen.

Felix Innocentium pro Christo interemptorum sors.

5 Vivacitèr etiam *S. Leo Papa* narrans objectum feris Corpus S. Vincentii, & Corvi custodiâ servatum, prodigium ponderat. [Feris namquè, & canibus decepta furoris Superbia absumendum, projici mandat Lictoribus: * ut tali pastu eorum impleret ventrem, quorum ipsa gerebat mentem. Sed ut divinis excrescentibus beneficiis, majoris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur corvus, avis amica cadaveribus, expositas corporis dapes servatura jejuna. Hìnc Fratres dilectissimi, hìnc advertite distincta meritorum obsequia. Helias quondàm impias Achab, vel Jezabelis manus cautè declinans, in deserto, corvis ministrantibus, pascitur: assertor autem Veritatis Vincentius, Daciani rabie peremptus, feris exponitur consumendus, sed Corvo famulante servatur illæsus. Obtinuit ergò Helias Divino nutu, corvis præstantibus, quo aleretur: præstitum est Vincentio, obsequente quoque corvo, nè comederetur.]

Ser. de S. Vinc.

* *Argutia.*

Heliæ corvus in deserto ministrans: Vincentii Corpus servat.

6 Nec prætereatur *Ambrosius*, qui occasione accepta, quod in Christi Genealogia Thamar quoque intexuerit Evangelista, gestum cum Juda narrans, nobilibus reflexionibus honestat. Ait namquè. [Non otiosè utiquè hujus mulieris Evangelista nomen inseruit, de qua

Genes. 38.

Lib. 3 in Luc. cap. 3.

qua divisè interìm tractandum videtur. Primùm enìm, si veris intendas animum, non hæc Mulier tàm famosa, quàm justa. Non enìm temporalis usum libidinis requisivit, sed successionis gratiam concupivit. Erat enìm deforme liberos non habere, quod etiàm Legum Civilium fuit authoritate mulctatum. Promiserat eam Filio suo Judas: sed diù pactarum fœdera distulerat nuptiarum, per moram promissi defunctus est sponsus. Nondùm Virginitatis, nondùm Viduitatis antè Christi adventum vernabat gratia. Dolens se sinè filiis remansisse, dolum studio generationis commenta est, & Judam consilio prævertit, ut se eidem offerret ornatam, posteaquàm defunctam ejus cognovit uxorem. Vides ubiquè Mulieris vitam probari, quod non alienum præripuit thorum: non meretricio studio, quasi meretrix adornata est. Non enìm vagam captavit libidinem, sed diù Soceri fraudata promissis, ex ea Familia, quam delegerat, converso dolo, fructum voluit successionis adipisci. &c.] Thamar Judæ commixta excusatur.

7 In Patrum Codicibus adhùc modicè versato, hujusmodi reflexiones copiosè obviabunt: à plùribus ideò temperamus, vividam, brevemque tantummodò *Aratoris* Cardinalis Musam canentem fas sit audire, post narratum supplicium adolescentium ab Energumeno dicente: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem, qui estis? *Actor. 19.*

Lib. 2. in Acta Apost.

Quid Judæa ferox jàm non de clade timebis,
Quæ socio sic Hoste peris, cui criminis author,
Punitorque idem est? nè sit te judice pulsus,
Quæ simùl est peccante reus, &c.

SECTIO III.

Morales Reflexiones in Narratione.

1 
Lteriùs hìc progrediendum, & alia exempla proponenda, in quibus advertere licèt speciales Patrum ponderationes ad mores formandos ordinatas ex expositæ rei conditione, vèl circumstantiis deductas. *Basilius Magnus* de Cancro Ostream depascente.

Lib. 7. Hexam. [Ferunt namquè, Cancrum cercinum Ostreæ carnem concupiscere, cujus captio difficilis est illi proptèr operimenta testarum, quibus mollitudinem carnis ejus Natura consepsit Cancer Marinus, ut jusq; instinctus in Ostreæ depascenda

psit, undè etiàm Testicordia nominatur. Ergò, quia sunt concava, facilè ostreæ interiores partes complicata defendunt, & ob hoc irrita fit impugnantium aggressio. Quid molitur ergò adversarius? Quandò viderit, in apricis locis ostream se libentèr sub Sole pandentem, minutum tenens calculum ei latentèr apponit, cujus objectu nequeat tegimenta concludere: atquè ità, quod efficere virtute non valeat, astu poterit impetrare. Hæc igitùr est malitia illorum, quibus nèc Ratio, nèc vox ulla suppeditat. Sed ego te cupio lucrativa machinamenta cercini contemplatum abstinere à læsionibus proximorum: talis est enìm, qui subdolo animo pergit ad fraudem, &c.]

2 Gravitèr *Ambrosius* pium gestum Sem, & Japhet retrorsùm incedentium, ut denudatum Patrem operirent, moralitatibus illustrat. [Litera evidentem Pietatis expressit affectum, quod nudatum amictu Patrem boni Filii videre caverunt, nè paterna reverentia, vel ipso minueretur aspectu. Siquidèm etiàm tacitu vultu Pietas frequentèr offenditur. Undè etiàm Romæ vetus fuisse usus dicitur, nè filii cum parentibus, & maximè puberes, intrarent lavacrum. * Sensus autèm altior hoc habet: quia Insipiens, præsentia tantummodò videt, quæ in oculis sunt, futura non respicit, præterita non cogitat. Sapiens autèm, & præterita recordatur, & futura considerat. Omnis ergò mens sapiens retrorsùm ambulat, hoc est præterita spectat, nec naturæ quodam usu impeditur, nihil vacuum, nihil nudum suorum patitur esse gestorum. Operit, quæ alitèr gesta sunt, amictu quodam, & gratiâ vel præsentis operis, vel futuri, ut nihìl indecorum prætereat, nihìl inornatum relinquat.]

Lib. de Noë & Arca, cap. 31.

Filii Noë denudatum Patrem operiunt.

* *Sensus Tropologicus.*

3 Acritèr verò *Salvianus*, narrato, quod sibi supplicanti nè pauperis bona subriperet, dives quidam responderit, se ad id compulsum Sacramento, quo juraverat ablaturum, subdit. [Tùm ego quid amplius facerem cum res tàm justa obtendebatur, & Sancta? Auditâ * religiosissimi sceleris ratione discessi. Hinc nùnc interrogo omnes, qui sanæ mentis sunt: quis unquàm crederet, usquè in hanc contumeliam Dei progressuram esse humanæ cupiditatis audaciam, ut idipsum, in quo Christo injuriam faciunt, dicant, se ob Christi Nomen esse facturos? * O inæxtimabile facinus, & prodigiosum? Quid non ausæ sint improbæ mentes? Armant se ad latrocinandum per Christi Nomen: * authorem quodammodò sui sceleris Deum faciunt: & cum interdictor, ac vindex malorum omnium Christus sit, dicunt se

Dives juramento rem pauperis aufert.

Lib. 4. de Guber.

* *Antithesis in verbo.*

* *Exclamatio.*

* *Exaggeratio.*

sce-

ſcelus, quod agunt, agere pro Chriſto.]

4 In metricis narrationibus plurimùm Patres tropologiis fuere uſi, inter quos *S.Paulinus* narrato, quod aranearum telæ ſubitò elaboratæ objectu S. Felix Nolanus perſequutores Satellites eluſerit, poſt Exclamationem ſubjicit moralitatem.

Carm 5. de S. Fel.

Vana ſalus hominum, virtus mea non mihi virtus
Si caream Virtute Dei: quo vaſta Gigantum
Robora? Quo Pharii Reges? Ubi magna Jerichus?
Omnibus exitio ſua gloria, qua tumuerunt,
Caſſa fuit: nequè verò ſuis virtutibus iſta,
Sed magìs infirmis Divina Potentia fregit.
Ille Gigas, pueri fundâ Paſtoris obivit
Ut canis: illam Urbem ſonitus ſolvêre tubarum
Littoreâ jacuit Rex ille ſuperbus arenâ,
Divitias Regni pendens in funere nudo.
Sic ubi Chriſtus adeſt nobis, * & aranea muro eſt:
At cui Chriſtus abeſt, & murus aranea fiet.

Magna infirmis inſtrumentis Divina Potentia frangit.

* *Reverberatio Figura.*

Et narrans *Arator* ſæviſſimam tempeſtatem, qua Paulus Italiam petens vìx non eſt naufragio abſorptus, cecinit.

Lib. 2. in Acta.

Cumque dies multos jam ritè peregerit Orbis,
In pelago nox una fuit: quo tempore nullis
Indulſere cibis. * Quanta eſt heu pœna timoris,
Supplicium neſcire famis! Dat ſemina cauſis
Res mala ſæpè bonis, &c.

Timor famem non ſentit.

* *Ecphoneſis Figura.*

5 Indicant extrema nunc poſita verba per gravem Sententiam aptè Narrationem finiri: infigitur enim illa menti, & totius rei geſtæ memoriam fovet, præſertìm ſi brevis, vel ex inopinato prolata, & Paradoxo vicina. *S.Zeno.* [In caminum miſſi, ut * ſubmerſi ſunt flammis, ſtatìm inviſibili rore incendia temperantur: * mors refugiens mutat officium, incenſores cremantur, incenſis hymnum canentibus flamma * blanditur: Deus a creatura benedicitur univerſa. In tribus una mens, una virtus, unus triumphus exultat. *Melioratur vita ſupplicio. Rex non inviderat pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.*] Abrahæ, & Iſaac promptitudine narrata, alterius in inferenda, alterius in ſubeunda morte, utriuſque Dei juſſis obtemperantis, adjungit idem. [Medius * ſtupet gladius nullo impedimento ſuſpenſus, mactationi terribili

Ser. 8. de Daniele.

Ignis à tribus pueris abſtinet.

* *Metaphora.*

* *Energia.*

Ser. de Patien.

* *Energia.*

Abrahæ, & Iſaac in Sacrificio Virtus.

ribili gloriam se præstitisse, non crimen. Quid est hoc? Ecce immanitas in Fidem, & scelus transit in Sacramentum. Parricida incruentus redit; & qui immolatus est, vivit. * Ambo sibi gloria, ambo Charitatis exemplum: ambo Dei cultûs admirabile Sæculis testimonium. *Felix Orbis fuerat, Fratres, si omnes sic fierent parricidæ.*]

* Repetitio. Figura.

6 Plurium rerum adversarum, secundarumque *Nazianzenus* sic claudit narrationem.

Carm. 3. Præcepta ad Virgin.

Una omnibus pulvis.

Ista quidem in terris, post verò Chasma profundum;
Atquè voluptates vindex rogus excipit omnes.
Sis saturo tu ventre, meos dolor occupet artus:
Omnia postpaulò memori de mente recedent.
Unus omnes erimus, tumulato corpore, pulvis:
Unus, & æqualis locus est, sedesque parata
Regibus, & Servis, terram properamus ad unam.

SECTIO IV.

De rebus notis, angustis, magnis, Narrationum exempla.

1 NOn grave ferat Lector hìc nos addere variarum exempla narrationum, quibus usi sunt Patres, ut perfectam in illis methodum servandam calleat. Et primò quidèm, cùm rem jam notam propositi ratio exigit memorare, Artis vis elucebit si ejus expositio, & fiat cognita, & non sit onerosa. Juxtà igitur, quod res sit magis scita, minùsvè, est producenda, vel brevianda narratio. Aliquandò enim nota omnibus censetur, ut quædam gesta in Sacris exarata Scripturis, utplurimùm cunctis, aut multis manifesta; & tunc factum satis est indicare. Imò proptèr hoc etiam nomina Personarum, cujus historiæ brevitèr narrantur, si nota, Artis est reticere. Hinc *Hieronymus.* [Qui Scorpionibus cædit, (*Roboam*) & lumbis Patris habere se putat digitos crassiores, citò Regnum mansueti David dissipat. Certè Romanus Populus nè in Rege quidem (*Tarquinio Superbo*) superbiam tulit. Dux ille Israëlitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cujus imperium Cœlum, & Terra, & Mare serviebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generavit,

Epist. ad Theophil.

Moyses mansuetus Principatum tenuit.

ravit, mansuetissimus prædicatur: & ideò per quadraginta annos obtinuit Principatum: quia Potestatis superbiam, lenitate, & mansuetudine temperabat.]

2 Rem aliàs notam narrare adhùc fusiùs conceditur Oratori, si exponendæ sint ejus causæ, vel circumstantiæ: aut ex ejus expositione renovanda speratur in Auditore commotio, sivè alia utilitas præsumitur eventura. Modum autem sic narrandi, quod non ignoramus esse compertum, colligimus ex *Quintiliano* dicente. [Nè hoc quidèm simplicitèr accipiendum, quod est à me positum: supervacuam esse narrationem rei, quam Judex noverit. Quod sic intelligi volo, si non modò factum quid sit sciet, sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim Narratio in hoc reperta est, ut tantùm cognoscat Judex, sed aliquandò magìs, ut consentiat, &c.]

Lib. 4. cap. 2.

Rei notæ narratio fusior aliquandò opportuna.

3 Nequè dumtaxàt tædio levando, sed oblectationi excitandæ consulitur, dum nota res indicata Figuris, & elegantiis describitur potiùs quàm narratur, ut quod brevitas adimit, jucunditati accrescat. Ideoquè *S. Zeno* de notissima Lazari sepultura sic eloquitur. [Sepultus est, & humatus: * hoc est, ut inciperet esse, quod fuerat, lutum scilicèt; dùm desinit esse quod erat, forma, vel fabula. Hic quippè per graves tenebrarum globos, & * *nigri* horroris umbracula, hoc est per quatuor dierum circulos, succidua incrementi, & decrementi vicissitudine, renascentes octo, ut ita dixerim, cum cærulis noctibus dies, pendulo mandibularum rictu, elisis in ore dentibus vestito ore sic jacuit. Verè quia de terrena labe confectus, putris * gleba marcesceret, & nervorum traduces jam corporis qualitate, miserabili tabo infelix sepultura damnaret. Contractis igitur membris inter * jejunas, * & numerabiles costas pellis tetra distenditur: & humoris rivus, qui de gurgite viscerum relaxatur, fœtenti jam sentina per solum, cadaveris teter, & ceruleus labebatur.]

Ser. de Lazaro.

* *Periodus concisa.*

* *Metaphora.* Lazari sepulti proxima corruptio.

* *Materia pro Composito.* *Synecbdocbe.*

* *Metonymia Passio pro obiecto.*

* *Circumloquutio verbi*

4 Angustam rem non tantùm hìc intelligimus modicam, parvique extimandam, sed magìs in se grandem, sed non cuilibet ad explicandum perviam. Laborat in ejus narratione dubio procùl Orator, sed nimiùm illi confert novitatis, ac decoris, si id felicitèr assequatur. Hæc namquè: Virgo sub cruce internum dolorem exteriori luctu non publicabat; angusta res videtur: sed audi *Arnoldum Carnutensem* ejus magnitudinem elegantissimè exponentem. [Suspirat intrinsecus, & erumpentes revocat lachrymas: & eò am-

Rei angustæ Narratio.

Tract. 3. de Sept. Verb. Dom.

B. Virginis juxtà Crucem dolor interior.

ampliùs anxietas intumescit, quò prohibetur egredi, & per luctus, lamentaque dissolvi. Emergebant quidèm aliquandò gemitus, sed increpati reprimebantur: revertebanturque in sinum mentis, de quo prodibant, & collidebant se ad invicèm introrsùs: eratque in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis: & quasi in sartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat exacerbatio perseverans. Imperabat quippè dolori * silentium formido, & ringentium Judæorum torvi in eam oculi, illos turbines suffocabant. Verùm illa tantarum procellarum salsuginem ebibebat: &, quod difficillimum erat, moriebatur, & mori non poterat, & clauso tanti doloris tormento intrinsecùs, alium vultum palàm exhibebat, &c.]

* *Onomatopeja.*

Rei Magnæ Narratio.

5 Ingenio utiquè indulgendum cùm hujusmodi res narranda occurrit, similitudines, eruditiones, historiæ, excogitationes in subsidium advocandæ: labori verò parcendum cùm factum ex se magnum, aut dirum est, se enim ipsum sufficientèr prodit verbis conformibus, ejusque intelligentiæ gravitati accommodatis. Interserendæ phrases, tropi, Figuræ ad Grande dicendi Genus spectantes: ut si liceat, etiam facinus immanius videatur, sic enim mentem totam occupat Auditoris, & vel sola illius narratione convenientèr elatâ, evidens excitatur commotio animorum. Exemplum desumitur ex *Nazianzeno*, martyrium prosequente Catholici Sacerdotis, qui tempore Valentis Imperatoris Arriani, proptèr Fidei testimonium, navis (cui impositus est) incendio absumptus, transiens per ignem, & aquam, eductus est in refrigerium.

Præsbyter navi impositus, & incensus pro Fide Catholica.

Orat. de Herone Philos.

6 Ait itaquè S. Præsul. [Navis Præsbyterum unum portans, eumque non sceleris ullius, sed Fidei causâ periclitantem, in mare demittitur, non ut vectorem servet, sed ut perdat. Atquè is quidem, qui vehebatur, utpotè vir pietate præstans, animo erat prompto, & alacri. Comes autem illi ignis adjungitur, ac novitate pœnæ majorem in modum lætatur Persequutor. Proh spectaculum grave! Proh gravem tragœdiam! Navis mari fertur: spectantium multitudo ad littus effunditur, partìm lætantium, partìm lugentium. Quonàm pacto rem tantam paucis exprimam, atquè in aspectu collocabo? Ignis accenditur, navis unâ cum onere suo absumitur: ignis aquæ miscetur, resque inter se contrariæ ad pii Viri supplicium concurrunt: duoque elementa corpus unum partiuntur, & novo, atquè inaudito more fax super mare attollitur, ad quam, ut benignam,

gnam, & humanam fortaſsè quiſpiàm acceſſit, propior autem factus, miſerandum, atquè incredibile ſpectaculum reperit, navigationem ſinè gubernatore, naufragium ſinè tempeſtate. Sic Præsbyter cinis efficitur; * imò nè cinis quidem, utpotè in aquis ſparſus.]

Correctio Figura.

SECTIO V.

De rebus naturalibus; deque Regionibus Narrationum exempla.

1 D rerum naturalium, artificialium, ac Regionum narrationes ex Patribus excerpendas, calamum extendere non erit injucundum. Et Aquilæ quidem renovationem ad Sacri Baptiſmatis regenerationem applicatam narrat *S.Maximus.* [Ut autem intelligas, quia de gratia Baptiſmatis Prophæta loquitur, innovationem ipſam Aquilæ comparavit. Quæ avis, aſſidua commutatione habitus ſui, longam ducere fertur ætatem, & vetuſtis jam fatiſcentibus plumis, nova pennarum ſucceſſione juveneſcere: itaùt depoſitis antiquitatis exuviis, rediviva indumentorum nativitate ſe veſtiat. Unde intelligimus, quod ſenectutem Aquilæ non ſentiunt membra, ſed plumæ. De novo ergò ſe veſtit; & pullulantibus pennis, vetuſta mater iterùm renovatur in pullum. Pullis enim tunc comparanda eſt, quando radiantibus plumis, neceſsè eſt illi rurſùm * meditari rudem volatum: & alarum olìm exercitata remigia, tanquàm volucris intrà nidum pigra, compeſcere, quamvìs illi ſit volandi notitia de conſuetudine, deeſt tamen illi de pennarum raritate fiducia.]

Rerum Naturalium Narrationes.

Hom.3.in Paſch.

Aquilæ renovatio.

** Metaphora de Specie ad Genus.*

2 Duo Eccleſiæ Luminaria Baſilius, & Ambroſius, alter Atticæ, alter Latinæ Eloquentiæ jubar, æquè ponderosè, & elegantèr Dei Opera in *Libris Hexameron* deſcribentes, mirabilia Opificis præ oculis ponunt. Audiatur de Hirundinis natura *Ambroſius.* [Hirundo minuſcula corpore, ſed egregiè pio ſublimis affectu, quæ indiga rerum omnium, pretioſiores auro nidos ſtruit, quia ſapientèr nidificat: nidus enim Sapientiæ pretioſior eſt auro. Quid enim ſapientius, quàm ut, & volandi vaga libertate potiatur, & hominum domiciliis parvulos ſuos, & tecto commendet, ubi ſobolem nullus incurſet? Nam, & illud eſt pulchrum, ut, à primo

Lib.5. Hex. cap. 17.

Hirundinis nidificantis inſtinctus

ortu

ortu pullos ſuos humanæ uſu converſationis aſſueſcat, & præſtet ab inimicarum avium inſidiis tutiores. Tùm illud præclarum, qua gratia domos ſibi ſinè ullo adiutore, tanquàm artis perita componat. Legit enim feſtucas ore, eaſque luto illinit, ut conglutinare poſſit. Sed quia lutum pedibus non poteſt deferre, ſummitatem pennarum aquâ infundit, ut facilè his pulvis adhæreat, & fiat limus, quo paulatìm feſtucas, vel minutos ſurculos ſibi colligat, atque adhærere faciat. Eo genere, nidi totius fabricam ſtruit, ut quaſi pavimenti ſolo pulli ejus intrà ædes ſuas ſine offenſione verſentur: nec pedem aliquis interferat per rimulas texturarum, aut teneris frigus irrepat.]

Apum mel è floribus libantium narratio.

3 Non nos, ſaltìm ſemel prætereat *S. Adhelmus* Occidentalium Saxonum Epiſcopus, Magnì Gregorii Magnus diſcipulus, Apum mirabile miniſterium narrans. [Roſcido faceſſente crepuſculo, exorto limpidiſſimi Solis jubare, denſos extemplò tripudiantium turmarum exercitus per patentes campos gregatìm diffundit. Modò melligeris caltarum frondibus, ſeù purpureis malvarum floribus incubantes, multa nectaris ſtillicidia guttatìm roſtro decerpunt: & velùt lento carinæ de fruto, quod regalibus ferculis conficitur, avida viſcerum receptacula certatìm implere contendunt. Modò flaveſcentes ſaliculas, & croceata geneſtarum cacumina circumvolantes, fertilem prædam numeroſis cruribus, & coxarum oneribus advehunt, quibus cerea caſtra conficiunt. Modò teretes hederarum corymbos, & leviſſimos florentis tiliæ ſurculos conſtipantes, multiformem favorum machinam, anguloſis, & opertis cellulis conſtruunt. &c.]

Lib. de Laud. Virginit. cap. 4.

Apum mellificantium alia Narratio.

4 Sed de apibus eloquentèr *Ambroſius*. [Opus ipſum ſuave de floribus, de herbis dulcibus fundamina caſtrorum prima ponuntur. Quid enim aliud eſt favus, niſi quædam caſtrorum ſpecies? Deniquè ab his præſepibus apum ſucus arcetur. Quæ caſtra quadrata tantum poſſunt habere artis, & gratiæ, quantum habent crates favorum, in quibus minutæ, ac rotundæ cellulæ connexione ſui invicèm fulciuntur? Quis enim Architectus eas docuit hexagonia illa cellarum indiſcreta laterum æqualitate componere; ac tenues inter domorum ſepta ceras ſuſpendere, ſtipare mella, & intexta floribus horrea nectare quodam diſtendere? Cernas omnes certare de munere: alias invigilare quærendo victualia: alias ſollicitam caſtris adhibere cuſtodiam: alias futuros explorare imbres, & ſpeculari curſus nubium: alias de flo-

Lib. 5. Hexaem. cap. 21

floribus ceras fingere: alias rorem infuſum floribus ore colligere, &c.]

5 Non ſemel occaſione arrepta Sacri Oratores Corologiam, ſeù Regionum deſcriptiones habent. Id præſtitit *Tertullianus* narrationem inferens Ponti trans mare Euxinum Marcionis Patriæ. [Pontus igitur, qui Euxinus, Naturâ negatur, nomine illuditur. Cæterùm hoſpitalem Pontum, nec de ſitu æxtimes, ita ab humanioribus fretis noſtris, quaſi * quodam barbariæ ſuæ pudore ſeceſſit. Gentes ferociſſimæ inhabitant, ſi tamen habitatur in plauſtro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiſcua, & plurimùm nuda, etiam cùm abſcondunt, ſuſpenſis de jugo pharetris indicibus, nè temerè qui intercedat: ita nec armis ſuis erubeſcunt. Parentum cadavera cum pecudibus cæſa convivio convorant. Qui non ita deceſſerint, ut eſcatiles fuerint, maledicta mors eſt. Hæc fœminæ ſexu mitigantur ſecundùm pudorem, ubera excludunt, penſum ſecuribus faciunt, malunt militare, quàm nubere. * Duritia de Cœlo quoque. Dies nunquam patens, Sol nunquàm liber, unus aër nebula, totus annus hibernum, omne quod flaverit Aquilo eſt. Liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruinâ exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent, &c.]

Lib. 1. cont. Marcion. cap. 1.

* *Energia.*

Ponti trans mare Barbari incolæ.

* *Laconiſmi.*


6 Variorum quoque fluminum origines, curſuſque narrans *Magnus Baſilius* ait. [Itaquè ab Orientis partibus hibernis progreditur Indus fluvius omnium violentior fluentorum, ſicut ſpeculati ſunt ji, qui ſitum Orbis deſcripſere terrarum. De meridianis autem locis Battrus effluit, & Cohaſpis, & Araxes, ex quo Tanais abrutus in Meoticam tranſit Paludem, Phaſis autem de Caucaſis exit montibus, & innumerabiles alii de Regionibus Arcadis ad Euxinum feruntur Pontum. Ab Occidentibus verò climatibus æſtivis, ſub Pyreneo vertice Tarteſus, atque Iſter: quorum unus in exteriora maria decurrit: alter veniens per Europam, dirigitur in Pontum. Eos autem quid neceſsè eſt enumerare, qui de Riphæis Scithiæ interioris montibus oriuntur? Quorum eſt Rhodanus, qui cum plurimis aliis navigabilibus fluviis Galatas, & Heſperios, Celtarumque Gentem, multaſque finitimas præteriens Nationes, pelago miſcentur Occiduo. Nam eorum, qui ex Superiore meridie per Æthiopiam deſcendunt, ideſt Tages, & Niſus, & Cremeas, & Nilus, alii in noſtrum mare influunt, alii in Citeriorem devolvuntur Oceanum: licèt Nilus non ſit fluminibus comparandus, quippè qui more pelagi, tempore diffuſus æſtivo, terram ſtagnare conſuevit Ægyptiam.] SE-

Lib. 3. Hexam.

Fluminum varietas, & origo.

SECTIO VI.

De rerum descriptionibus.

1 
Ot exhibitis Narrationum exemplis, quorum nonnulla res describunt potiùs quàm narrent, non superfluum censeatur de Descriptionibus specialitèr pertractare, ut earum formam in Concione imitandam faciliùs Tyrones ediscant. Describitur autem res, cùm non summatìm, aut tenuitèr exponitur, sed omnibus fucata coloribus velût aspectui præsentatur: ut velutì in Theatrum vocato Auditore, res narrata non tàm fiat obiectum aurium, quàm oculorum. Hoc præstat Figura illa, quam vocamus *Exemplar*, Græci verò ab effingenda rerum imagine dicunt Ὑποτύπωσιν *Hypotyposin*, de qua in Schematum tractatu agemus. Subjicit enim oculis pænè coloribus expressam rem narratam. Et ut inquit *Quintilianus*. [Multùm confert adiecta veris credibilis rerum Imago, quæ velût in rem præsentem perducere audientes videtur.] Procedit autem per expensionem circumstantiarum, & verosimilium: ad majorem quoquè expressionem illis vocibus uti solet: *Videas, Cerne, En, Ecce tibi*, & hujusmodi vim repræsentandi, seù præsentiam indicandi habentibus.

Descriptio rei quæ?

Lib. 4. c. 2.

2 Afferamus exempla ex Patribus, & primò ex *Cypriano* Circenses Ludos, & Theatralia describente. [Clangores tubæ bellicos alter imitatur raucos: alter lugubres sonos, spiritu tybiam inflante, moderatur: alter cum choris, & cum hominis canora voce contendens, spiritu, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tybiarum foramina modulans: nunc effuso, & nunc intùs recluso, ac represso, nunc certis foraminibus emisso, atquè in aërem profuso: item in articulos sonum frangens, * loqui digitis elaborat, ingratus Artifici, qui linguam dedit. Quid loquar Comicas, & inutiles curas? Quid illas magnas tragicæ vocis insanias? Quid nervos cum clamore missos? .... Quàm fœda prætereà ista luctamina? Vir infrà virum jacens, & amplexus inhonestis nexibus implicatur. In tali certamine stare, (videris quis vincat) pudor victus est. Ecce tibi alter nudus salit: alter orbem æneum contentis in aërem viribus jactat. Hæc gloria est dementiæ. Denique remove spe-

Opusc. de Spect.

Tybiarum sonus.

* *Metonymia Actus unius sensus pro actu alterius.*

Theatri vanitates obscænæ.

ſpectatorem, reddideris vanitatem.]

3 Virgines etiam nuptialia feſta frequentantes, vel publica lavacra adeuntes taxans idem *Cyprianus*, inquit. [Quaſdam non pudet nubentibus intereſſe: & inter illam laſcivientem libertatem ſermonum, colloquia * inceſta miſcere: audire quod non decet, quod non licet, dicere: obſervare, & eſſe præſentes inter verba turpia, & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur: ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quis illi in nuptiis locus eſt, cui animus ad nuptias non eſt? Aut voluntariæ illìc, & lætæ eſſe poſſunt, ubi & ſtudia, & vota diverſa ſunt? Quid illìc dicitur, quid videtur? Quantum à propoſito ſuo Virgo deficit, quando pudica quæ venerat, impudicior diſcedit? Corpore licèt Virgo, ac mente permaneat, oculis, auribus, linguâ * minuit illa, quæ habebat.]

Opuſc. de Hab. Virg.

* *Metonymia. Effectus pro Cauſa.*

Virgines Nuptialibus feſtis intereſſe non decet.

* *Circumlocutio Sententiæ.*

4 De Echino autem marino, tempeſtatis, & tranquillitatis præſago loquens *Ambroſius*, ait. [Echinus animal exiguum, vile, ac deſpicabile, maritimum loquor, plerùmque index futuræ tempeſtatis, aut tranquillitatis annuncius ſolet eſſe navigantibus. Deniq; cum procellam ventorum præſenſerit, calculum validum arripit, eumque velùt ſaburram vehit, & tanquàm anchoram trahit, nè excutiatur fluctibus. Itaquè non ſuis ſe librat viribus, ſed alieno ſtabilit, & regit pondere. Quo indicio naturæ velùt ſignum futuræ perturbationis capeſſunt, & ſibi præcavent, nè eos imparatos turbo improviſus inveniat. Qui Mathematicus, qui Aſtrologus, quive Chaldæus ſic poteſt ſiderum curſus, Cœli motus, & ſigna comprehendere? Quo ingenio iſta collegit? Quo Doctore percepit? Quis ei fuit tanti interpres augurii? Sæpè homines confuſionem aëris vident, & ſæpè falluntur, quòd plerumquè eam ſinè tempeſtate diſcutiant. Echinus non fallitur. Echinum nequaquàm ſigna prætereunt, &c.]

Lib. 5. Hexam. cap. 9.

Echini piſcis inſtinctus in evadenda tempeſtate, cujus præſagus eſt.

5 Piſcium quoquè inſtinctum ad loca ſtatis temporibus mutanda, dùm de uno ad alium tranſeunt maris ſinum pulchrè idem *S. Præſul* deſcribit. [Sunt tamèn aliqua genera piſcium, qui non ingenii facilitate loca mutent, ſed fovendi partûs neceſſitate, quæ opportuno, atquè legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis à diverſo ſinu maris innumeri velùt communi * conſilio convenientes, conjuncto agmine Aquilonis flatus petunt: & ad illud Septentrionalium mare partium, quadam Naturæ lege, contendunt. Dicas, ſi aſcendentes videas, rheuma quoddam eſſe, ita proruunt

Ibid. cap. 10.

* *Energia.*

Piſcium in locis mutandis inſtinctus.

ruunt,fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes. * Quis piscibus hæc annunciat loca, præcepta, tempora? Quis tribuit dispositionem viandi, comitandi ordinem, metas, & tempora revertendi? &c.]

** Interrogatio Admirantis.*

6 Nec prætereatur ejusdem descriptio formicæ, cibum pro hyeme per æstatem sibi parantis. [Illa enim nullam culturam possidet, neque eam, quæ se cogat habens, neque sub Domino agens, quemadmodum præparat escam, quæ de tuis * laboribus sibi messem recondit:& cum tu plerumque egeas, illa non indiget. Nulla sunt ei clausa horrea,nullæ impenetrabiles custodiæ,nulli inviolabiles acerui. * Spectat Custos,furtaque prohibere non audet. Aspicit sua damna possessor, nec vindicat. * Nigro convectatur agmine præda per campos: * fervent semitæ comitatu viantium: & quæ comprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta truduntur. Spectat hæc Dominus messis, & erubescit tam parca piæ industriæ negare compendia.]

Formicæ industria.

** Metonymia Causa pro effectu.*

** Hypotyposis.*

** Circumloquutio Sententiæ.*

** Metonymia. Locus pro re, quæ transit per eum.*

Lib. 6. Hexam. cap. 4.

7 Nihilo minus elegans in describendo audiatur de frumenti generatione *Basilius*. [Semen igitur cum ceciderit in solum, & mediocritèr humore fuerit,&.calore mollitum, mox gremio terræ connectitur, quædam subindè genitiva fomenta suscipiens, & in venas ejus sensim labendo demergitur, sparsisque minutissimis fibris, tumorem superjectæ telluris nascendo * perrumpit, fundatumque jam firmitèr facilè consurgit, tot numero sursùm calamos explicans, quot deorsùm radices extenderit. Atque ita teneritudo germinis tepefacta, subjecto vapore, qui tractu caloris illapsus est per radices, & terræ nutrimentis adhibetur, * partem sui diffundit in culmum, partem ducit in corticem, partem ministrat in grana, partem porrigit in aristas,&c.]

Frumenti generati, nascentis, crescentis, spicam implentis descriptio.

** Energia.*

** Repetitio Figura.*

Lib. 5. Hexam.

8 Rursùs eruditè *Basilius*. [Quid de promuscide Elephanti dicamus? Qui cum omnium sit maximus belluarum, visentibusque terribilis, par fuit, ut membris immanibus formaretur. Quorum magnitudini si cervix fuisset æquiparans, immobilis haberetur pondere ipso deorsùm curvatus. Nunc autem parvis ossibus cervix, & caput innexum spinæ cohæret, habetque promuscidem,ministerium sibi colli longioris explentem, quæ pastum percipit, & aquam trahit. Pedesque ejus nullis geniculorum conjunguntur articulis,ut tanquàm columnæ quædam gravitatem superjecti ponderis substentarent.Si enim gracilia,nutantiaque ejus fuissent crura, sinè dubio ejectiones juncturarum pa-

Lib. 9. Hexam.

Elephanti descriptio.

paretur assiduas, utpotè non sufficientium molem tantam sublevare, dùm surgeret. Itaquè vides quomodò velùt quædam corporeæ turres, belli tempore locantur ante aciem: vel * montes animati opponuntur, hostium munimenta rupturi.] * *Hyperbole.*

9 Exercitus, classesque pugnantes delineat describendo *Chrysostomus*. [Recenseat porrò, & belli calamitates, missilium, jaculorum, nivis instàr ingruentium, impetum . . . . sanguinis torrentes, cadentium gemitus, stantium clamores, jacentium acervos, rotas sanguine tinctas, equos præ cadaverum multitudine unâ cum suis sessoribus in caput præcipites, terram universam mixtìm hæc omnia continentem, sanguinem, arcus, sagittas, equorum ungulas, hominum capita simùl jacentia, & brachia, & collum, & tibiam, & pectus transfixum, cerebella ensibus trajecta, jaculi cuspidem effractum, cui hominis oculus, tanquàm infibulatus, hæreat. Recenseat item, & classis mala atque incommoda. Triremes alias in mediis aquis conflagrantes, alias cum cataphractis ipsis pessum euntes; fluctuum fragorem, nautarum tumultuationem, militum clamorem, spumam tùm undarum, tùm sanguinis mixtam, eamdemque in naves simùl omnes irrumpentem, cadavera alia super ipsa navium transtra jacere, alia submergi, alia adnatare, alia ad littora æstuantis maris impetu ejici, alia intrà ipsos fluctus sic obrui, ut navibus iter velutì obsæpiant, &c.]


Lib.6. de Sacerd.

11 Sed, & præsens navis discrimen Jonam vehentis, motu magno in mari facto, *S. Zeno* describens, ait. [Cum subitò compugnantium ventorum flatu violento * lacessitum * fremit mare, sollicitique gurgitis præruptorum * montium cavis voluminibus repugnantium littorum spumantia ora contundens, * minatur per momenta naufragium. Procellæ crebrescentes * insaniunt: horrendum sibilant funes: * gemunt, cadentibus velis, antennæ: retunsa undique, iter * non invenit prora. Trepidant nautæ, festinant incassùm, jacturâ vasorum, navem levare ponderibus, quæ Prophætæ pondere præmebatur, &c.]

Ser. de Iona

* *Energia.*
* *Hyperbole.*
* *Energia.*

Navis Jonam portans fluctibus jactata.



SECTIO VII.

De Personarum descriptionibus.



1 AD rerum descriptionem callendam adducta sufficere putamus exempla: opus nùnc est descriptionis Personæ alia subjicere, non enim minùs ad perfectam Narrationis, & Amplificationis, (de qua Cap. sequenti) notitiam conducunt. Personæ autem vel exterior corporis forma, vel interna animi conditio describitur: prior tamèn posteriori deseruit: Species namquè depingitur, ut interior effigies demonstretur. De utraque nùnc agemus, exemplaria ex Patribus afferendo: alia intimas qualitates, alia extimos motus ex animo provenientes, alia tandem simùl, & internos affectus, & externa gesta exponentia.

2 David, & Goliath singulare certamen ineuntes describit *Chrysostomus*. [Intereà ab Allophylis Saul provocatur ad bellum, disponitur acies, præparatur exercitus, pugna dirigitur. At contrà, hostes haud alitèr præparantur, ardescunt irâ, tolluntur insaniâ, furore fervescunt. Pendet in invicèm uterque exercitus, expectat signum, substinet jussum: & cum nondùm aut lituorum sonitus, aut tubarum clangor, aut strepitus armorum colliderent, prosiluit in medium de Allophylorum castris Vir corpore immani vastissimus, horrendus statu, mirabilis visu, cristato vertice galeatus, coruscus armis, fulgens gladio, umbone tectus, loricâ vestitus, nomine Goliath .... His dictis, Saul Rex, Populusque terretur, formidant cuncti, trepidant omnes, universos invadit metus, formido occupat, possidet tremor. Non in forti virtus, non in audaci animus, non salus in bellatore consistit. Fuit enim Goliath metuendus visu, metuendus armis, metuendus & verbis. Et trementibus cunctis, solus David consistit intrepidus. Non eum immanitas hostis exterruit: non armorum enormitas fregit, aut superbia verborum imminuit, sed fortiorem cunctis Virtus Divina constituit, &c.]

Tom. 2. Hom. de David.

Contrà Goliath pugnaturus procedit David.

3 Ebrii quoquè imaginem idem *Chrysostomus* repræsentans, ait.[Vides itaquè hominem deliciis incumbentem, non solùm vivendo obisse mortem, sed esse mortuis longè in-

Ebrii interior, & exterior dispositio.

Tom. 5. Serm. cont. Gulam.

inferiorem, pernicioſioremque dæmone agitato, & furiis. Quippè miſericordiâ hic judicatur haùd indignus, ille odio; veniam hic, pœnas ille pro ejus tùm vitiis, tùm morbo meretur. Quod ſi adeò quiſpiàm exteriore hac facie, fluente ex ore pingui, & marcente ſaliva, & urgente * Baccho gravis conſpurcatur, cogita quàm malè cum anima illa calamitoſa agatur, quæ hoc in corpore, tanquàm in ſepulchro aliquo recondita eſt, & contumulata. Cujuſmodi in homine temulentia nec ſecùs videri debet, quàm ſi barbarus quiſpiàm deformis, & impurus, vi ſumma, & poteſtate impetum faciat in adoleſcentulam decoram aliquam, venuſtam, & continentem. Quod ſi orta jam luce, ex ea ſe jaculari ebrietate attollens, ſobrius fortaſsè appareat, nebula adhùc quædam ex vinolentiæ procella ſibi præ oculis obverſante, nondùm ſatis liberâ temperantiâ fruitur, &c.]

* *Metonymia*

4 Abſolutior Perſonæ ex interna animi conditione, & externæ actionis expreſſione Deſcriptio procedit; qualis traditur ab *Auguſtino*. [Clariorem nobis Martyrem (*Vincentium*) tot tormenta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confoſſus, non deſerebat pugnam, ſed acriùs iterabat. Putares, quod eum duraret flamma non ureret, & tanquàm Figuli fornax lutum molle ſuſcipiens, duram redderet teſtam. Poterat Martyr noſter dicere Daciano: jam non urit ignis tuus carnem meam, quia exaruit tanquàm teſta virtus mea; & quomodò ſcriptum eſt veracitèr: Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis: probatus eſt, atquè decoctus illo igne Vincentius, Dacianus verò arſit, & crepuit. Si enim non ardebat, undè cremabat? Quid enim erant verba iraſcentis, niſi * fumus ardentis, &c.]

To. 10. Ser. 1. de S. Vinc.

S. Vincentii illuſtris conſtantia.

* *Metaphora.*

5 Venuſtiſſimè *Nazianzenus* Septem Machabæorum Matrem per internos affectus, externaſque actiones depingit. [At verò egregia Mater, & verè illorum tali virtute præditorum parens; illa, inquàm, præclara, & magnanima Legis alumna, intereà quidèm gaudio ſimùl, ac timore afficiebatur, atq; in duorum affectuum meditullio poſita erat. Nam, ut Filiorum fortitudine, certaminumque ſpectaculo mirificè delectabatur: ſic rurſùs cum incertum pugnæ eventum, incredibilemque tormentorum magnitudinem ſecùm reputaret, timore commovebatur. Ac proindè illos non ſecùs atquè avicula, pullos ſuos arripiente angue, aut aliaquapiam inſidiatrice beſtia, * circumvolabat, ſtridebat, obſecrabat, certantes adjuvabat: nihil deniquè non dicebat, ac

Orat. de Machab.

Matris Septem Machabæorum mira fortitudo.

* *Congeries in Verbis, & Sententiis.*

ac faciebat, quo illos ad victoriam paratiores, instructioresque redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat: hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat: omnibus acclamabat, &c.]

6 Adjiciamus *Gregorii Nysseni* exemplum, Innocentium stragem describentis. [Quoniàm autem etiàm hoc scelesta vox Herodis adjecit, ut non solùm adversùs modò genitos infantes funesta, capitalisque sententia proferretur: verumetiàm si quis ad alterum annum progressus esset, ut is quoquè de medio tolleretur: (scriptum est enim à bimatu, & infrà) alteram ex verisimilitudine cladem in his ratio cernit: quod sæpè tempus interjectum duorum filiorum matrem fecerit eamdem. Quale igitur rursùs in talibus spectaculum erat, duobus circà matrem unam Carnificibus occupatis: uno quidèm prætercurrentem ad se trahente: altero verò eum, qui mammæ etiam nunc admoveretur, à sinu repellente? * Quomodò miseram matrem hac de causa affectam fuisse credibile est, cùm adversùs duos filios natura quasi finderetur, utroque æqualitèr maternis visceribus ignem accendente, cum ambigeret utrum ex improbis carnificibus sequeretur, uno quidèm hìnc, altero autem illìnc ad cædem attrahentibus infantes? Accurrat ad recèns natum, obscurum adhùc, & indistinctum ploratum emittentem? at alterum audit jam loquentem, ac voce balbutiente matrem cum lachrymis implorantem. * Quid agat? quò evadat? quò se vertat? ad utrius vocem clamorem referat? utrius gemitui oploret? utrius morti illacrymabitur, cum ex æquo naturæ stimulis utriusque nomine urgeatur?]

Hom. de Nativ. Dom.

Innocentium cædes.

* *Subsientatio Figura.*

* *Repetitio.*

7 Conducit quoquè ad majorem rei notitiam personam aliquam fingendo describere. Sic *Chrysostomus*. [Fingite ergò videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero Dracones pro manibus dependeant, cujus os cavernæ instàr magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua verminosus fons scaturiat. Venter omni fornace sit ardentior, cuncta, quæ immittuntur subitò consumens. Pedes alati ventis quoquè ipsis velociores. Facies, canis, ac lupi simùl faciem ostendat: nec hominis vocem emittat, sed insuave quiddam, atquè terribile mugiat: Is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat. Mira hæc forsàn vobis videntur, sed nondùm dignè ipsum descripsimus. Sequi etiam debent horum instrumentorum effectus. Itaquè imaginemur eum obviam factos jugulare, carnes eorum lacerare, ac devorare. Sed quid

Personæ fictæ descriptio.

Tom. 2. hom. 29. supra Matt.

Avaritiæ deformitas.

quid facio? Nam, & hoc descripto multò truculentior est Avarus in omnes, ut mors, insiliens, omnes, ut infernus deglutiens, communis generis hominum hostis: quippè qui vellet res omnium sibi arrogare, &c.]

SECTIO VIII.

De Sermocinatione Narrationi inserviente.

1 PRæter alias Figuras ad Narrationem illustrandam accommodatas, plurimùm confert Sermocinatio, sivè cum Orator aliis loquitur, sivè cum alii in Oratione loqui perhibentur. Undè quia Sermocinatio est inter præsentes, post rerum, & personarum descriptiones per Hypotyposim, quæ gesta ob oculos ponit, non erat prætereunda Sermocinatio per duplicem aliam Figuram servanda. Si enim Orator narret rem aliis absentibus, tanquàm præsentibus, & illi præsumuntur audire, vel ad audiendum excitari, hoc fit per Apostrophen. Si autem Orator inducat, vel eum de quo agitur, vel alios in Narratione loquentes, id præstatur per Prosopopejam.

Sermocinatio includit Apostrophen, & Prosopopejam.

Orat. de Machab.

2 Sic etiam *Nazianzenus* de Machabæorum matre loquens. [Omnibus acclamabat: Eugè Filii mei, eugè strenui milites, eugè in corporibus fermè incorporei; eugè Legis, canæque senectutis meæ, atquè Civitatis, quæ vos aluit, atquè ad eam virtutis magnitudinem evexit, antistites, atquè patroni. Paulùm adhùc, & vicimus. Fatiscunt Carnifices, * *hoc unum perrhorresco*. Paulùm adhùc, & ego inter mulieres beata, & vos inter adolescentes beati. At fortassè matris vos desiderium angit? nequaquàm vos deseram: hoc vobis polliceor: * *non tàm liberos meos odi*.]

Matris Machabæorum constantia.

* *Emphasis in sententia.*

* *Eadem Figura.*

3 Vivaciùs tamèn in Narratione utimur Prosopopejâ, cum aliquem inducimus gestum ab alio exponentem. Undè *Cyprianus* ad illud *Domine tu mihi lavas pedes?* Petrum protestantem indignum se tanta dignatione, simulquè Mariæ Magdalenæ obsequentem Christo animum memorantem. [Solus Petrus sciens, quia perhibuerat ei testimonium, quod Filius Dei vivi esset, & quia verba vitæ æternæ haberet: judicans apud se indignum, & inconveniens Sanctum Sanctorum flectere genua ad pedes peccatorum: * Neutiquàm, inquit, tu mihi pedes ablues. Et hujus humilitatis sub-

Ser. de ablut. pedum.

Petri pudor, & animi confusio in Christi humilitate ad ejus pedes se demittentis.

* *Prosopopeja.*

** Stylus Scripturalis per usū sententiæ.*

Mariæ Magdalenæ ad Christi pedes plorantis descriptio.

** Catachresis.*

sustinere obsequium non est nostrûm, qui * adorare debemus in loco, ubi steterunt pedes tui: & satis est nobis, quod sicùt catuli de mensæ tuæ reliquiis manducamus. Hoc in Muliere peccatrice aliquando passus es, nec dedignatus es in mensa solemni, multis convescentibus, infamis personæ suscipere famulatum: cujus devotio usa est ibi capillis pro lintheo, oculis pro catino, lachrymis pro Baptismo: tetigit, lavit, & unxit unguento. * Mactata intrinsecùs anima, proprium in Sancta sanguinem intulit: singula suum præbuere ministerium: cor contritum erupit in lachrymas, Fides lavit, Charitas unxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit, quos protulit: de Pœnitentiæ pixide unguenta, quæ obtulit, caputque pro suppedaneo stravit: crinibus circumfusis pedes sacros involuit, ac tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit: at Tu affectum potiùs, quàm factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecùs pœnitentem.]

** Energia.*

Solis Prosopopeja in Christi resurrectione.

** Argutia.*

** Dubitatio.*

Lib. 1. de Interpell. cap. 5.

4 Solis radio scribenda verba, quæ Soli *Ambrosius* tribuit ad exortum festinanti, surgente Domino. [Prædixerat Dominus, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, & tribus noctibus. * Didicerat hoc Sol, servabat præceptum. Dubitabat ergò dicens: Quid facio? Orior, & dies est; occido, & nox est. Si cursum meum servavero, demorabor Mundi salutem. Festinemus etiam ad redemptionem nostram: festinare etiam debeo ipse ad novam vitam. Erit enim, beneficio crucis, quia renovantur universa, & Sol novus, Cœlum novum. * Festino ergo, ut illum possim videre Solem Justitiæ illuminantem animas universorum. * Sed quid faciam? Ipse vult, post triduum fieri resurrectionem. Inveni quid faciam: ut, & moras non faciam, & numerum dierum custodiam. Non faciam integrum diem, & integram noctem. Abbreviabo horas, ut tribus quidem diebus, ac noctibus sit inter mortuos Dominus Jesus. Abbreviabo igitur horas, ubi ascenderit crucem, à sexta hora statìm fiat nox, ne videam Domini passionem, sed fugiam parricidalis persequutionis spectaculum. Occidam, & erit nox horarum trium: egrediar, & innovabo diem, ut sit horarum trium, &c.]

Lib. 8 Confes. cap. 11.

5 Et hìc est alius usus Prosopopejæ in narratione, cum videlicèt inducitur Persona sibi ipsa loquens, secùmque discurrens. Difficilem illam luctam carnis, & Spiritûs in se experiens *Augustinus*, dùm ad bonam frugem redire mediraretur, semet sibi loquentem narrat. [Sentiebam enim me ab

ab eis teneri. Jactabam enim voces miserabiles: Quandiù quandiù cras, & cras? quarè non modò? quarè non hac hora finis turpitudinis meæ?] Et alibì suas sibi interiores ærumnas lamentabilitèr opponit. [* Miserum me! quomodò sic insensata facta est anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dùm stat ante Deum, & suas illi laudes decantat? Miserum me! quomodò sic induruit cor meum, ut oculi mei indesinentèr non producant flumina lachrymarum, dùm conservus sermocinatur coràm Domino suo, homo cum Deo, creatura cum Creatore, qui factus est ex limo, cum eo, qui omnia fecit ex nihilo?]

Augustini lucta in conversione.

In Medit. cap. 34.

* Interrogatio dolentis.

6 Hanc etiam usurpamus Figuram, cum ex conditione facti, vel personæ judicamus eam potuisse quid dicere, sed abstinuisse. Undè *Chrysostomus* Lazari patientiam in extremis miseriis exaggerans, inquit. [Pauper autem projectus erat in vestibulo, nec tamen erat morosus, nec dicebat convicia, nec indignabatur. Non dicebat apud se, quod dicunt complures. Quid tandèm est hoc? Iste qui improbam, crudelemque vitam agit, & inhumanam, omnibus modis, suprà quàm opus est, fruitur rebus, nec ullam animi patitur molestiam, nec aliud quidquàm inopinatum, qualia multa solent in rebus humanis accidere: sed purâ, nullaque ægritudine contaminata, voluptate fruitur. Mihi verò nè tantum quidèm impartitur alimoniæ, quantum postulat necessitas. Verùm isti, qui in parasitos, & adulatores, ac temulentiam quidquid habet consumit, non alitèr quàm à fonte, cuncta affluunt. Ego porrò hìc jaceo, exemplum jis, qui me conspiciunt, probrum, ac ludibrium, fame contabescens. An hæc sunt Providentiæ? An ulla justitia respicit res hominum? Nihil horum neque dixit, neque cogitavit, &c.]

Tom. 2. Conc. 1. de Lazaro. Ex Luc. 16.

Lazari patientia ad Divitis fores jacati.

7 Sermocinatio tandèm perfectior est cùm geminatur Prosopopeja, eoquòd plures personas invicèm loqui, vel alterius Sermoni alteram respondere confingitur. Hìnc *Nazianzenus* Machabæos Fratres mutuò se ad martyrium confortantes inducens. [Amplectebantur se mutuò, atquè exosculabantur non minùs lætis animis, quàm si jàm ad certaminum finem ventum esset. Eamus ad pericula Fratres, clamabant, eamus, properemus, quandiù furit, & ardet adversùm nos Tyrannus, ne fortè languescat, atquè ità salutis jacturam faciamus. Proponuntur epulæ instructissimæ, jis intersimus. Pulchra quidèm, atquè egregia res est, cùm fratres simùl habitant, simùl epulantur, seque invicèm constipant, ac protegunt. Pulchrius tamen, ac laudabilius Virtutis

Orat. de Sept. Fratr Mach.

Machabæorum Septem Fratrū invicèm cohortantium alacritas.

tutis


tutis causâ simùl periclitari. Quod si pro patriis moribus, atquè Institutis certamen inire licuisset, fecissemus id quidèm: nam hoc quoquè mortis genus egregium est. Verùm quoniàm temporis ratio id non tulit, ipsa certè corpora offeramus. Quid enim? Etiamsi hoc tempore non moriamur: nonnè aliquandò tamen, velimus, nolimus, moriendum nobis erit? Nonnè debitum nativitati munus obeundum? Proindè quod facere necesse habemus, ultrò liberalitèrque faciamus. Callidum consilium circà mortem ineamus: quod commune est, nobis vendicemus, vitæ jacturâ vitam èmercemur. Nemo nostrûm hujus vitæ amore flagret: nemo ignavus sit, ac timidus. Perficiamus, ut cum in nos Tyrannus inciderit, de cæteris desperet. Periculis ille quidèm ordinem imponat, nec de ea re alacritatis fervore quidquam inter nos contendamus. Nam, & primus aliis viam præibit, & postremus certamen obsignabit, &c.]

8 Præter Prosopopejam, Apostrophe usus frequens est in Narratione. *Chrysostomus* pluribus Absalonem increpans, & mala, quæ Parricidam manerent, enumerans, ait. [Obduratur in pœnam, in supplicium cogitur, nec salutem in aliquo jam meretur, qui patrem salute spoliare connititur. * Respice jam sceleratissime hostis, ac nefande, jam respice parricida, respice, inquam, usquequaquè in te cuncta converti: respice contrà te ab ipsa Natura repugnari. Et quamvìs contrà te dimicet Cœlum, moveatur terra, exercitus pugnet: tamen aliud te ignotum, & inopinatum substinet bellum: aliud tibi jam paratum prælium est, quod * fugientem excipiat, properantem interimat, festinantem occidat. Non enim isti exercitus, quos cernis, quos conspicis; aut tuus furor contrà Patrem armavit, aut Patris contrà te necessitas provocavit: qui quamvìs dignè contrà te exerant gladium, vibrent enses, lanceas torqueant, ut dolor læsi Patris tuo interitu diluatur: tamen te fugientem arbor excipiet, rami interiment, ligna suspendent, &c.]

Tom. I. Hom. de Absal.

* *Repetitio.* In Absalonem Invectiva.

* *Figura. Isocolon.*



SECTIO

SECTIO IX.

De Digressione.

1 X instituta rei expositione sæpè ad alia divertere Oratorem contingit. Quod tamèn si discretè fiat, Narrationi addet, (ut ait *Quintilianus*) *decoris gratiam*, juvabitque tùm ad tædium levandum, tùm ad varietatem (quæ delectationis fomentum est) indùcendam, tùm ad multiplicis eruditionis ornatum. Græci vocant παρέκβασιν, Latini vertunt *Egressum*, vel *Egressionem*, communiùs Digressionem, nedùm Oratoribus deservientem, sed Poëtis eam ἐπεισόδιον appellantibus. Definitur ex Fabio: *Alienæ rei, sed utilitati causæ pertinentis, extrà ordinem excurrens tractatio*. Estque Orationis quædam virtus, seù affectio accidentalis, qua Orator aliò sese vertens, narrationis seriem non interrumpit, sed flectit.

Digressio quid?

Lib. 4. cap. 3

2 Licèt verò non sit certa ejus sedes, sed in omnibus usurpari possit Orationis partibus, ut advertit idem *Quintilianus*, & in Proœmio quoquè locum habeat; singularitèr tamen Narrationi adjungitur, cui cohærere oportet, & non esse tàm aliena, quod rei narratæ ex ignavia videatur alligata, sed ad eam pertinens, ut causa, proprietas, effectus, occasio: vel præbeat modum artificiosè transeundi ad aliam actionem, sivè rationem, aut conceptum, quo res tractanda probetur, & illustretur. Hìnc ex illis Scripturæ verbis: *Fiat lux, fiat firmamentum*, ut explicet qualitèr sit accipienda Dei loquutio, ad mirabilem humanæ vocis compositionem *Basilius Magnus* divertit. [Jam quidèm externo die audivimus verba Domini dicentis: Fiat lux; hodie, fiat firmamentum. Plus tamen quiddam videntur habere præsentia. Nequè enim verbum in nudo præcepto remansit: sed causa, per quam quæritur Firmamenti productio apertiùs declaratur, idest, ut dividat inter aquam, & aquam. Primò quidem reputemus discutientes, quomodò Deus alloquitur, nostro nè, idest hominum more, qui priùs futuræ rei formam concipimus intellectu: deindè ex subjectis congruas, & familiares unicuique significationes colligentes exprimimus: & post hæc ministeriis vocalium officiorum cogitata manifestantes, per aëris crepitum, & articulati sermonis obsequium

Singularitèr Narrationi adjungitur.

Lib. 3. Hexam.

Deus quomodò loqui dicatur.

sequium publicamus sensum corde conceptum. Et quomodò non insanire dicendus est, qui Deum talibus officiis indigere pronunciat ad explananda, quæ cogitat?]

3 Occasione etiam alicujus verbi, quod ponderatione dignum est, opportunè Orator digreditur. Quemadmodùm *Cyprianus* narrans triumphalem Domini ascensum ex verbis illis: Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in Cœlum sic veniet, æternos crciatus describit, qui advenientis Judicis sententiâ reprobos afficiet, digrediendo describit. [Quanta illud edictum sequentur lamenta, illius ultimæ tubæ clangor, quàm horribilis erit? Continuus erit, & superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt: immortales miseri vivent: incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent: ardebit purpuratus Dives: nec erit, qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ * libidines bullient: & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrociùs, desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultrà Deus, nequè tunc audiet pœnitentes: sera erit illa confessio, & * cum clausa fuerit janua, frustrà carentes oleo acclamabunt exclusi, &c.

Ser. de Ascens.

* *Abstractum pro Concreto.*

* *Stylus Scripturalis per usũ Parabola.*

4 Nonnihil autem artis demonstrat Orator, cùm se ad illam digressionem, quasi coactum simulat. Hìnc *Tertullianus*. [De Astrologis nè loquendum quidèm est. Sed quoniàm quidam istis diebus provocavit, defendens sibi perseverantiam professionis istius, paucis utar. Non allego, quod Idola honoret, quorum nomina Cœlo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit: quod propterea homines non putant Deum requirendum, præsumentes, Stellarum nos immutabili arbitrio agi. Unum propono, Angelos esse illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam hujus curiositatis, propterea damnatos à Deo, &c.] Similitèr Artis solertiâ Digressio velùt transitus ad aliud factum usurpatur. Undè Arator de Paulo loquens, cum narraturus esset, Apostolum in Insula Papho Pudicitiæ laudes prosequutum, benè innuit priscas Gentilium in ea Insula prostitutiones.

Astrologorum quorũdam vanitas, & impietas.

Lib. de Idolol. cap. 9.

Paphus Insula libidinis vitio infamis.

Lib. 2. in Act.

. . . . Cyprum, Salaminaque linquens,
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olìm
Dedita sacrilegæ mansisse libidinis antrum,
Aligerosque vagos studio coluisse procaci.

5 Ve-

5 Verùm quantum sàt est Digressione peracta, ad rem de qua agitur, sermo revertatur. Quod appositè exemplo fluminis *Magnus Gregorius* explicat. [Sacri enim tractator Eloquii morem fluminis debet imitari. Fluvius quippè dum per alveum fluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas protinùs sui impetus cursum divertit: cumque illas sufficientèr impleverit, repentè se in alveum refundit. Sic nimirùm, sic Divini Verbi esse tractator debet, ut cum de qualibet re differit, si fortasse juxtapositam occasionem congruæ ædificationis invenerit, quasi ad vicinam vallem linguæ undas intorqueat: & cum subjectæ instructionis campum sufficientèr infuderit, ad sermonis propositi alveum recurrat.]

Digressio non sit justo longior.


Epist. ad Leand. præfixa Mor.

6 Demus, & de hoc exemplum ex *Chrysostomo*, qui narrans Divitis petitionem in tormentis ad linguæ refrigerium, & Abrahæ in Limbo detentionem usquedùm ad inferos Christus descenderet, ad Sancti Latronis privilegium digreditur, qui meruit audire: hodie mecùm eris in Paradiso. [Antequàm Christus moreretur, nemo in Paradisum conscenderat, nisi latro. Romphæa illa flammea, & vertigo illa claudebat Paradisum: non poterat aliquis intrare in Paradisum, quem Adam clauserat: Latro primus cum Christo intravit. Magnitudo enim Fidei meruit magnitudinem præmiorum. Non enim credidit in Regno videns Christum, non illum vidit fulgentem, * non illum vidit de Cœlo respicientem, non vidit ei ministrantes Angelos: certè, ut liberè dicam, non vidit liberè ambulantem: sed vidit eum in Cruce, vidit illum bibentem acetum, vidit eum sentibus coronatum, vidit eum confixum ad Crucem, vidit eum precantem auxilium: Deus Deus meus respice in me, quarè me dereliquisti? Et sic credidit. O conditio varia, & casus hominum! . . . . . Ex latere diximus de Latrone, nequè enim obliti sumus propositi. Proposueramus enim de Paradiso dicere, quod ante adventum Christi nemo fuerit in Paradiso. Revertamur ergò ad propositum, &c.]

To. 2. Hom. de Divite, & Laz.

S. Latro primus Paradisum cum Christo intravit.

* *Anaphora. Figura.*



CAPUT

CAPUT V.

De Amplificatione.



I quilibet Rhetoricæ Artis Candidatus; multò magìs Sacer Orator, rem exilem, ſiccam, emaciatam, inani verborum infarcinatione tumidam, ac velutì ventoſam reddere prohibetur: Certè qui agglomeratis ſynonimis, ſententiis, eruditionibus, puſionem in Gigantem, ſcrupulum in montem erigere jactant, neutiquàm rationem propriam Amplificationis aſſequuti videntur. Hujus enim, (ut optimè advertit *P. Franciſcus Pomey* ex Soc. Jeſu) munus eſt, ea, quæ in ipſa re inſunt, occulta tamen, & implexa, aſpectui ſubjicere. Indubium namque eſt, rem quamlibet præter id, quod prima fronte præſefert, multa tegere, quæ diligenti Oratoris veſtigatione revelata, grandiorem demonſtrant, exiguam ante exiſtimatam, quia non ex toto compertam. Quod utiquè Ingenii eſt, non ignavi, ſed explorantis circumſtantias, cauſas, effectus, & quæ Locis Oratoriis continentur. Ut autem inconfuſè procedamus, ſectanda methodus *Quintiliani* dicentis. [Quatuor tamen maximè generibus video conſtare Amplificationem, Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Congerie.] Quorum ſingula, Patrum exemplis liberali calamo proſequemur.

In Candid. Rhet. Progym. 3.

Ejus quodnam munus.

SECTIO I.

De Amplificatione ex Incremento.

1 

Riplici uſu Incrementum ad Amplificationem conducit. Primò cùm res exaggerata per quoſdam velutì gradus, itaùt ſemper major appareat, cùm cenſet Auditor jam perventum eſſe ad ſummum, aliud additur majus, quod ſit velutì ſuprà ſummum. Qua amplificandi ratione in jis maximè utimur rebus, quæ ſub ſe multa, eaque magna in eodem genere comprehenduntur; ut eſt Redemptionis beneficium. Magnum eſt enim, quod Prophæta

Amplificatio ex incremento primo modo.

phæta quoq; miratur, Deum esse hominis memorem, ipsumque per creationem paulominùs ab Angelis minoratum gloria coronare, omniaque sub pedibus ejus subjicere. Majus quod Patriarchis apparuerit, Israëliticum Populum suis ipsemet præceptis imbuerit: majus, quod assumpto mortali corpore, cum hominibus sit conversatus: adhùc majus, quod ab hominibus vinciri, cædi, reprobari voluerit: Quid verò in crucem tolli, & cum iniquis, inter Latrones pendens, deputari? Quæ tantam dignationem vis Orationis assequetur?

2 Quapropter *Augustinus* exaggerans Divinam Pietatem in carne assumenda, maximum illud, quod etiam pro homine Deus sanguinem suderit, & verè ineffabile subdit.

In Med. cap. 15. [* O immensa pietas, & inæxtimabilis Charitas! Ut liberares servum, Filium tradidisti. Deus factus est homo ut perditus homo de potestate Dæmonum erueretur. Quàm benignissimus amator hominum Filius tuus Dominus noster, cujus piis visceribus non satìs visum est, ut se inclinaret factus Homo de Virgine Maria: nisi etiam subiret Crucis supplicium effuso sanguine propter nos, & propter nostram salutem...... * O charitas! O pietas! Quis audivit talia? Quis supèr tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur proptèr nimiam Charitatem tuam, qua nos dilexisti?]

* *Exclamatio.*

Dei Charitas in homine redimendo.

**Exclamatio, & Interrogatio admirantis.*

Genes. 9. 3 Factum illud, quod in Genesi refertur, Cham videlicèt irrisisse nudatum in tabernaculo Noë Patrem, cæterisque fratribus addigitasse, de quo *Chrysostomus.* [Vide obsecro hìc dilecte, quod non in natura sita sunt vitia, sed in arbitrio, & voluntate. Ecce enim omnes Fratres fuerunt, & ejusdem naturæ, & eumdem habuerunt patrem, eodem utero fuerunt editi, eadem diligentia fuerunt æducati, sed non eamdem mentem declaraverunt. Sed ille quidèm in malitiam incidit, ji verò parenti debitum impenderunt honorem. Fortasis autem, & irrisit, ac subsannavit Patrem, turpitudinem illius nunciando.]

Hom 29. in Genes.

Filiorum Sanctè educatorum exitus diversus.

4 Hoc, inquam, factum eodem Incremento amplificari potest. Indignum est Patrem non vereri, impium contumeliâ afficere, sceleslius aliis ejus probra detegere, multò ampliùs Fratribus, & fratribus probis: quale crimen reputabitur, Patrem ebrium, fœdè nudatum publicæ irrisioni exponere? Aliud. Injustè justo blasphemiæ scelus imponitur: Tyrannicè occidi mandatur: Quæ iniquitas, ejus sibi bona

3. Reg. 21. subripere? Tale scelus Achab, cui Helias: Occidisti, insupèr,

pèr, & possedisti. Aliud. Dedecet Regem in alienam uxorem oculos obscænè defigere: culpam auget, quod concupiscat, nefas quod thalamum conjugalem maculet adulterio: quantum est, illius Virum morti objicere, & tradere gladio Filiorum Ammon, idest infensorum Israëli hostium? Hoc Regi David exprobravit Nathan Prophæta: Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi: & interfecisti eum gladio Filiorum Ammon. 2. Rg. 12.

5 Nimia arte *Nazianzenus* pauperum miserias amplificat per Incrementum, nempè privatione plurium membrorum ascendendo veluti per gradus, usquè ad spiritûs trahendi difficultatem, quæ videri posset maxima ærumna, addit tamen aliam suprà illam, nempè cæcitatem, per Circumloquutionem. [Verùm ad fores nostras jacebunt fracti, fameque confecti, nè petitionis quidem instrumenta corpore suppeditante: privati vocibus ad lugendum, manibus ad supplicitèr protendendum; pedibus ad locupletes adeundum, spiritu ad luctuosi cantûs intentionem: quodque malorum omnium acerbissimum est, * oculis solùm gratiam habentes, quod fœditatem suam non intuentur.]

Pauperum miseriæ.

Orat. de pauperum amore.

* *Argutia.*

Alter modus amplificãdi per Incrementum.

6 Secundus modus amplificandi per Incrementum artificiosiòr est, acciditque cùm afferta rei alicujus magnitudine, fatetur Orator, nihil illi æquale, aut excelsius inveniri, & tamen addit aliud illi superius, quod certè magìs apparet amplificatum, utpotè superans quod superari non potest. Ut si dicas, Susannæ castitatem exaggerans: In pomario misceri Judicibus renuit: ò pudicam mulierem! minis non est territa: ò viris fortiorem? Incidere maluit in manus hominum, quàm Dei Legem derelinquere: ò Religiosam Constantiam! Nihil tantæ generositati æquale, nisi quod illam supergreditur, Pudicitiam incestûs damnatam tacuisse.

Susannæ pudicitia, & generosus animus.

7 Similitèr Sampsonis fortitudinem amplificans, hoc eodem incrementi genere uti potes: Cujus robore, & Leones prostrati sunt, & exercitus fusi, & portæ evulsæ, & templa excisa. Nihil his majus: nisi quod plures moriens interfecerit, quàm vivus. Et Davidicam mansuetudinem si extollere velis, dices: Persequutoris furorem declinat, astus deludit, necem prohibet, exitium luget. Rebellis Filii fatum deplorat, obloquentis servi fert contumelias, Hostis Filios honore excipit, nihil his addi potest, nisi quod Regno potitus totum potest, à toto dissimulat. Ejus etiam habes in Scriptura Exemplum de Jeroboam, cujus scelera amplifican-

David in adversis ferendis patientia.

ficantur ex eo, quod decem Tribuum Israël Rex constitutus, Dei præcepta calcaverit, vitulos aureos ad Idololatriam exercendam erexerit populo, auditum Dei nuncium spreverit, altari exciso induruerit, brachio arefacto, & ad pristinam incolumitatem restituto, impietatem non sit detestatus. Videtur hoc summum, & inadæquabile facinus, sed ipsum superat, quod addit Sacer Textus: Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed è contrario, fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum.

Jeroboam maxima impietas.

3. Reg. 13.

8 Diligentèr percipienda *Nazianzeni* artis plena amplificatio miseriæ emendicantium, illam exaggerans usquè ad hoc, quod per terram repentes, inutile ac mutilatum invalidumque corpus trahentes, prætereuntium pedibus obvoluuntur. Maxima hæc videbatur ærumna; sed artificiosè majorem addit, scilicèt eos non conculcari, quia vel pedibus contingere dedignamur. [Jacent simùl illi malè à morbo consociati: atquè alii aliud quoddam calamitatis genus ad miserationem ciendam erogantes: suntque sibi doloris additamentum, miserabiles illi quidèm morbi nomine, condolentiæ tamen ergò, miserabiliores. Hi porrò ad hominum pedes volutantur cum Solis æstu, ac pulvere, nonnunquàm etiam cum asperrimo frigore, ac pluviis, ventorumque tumultibus conflictantes, pedibusque etiam jamjamquè proculcandi: nisi vel tantillùm eos tangere exhorresceremus.]

Orat. de paup. amore.

Pauperes, etiam tãgere dedignamur.

9 Tertius modus amplificandi ex Incremento, (cujus nonnihil præmissa authoritas habet) non per gradus procedit paulatìm crescendo, nequè suprà supremum addendo aliquid majus: sed exposita rei magnitudine per seipsam audientis admirationem merente, aliud adjungitur ejusdem rei singulare, & inopinatum, quo res laude dignior judicatur. De Calce loquens *Augustinus*. [Jam verò quàm mirum est, quod cùm extinguitur, tunc accenditur? Ut enim occulto igne careat, aquæ infunditur, aquavè perfunditur: & cum ante sit frigida, indè fervescit, undè ferventia cuncta frigescunt. Velùt * expirante ergò illâ glebâ, discedens ignis, qui latebat, apparet: ac deindè tanquàm mortua sic frigida est, ut adjectâ undâ non sit arsura, & quam calcem vocabamus vivam, vocemus extinctam. Quid est, quod huic miraculo addi posse videatur? Et tamen additur. Nam si non adhibeas aquam, sed oleum, quod magìs fomes est ignis, nulla ejus perfusione, vel infusione fervescit, &c.] Vel per expressionem ipsius rei tàm maximæ, ut suprà illam aliud

Tertius modus Amplificandi per Incrementum.

Lib. 21. de Civ. Dei, cap. 4.

Calx aquâ fervescit, oleo superfuso frigescit.

* Energia.

aliud non sit, aut esse non possit. Quemadmodùm hospitantes apud Loth tres Angelos cum Sodomorum impudens Libido expeteret ad abusum, Loth dehortanti temerè responderunt: Recede illùc. Et rursùs: ingressus es, inquiunt, ut advena, nunquid ut judices? Ad quæ verba *Chrysostomus*. [O gravem ebrietatem! O immodicam desipientiam! In hunc modum se habet efferata, & mala bestia Concupiscentia: quando Rationem vicerit, nihil, quod oportet videre finit, sed quasi in tenebris, & pugna nocturna, omnia facit.]

Gen. 19.

To. I. Hom. 43. in Gen.

* *Exclamatio.*

Sodomitarum obcæcatio.

10 Nihil enim ea perversitate majus esse videtur. Adhùc quammaximum malum, quo aliud grandius non sit, ibidem subditur. Nam Generi Loth admoniti de proximo Civitatis excidio, & rogati, ut propriæ secùm saluti consulerent, Sanctum Senem, veluti mente captum irridentes subsannabant, nihili, quæ ille minabatur, pendentes. Dicitur enim: Egressus itaque Loth loquutus est ad Generos suos, qui accepturi erant Filias suas, & dixit: Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus Civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Ubi *Chrysostomus*. [Itaquè cum audirent à Justo terribiles illas minas, quasi subsannabant; & putabant deliramenta esse, quæ dicebantur.] Undè idem præfatum textum sic legit. [Visus est autem ridiculus coràm Generis suis.]

Subsannantium hortâtem Loth quasi mentecaptum.

Ibid.

11 Aliud proponendum ex Scriptura Exemplum de Samaritanorum pertinacia, tanta videlicèt, ut nedùm suppliciis, (inductâ Heliæ præcepto siccitate, & horribili fame urgente) non cederet, sed augeretur. Undè de eis *Chrysostomus*. [Molesta est fames, ubi quod esurit necessitas, deesse invenitur. Tandem pœna, quod torqueat, & culpa meruit, competens aliquando supplicium, sera ultio fœneratam mœruit pœnam: & diù dilatum est, quod quandoquè dignè, ac meritò interveniret. Proh nefas! nulla ex pœna correctio: & quasi adversis hominum malitia provocetur, sic crescit quotidiè, quod puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt: nolunt recordari, ut vivant: nolunt corrigi, ut evadant: & quasi frugem mentis sterilitas arefecerit siccitatis, sic arescente terra, aruerant, & hominum corda. . . . . . Intereà perseverat in populum fames, malis perseverantibus populi. * Crescit malitia populorum, crescit, & inopia rerum. Sævit cunctorum impietas, sævit in cunctos necessitas. Universi deficiunt victu, & ab Idolorum non deficiunt cultu. * Et quasi diversitas ista invicèm concer-

To. I. Hom. de Helia.

Samaritanorum obstinatio in suppliciis.

Hominum malitia adversis nô corrigitur, sed provocatur.

* *Repetitio.*

* *Periodus rotunda per harmoniam membrorum.*

cer-

certaret: sic se se ista superare contendunt, ut putarent dementes, sceleribus famem vincere, facinoribus necessitatem avertere, peccatis inopiam superare.]

12 Sublimitèr hoc Incrementi genere Divinam in homines Charitatem *Salvianus* exaggerat. [Evidens quippè res est, quod super affectum Filiorum nos Deus diligit, qui propter nos Filio non pepercit. Et quid plus addo? Et hoc Filio Justo, & hoc Filio Unigenito, & hoc Filio Deo. Et quid dici ampliùs potest? Et hoc * pro nobis, idest pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æxtimare hunc ergà nos Dei amorem queat: nisi quod Justitia Dei tanta est, ut in ea aliquid injustum cadere non possit? Nam quantum ad Rationem humanam pertinet, injustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis Servis Filium bonum occidisset. * Utiquè hòc magìs inæxtimabilis pietas, & hòc mirabilis magìs Dei Virtus est: quod ita intelligi ab homine magnitudo Justitiæ suæ non potest, ut quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè Injustitiæ speciem habere videatur.] Quæ authoritas si diligentiùs perpendatur omnes tres modos amplificandi ex Incremento comprehendit.

Lib. 4. de Gubern.

Dei Charitas in hominis redemptione.

* *Emphasis. In verbo.*

* *Exaggeratio*

SECTIO II.

De Amplificatione per Comparationem simplicem.

1 AB Oratorio Loco, qui *à Comparatis* dicitur, quemadmodùm argumenta, ita & amplificandi formæ petuntur, eâ differentiâ, (notante *Quintiliano*) quòd ibi vis probationis attenditur, hìc nitor ampliationis, triplici methodo exercendæ. Primò cùm res tractanda minori comparatur, & hæc augetur, ut illa major appareat: augendo enim, quod est infrà, magìs quod suprà est, extollitur. Quarè *Nazianzenus*, ut Patris Gregorii Sanctam in Fidei communione conversationem amplificaret, laudabilem illius vitam, adhùc in paganismo, explicat, quod certè minus erat, sed eò majorem indicat in suscepta Fide virtutem. [Quod autem mihi ex ipsius rebus potissimùm admirari subit, hoc necessariò dicendum est. Ille ante etiam, quàm ad nostram causam se contulisset, noster erat: morum quippè probitas eum nobis

Amplificatio tribus modis per Comparationem.

Orat. de fun. Pat.

Christiani quidam negant factis, quod professione sunt.

vendicabat. Nam quemadmodùm ex Nostris plerique nobiscùm non sunt, quos scilicèt à communi corpore flagitiosa vitæ ratio separat: sic contrà permulti exterorum à nobis stant, quicumque nimirùm Fidem moribus antevertunt, ac solo Christiani nomine carent. Quo in numero meus quoquè Pater erat, ramus quidèm ille alienus, cæterùm morum honestate ad nos propendens.]

2 Elegans, simulquè roboris plena Amplificatio est *Cypriani*, dum quorumdam dejectum animum exaggerat in Fide abjuranda, nec unâ sanguinis fusâ guttulâ, ex comparatione eorum, qui cruciatuum acerbitate Christum negarunt, quod minus videtur, & excusabilius. Integrè verò eam adducimus, nè quot verba, tot subtrahamus pretiosos lapillos.

Lib. de Lapsis.

Fortitèr pro Fide certantis excusabilis casus videtur.

3 Ait itaquè. [Quæri de tormentis potest, qui per tormenta superatus est: excusationem doloris obtendere, qui victus est in dolore. Potest rogare talis, & dicere: Certare quidèm fortitèr volui, & Sacramenti mei memor, devotionis, ac Fidei arma suscepi: sed me in congressione pugnantem cruciamenta varia, & supplicia longa vicerunt. Stetit mens stabilis, & Fides fortis, & cum torquentibus pœnis diù anima luctata est. Sed cum durissimi Judicis recrudescente sævitia, jam fatigatum, jam lassum corpus nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus, sed corpus in dolore defecit. Potest citò proficere ad veniam causa talis: potest ejusmodi excusatio esse miserabilis. Sic sic Casto, & Æmilio aliquandò Dominus ignovit. Sic in prima congressione devictos, victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent: & unde superati essent, inde superarent. Deprecabantur illi non lachrymarum miseratione, sed vulnerum, nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis, & dolore. Manabat pro fletibus sanguis, & pro lachrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat. Nunc verò, quæ vulnera ostendere victi possunt? quas plagas hiantium viscerum? quæ tormenta membrorum? Ubi non Fides congressa cecidit, sed congressionem perfidia prævenit: nec excusat oppressum necessitas criminis, ubi crimen est voluntatis.]

Detestanda verò, etiam sinè certamine à Fide defectio.

4 Ad hunc amplificandi modum pertinet rem comparare alteri, quæ major videatur, & tamen rei comparatæ in-

inferior ostenditur. Ita *Chrysostomus* Sancti Job in blasphemæ Uxoris increpatione constantiam, Martyrum patientiæ, ac fortitudini præponens, ait. [Dico Charitati vestræ Fratres: Martyres Sanctos laudamus, glorificamus, admiramur: dies eorum pia sollemnitate celebramus, merita eorum veneramur, & si possumus imitamur. Est profectò magna Martyrum gloria: sed nescio utrùm minor gloria fuit Sancti Job. Nec tamen ei dicebatur: thus pone, Idolis sacrifica, & Diis alienis, nega Christum; dicebatur tamen: si blasphemaveris, putredo omnis abscessura, sanitasque reditura est. Sed si blasphemaveris, dicebat inepta, & insulsa Mulier, morieris, & moriendo tormentis carebis: quasi verò morienti blasphemo non æternus dolor succederet. Mulier fatua præsentis putredinis horrebat molestiam, æternam flammam minimè cogitabat. Ferebat ille præsens incendium, nè incurreret in futurum.]

Hom. 6. de B. Job.

Job constans Uxore insultãte, & ad blasphemias impellente.

5 Hunc comparandi modum pro Amplificatione *Quintilianus* assignans, ait. [Interìm proposito velùt simili exemplo, efficiendum est, ut sit majus id, quod à nobis exaggerandum est.] Hìnc magnum animarum discrimen in publicis spectaculis explicans *Cyprianus*, monensque à Theatris abhorrendum Christiano, Histrionum impudentiam amplificat Scortorum comparatione. [Commune dedecus delectat, videlicèt vel recognoscere otia, vel discere. Concurritur in illud pudoris publici Lupanarium, ad obscænitatis magisterium: nè quid secretò minùs agatur, quàm quod in publico discitur: & intèr ipsas Leges docetur quidquid Legibus interdicitur. Quid intèr hæc Christianus fidelis facit, cui vitia non licet, nec cogitare? Quid oblectatur simulachris libidinis, ut in ipsis, depositâ verecundiâ, audacior fiat ad crimina? Discit facere, dum consuescit videre. Illas tamen, quas infelicitas sua in servitutem prostituit, libidinis publicæ occultat locus, & dedecus suum de latebris consolantur. Erubescunt videri, etiam quæ pudorem vendiderunt. At istud publicum monstrum omnibus videntibus geritur, & prostitutarum transitur obscænitas. Quæsitum est quomodò adulterium oculis admittetur, &c.]

Lib. 8. cap. 4.

Opusc. de Spectac.

Theatri obscænitates spectantibus discriminosæ.

Etiam Meretrices non sinè aliqua erubescentia sui.

6 Amplificat etiam *S. Paulinus* Romanæ Melaniæ castimoniam, qua post unicum susceptum natum, se Deo dicavit, conferens cum Samuelis oblatione à Matre factam. [Imitata est conditione, qua potuit, Annæ sterilis fidele votum. Nam, & istam damnosa fœcunditas sterili proximam

Epist. 10. ad Sever.

S. Melania unicum susceptum Filium, seque Deo dicavit.

fe-

fecerat:& talis effici post evacuatam fœcunditatem, timens diversum Deo munus simili dedicavit affectu. Ista de parto pignore, illa de concipiendo solicita: illa ut mater esse inciperet, hæc nè esse desineret. Quod si ideò dissimile judicatur, quia non hujus, ita ut illius filius in Templo depositus serviat Domino, qui & opibus Sæculi utatur, & honoribus; tamen è diverso compensationem pietatis, & Fidei videat æquari: quia hæc idem de semetipsa persolverit Domino, quod gloriosa Anna de Filio. Illi enim votivus Samuel in plures partus posteà repensatus est: huic unicus suus summa partuum, finis luctuum fuit. Illam, mandato primogenito in statione Templi, & alia domi pignora, & ipsius quoquè sacrati Filii non longinqua discretio, solemnisque, ad Templum recurrendo, visitatio consolabatur: Ista ut unicum suum à pectore suo abscidit, & in sinum Christi jactavit, ut eum ipse Dominus enutriret, nihil posteà illi suæ solicitudinis dedit: diffidentiæ peccatum judicans, si quem Christo commiserat, ipsa curasset.]

Annæ Matri Samuelis præposita.

7 Fœdas etiam alieni thori libidines, & crapulas damnans, amplificat *Salvianus* ex comparatione ad Lupanarium obscænitates. [Cæteri autem, & plurimi fermè, ac nobilissimi, propè idem omnes penè unus gurges omnium gula, penè unum Lupanar omnium vita. Et quid dicam de Lupanaribus? Minoris quippè esse criminis etiam Lupanar puto. Meretrices enim, quæ illìc sunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant, quod ignorant. Impudicitiæ quidèm piaculo sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterii non tenentur. Adde hùc, quod & pauca fermè sunt Lupanaria, & paucæ, quæ in his vitam infelicissimam damnavere meretrices. Apud Aquitanicos verò, quæ Civitas in locupletissima, ac nobilissima sui parte non quasi Lupanar fuit? &c.]

Lib. 7. de Gubern.

Aquitanorum taxata communis impudentia.

8 Mansuetudinem David, dum Sauli in spelunca pepercit, orâ tantummodò clamidis præcisâ, amplificat *Chrysostomus*, præferens fortitudini, qua Goliath interfecit. [Egressus est autem post illum & David, liberis deinceps oculis Cœlum intuens, ac tùm temporis magìs exultans, quàm cum Goliath dejecisset, ac barbari caput amputasset. Siquidèm hæc illi magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidèm illìc, & fundâ, & lapidibus, & acie habebat opus: hìc verò cuncta prudentiâ, rationeque peracta sunt, ac sinè armis contigit victoria, atquè incruentum tro-

David illustrior Victoria parcentis Sauli, quàm interimentis Goliath.

To. 1. Hom. de David, & Saul.


trophæum erectum est. Itaquè rediit, non Barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam,& iram enervatam, &c.]

9 Diligentius verò res amplificanda alteri comparatur, cùm non modo tota toti, sed partes ejus, illius partibus conferuntur. Sic exaggerans cuique conveniens esse consilium capere ab alio, etiam inferioris notæ,exemplo uti potes Moysi, qui Soceri sui Jethro consilium de Judicibus instituendis minimè despexit, sed humilitèr excepit. Ubi comparare potes Moysen Jethro, verba verbis, & alia. Sapiens enim ab insipiente, & quidèm rusticè loquente, & coràm multitudine, quæ facere deberet, & audivit, & fecit. Quantò magis à prudentiore, & blandioribus verbis, & secretò consilium ministrante non abhorrere debemus?

To. 3. Hom. de ferend. persq.

10 Quocircà *Chrysostomus*. [Erat autem Jethro homo alioquì barbarus, & insipiens, quique in solitudine vitam egerat, & ad hæc impius erat, quo non est certius insipientiæ argumentum: nihil enim Gentilibus est insipientius. Verumtamèn ille barbarus, ille impius, ille insipiens, ubi vidit Mosen quædam præter dignitatem facere, eum correxit, non curans, quod sapiens esset, & intelligens, & Dei amicus. Et cum dixisset ei: quarè illi stant coràm te? didicissetque causam, inquit: Non rectè hoc fecisti, junxitque consilio increpationem: & nequè sic exasperatus est ille sapiens, ille intelligens, ille tot myriadum Dux. Nequè enim hoc parvum,& contemnendum, quod ab homine barbaro, & privato docetur. At non inflabatur, vel Principatûs magnitudine, vel miraculis, quæ operatus erat, nequè rubore suffundebatur, quod tot præsentibus, iisque subditis corrigeretur. Sed considerabat, quod licèt magna signa faceret, humanæ tamen particeps esset Naturæ,quam non rarò multa latent: atquè ideò cum mansuetudine consilium suscepit. Est nunc videre aliquos, qui nè putentur alieno indigere consilio, malunt potiùs utilitate consilii carere, quàm suscepta admonitione peccatum emendare, &c.]


Moyses Sapiens à Jethro insipiẽte cõsilium humilitèr capit.



SECTIO

SECTIO III.

De Amplificatione per comparationem contrariorum.

1 Peciosior Comparatio ex Contrariis, quæ tribus modis fieri potest. Primò ducta comparatione cum re contraria, quæ licèt magna sit, minor tamen apparet respectu ejus, quæ illi comparatur. *S. Maximus* culpam Christianorum indicto jejunio non parentium amplificat ex comparatione Ninivitarum, apud quos etiam jumenta à pubulis abstinuerunt. [Non solùm enim senes, juvenes, & infantes, sed etiam pecudes legimus jejunasse. Mira res! Jejunat pro Civitatis peccato, quem peccati conditio non constrinxit. Unde, & nos fratres temporum angustias substinentes, omnes pariter jejunare debemus; & misericordiam Dei cunctorum abstinentiâ implorare. Nam quale sit hoc: Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt? Nisi quòd stolidior pecude est, qui indicto pro se à Sacerdote jejunio, non jejunat.]

Ninivitarum jejunium, interdicto etiam jumentis pabulo.

Hom. in Litan. & de jejun. Ninivit.

2 Non impari efficacia amplificat *Salvianus* defectum fiduciæ in Deum ex collatione spei, quam firmam in homine collocamus. [O miseria, ò perversitas! Homini ab homine creditur, & non creditur Deo. Humanis promissionibus spes commodatur, Deo negatur. Omnia deniquè in rebus humanis spes futurorum agunt: vita quoquè ipsa hæc temporaria nonnisi spe alitur, ac substinetur . . . . . Totum deniquè, ut dixi, inter homines spebus agitur, solus Deus est, de quo desperatur. Cumquè elementa ipsa, & Naturam Mundi Deus noster fidelem fecerit, illi tantùm propè ab omnibus non creditur, qui solus fecit, ut rebus omnibus crederetur.]

Spem, quæ omnia alit, Homo ponit in Homine, & non in Deo.

Lib. 2. ad Eccl.

3 Secundo amplificandi modo per comparationem ad exemplum dissimile, sivè oppositum, exaggerat *Basilius Magnus* hominum cupiditatem in alienis rebus sibi usurpandis. [Nam vide quomodò singula genera *piscium* regiones sibi detinent deputatas, nullusque alterius fines occupat, sed suis quisque sedibus est contentus. Et certè nullus eis agrimensor habitacula discernenda distribuit, nec murorum cir-

Pisces certos sibi fines servant.

Hom. 7. Hexam.

circumſcriptione ſignavit, nec terminos poſuit obſervandos, ſed omnibus utilitas in commune collocata eſt. Hic enim ſinus certum piſcium genus nutrit, alter aliud: & qui in hoc abundant loco, minùs littoribus habentur in aliis. Non quòd aliquibus montium jugis aſperrimis ſeparentur: aut fluviorum interpoſitis obicibus arceantur à tranſitu: ſed lex Naturæ ſingulis æquabilitèr, proùt uſus cujuſque poſtulat, quod neceſſarium eſt impendendo, cunctos obſervatione ſuæ ſanctionis adſtrinxit. Sed nos tales non ſumus; nam, & Majorum noſtrorum fines audacitèr excedimus, & ſaltus tranſgredimur vicinorum: & domos domibus, & agros agris adjungimus, & aliena rura mutilamus.]

Homo alienos transgreditur.

4 Prodigioſum Petri ſuper aquas progreſſum comparans præferendo patenti diviſis fluctibus populo Iſraël Rubro Mari *Ambroſius* inquit. [Legimus in Veteri Teſtamento, Filios Iſraël per Mare Rubrum ſiccis in itineribus ambulaſſe: & ad ſecuritatem gradientium nè laberetur unda, in ſoliditatem quamdam fuiſſe mutatam. Quantò hoc melius, ubi ambulante Petro nec mutatur unda, nec labitur: nec ſolidatur aqua, nec refugit. Melius, inquam, eſt, ubi eadem unda, quæ fluctuat, & ſubſtentat: ubi idem gurges, qui mergitur, & famulatur. Illìc, ut portaretur per mare Populus Iſraël, meatum ſuum Natura perdiderat: hìc portatur in aquis Petrus, & curſum ſuum fluenta non perdunt.]

Ser. 47. de Fide Petri.

Petri ſupèr mare ambulantis prodigium, miraculo itineris per diviſas aquas præfertur.

5 Tertius quoquè modus amplificandi ſervari poteſt per comparationem oppoſitorum, cùm nedùm res rei, ſed pars parti, factum facto, tempus tempori, perſonæ perſona confertur. *Salvianus*. [Ubi namque ſunt antiquæ Romanorum opes, ac dignitates? Fortiſſimi quondàm Romani erant, nunc ſinè viribus: timebantur Romani veteres, nos timemus: vectigalia illis ſolvebant Populi Barbarorum, nos vectigales Barbaris ſumus.*Vendunt nobis hoſtes lucis uſuram, tota admodùm ſalus noſtra commercium eſt. O infelicitates noſtras! ad quid devenimus? Et pro hoc gratias Barbaris agimus, à quibus noſipſos pretio comparamus! Quid poteſt eſſe nobis, vel abiectius, vel miſerius? Et vivere nos poſt iſta credimus, quibus vita ſic conſtat?]

Lib. 6. de Gubern.

Romani à Barbaris ad extremas ærumnas redacti.

* *Exaggeratio Figura.*

6 Heroicæ Muſæ *Aurelius Prudentius* Vir Conſularis è Cæſaraugufta Hiſpaniæ, loquens de Stilicone Getarum, ſivè Hunnorum victore, quorum Ducem animosè in fugam egit, ejus victoriam amplificat, opponens enervatæ Campano luxu Hannibalis virtuti.

Vicimus, & exultare libet: Quid tale, repulso
Pœnorum quondàm Duce, contigit? Ille petitæ
Postquàm perpulerat tremefacta repagula Portæ,
Bajanis resolutus aquis, durissima luxu
Robora destituit, ferrumque libidine fregit.
At noster Stilico congressus cominùs, ipsa
Ex acie ferrata * Virum dare terga coëgit.
Hìc Christus nobis Deus adfuit, & mera Virtus;
Illìc lascivum, Campania fertilis, Hostem
Deliciæ vicere tuæ: non Juppiter acrem
Protexit Fabium, sed vicit amœna Tarentus;
Quæ dedit illecebris domitum calcare Tyrannum.

In Carm. cont. Symmach. Sect. 6.

Hannibal Campanis deliciis fractus, Romanis Ducibus cessit.

* *Eutrofi*

SECTIO IV.

De Amplificatione per Ratiocinationem.

Cùm ex alio aliud augetur, non quidem comparando, sed inferendo, modus iste procedit. Sic Hebræorum trium Juvenum constantia quanta fuerit ex eo infertur, quod propositum sibi ab impio Rege caminum ignis, erumpente desupèr flamma triginta novem cubitis, mox in eum conjiciendi, despexerint, & Statuam auream adorare renuerint. Davidica quoquè Continentia laudibus extollitur, quòd pulcherrimam Abisag Sunamitidem unà secùm accubantem non cognoverit. Ejusq; infracti animi robur amplificatur ex prostrati Philistæi superbia. Cæterùm illud, ex quo Amplificatio infertur, nonnumquàm rei amplificatæ velùt alienum videtur, ut notat *Quintilianus* relatus, & tamen ad rei magnitudinem maximè conducit. Sic Nathan Regi David homicidii, & adulterii reo, magnitudinem exaggeravit delicti post parabolam de ove pauperis à divite per vim ablata, inquiens: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego unxi te in Regem super Israël, ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo: dedique tibi Domum Israël, & Juda; & si parva sunt ista, adjiciam tibi multò majora. Quarè ergò contempsisti, verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? &c. Beneficia enim illa etsi non pertinere videantur ad geminam culpam à Da- *2. Reg. 12.*

vide

vide patratam : eorum nihilominùs memoria excessum exprimit peccati. Si enim adulterium, & homicidium opposita Justitiæ in Deum, & proximum ex se gravia sunt: quantò utiquè graviora post tot accepta à Deo singularia beneficia ?

2 Hoc modo impudentem petitionem Trevirensium Ludicra spectacula flagitantium, post excisam Barbarorum incursibus Urbem, amplificat *Salvianus*. [Pauci Nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ Urbis remedio, Circenses ab Imperatoribus postulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequendum rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari, scilicèt, ut tantum virtutis esset in quærimonia, quantum doloris in causa. * Quis enim æxtimare possit quid primum in his, de quibus diximus, accusandum sit : Irreligiositas, an Stultitia, an Luxuria, an Amentia ? Totum quippè in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quàm petere aliquid in injuriam Dei ? Aut quid stultius, quàm quod petas non considerare ? Aut quid tàm perditi luxûs, quàm in luctu res desiderare luxuriæ ? Aut quid amentius, quàm in malis esse, & malorum intelligentiam non habere ? Quamquàm in jis omnibus nulla res minùs culpanda est, quàm amentia; quia voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo magìs hi, de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant, &c.]

Lib. 6. de Guber.

Impudentia in Ludicris efflagitandis, ad excisæ Urbis solatium.

* *Dubitatio. Figura.*

3 Licèt enim motiva illa non videantur per se pertinere ad absolutam Circensium petitionem, spectant nihilominùs attentis circumstantiis, ut considerantem non latebit. Quod in hac forma amplificandi per Ratiocinationem præcipuè expendendum est. Cum enim ea sit illativa, & velutì discursiva, necesse est, connexionem attendere inter inferens, & illatum : proindèque adhùc quando res inferens aliena videtur à re amplificanda, talitèr afferri debet, ut illi cognoscatur connexa.

Lib. 8. c. 4.

4 Id videtur innuere *Quintilianus* dum dicit. [Illud quoquè, ex relatione ad aliud, quod non ejus rei gratiâ dictum videretur, Amplificationis genus.] Quo in pulchritudine Bersabeæ describenda uti possumus: Non à concupiscenda aliena uxore retrahit David conjugalis thalami fœditas: non propriæ existimationis jactura: non populi scandalum: non Divinæ Majestatis offensa. Nequè enim hoc ausus est pellax quilibet, aut intemperans : verùm Rex justus, sapiens, Prophæta, & secundùm cor Dei. Iste non indignum reputat ad se introducere honestissimi generis Matronam: Virum pro eo sanguinem in bello fundentem, tanti dedecoris

Bersabeæ quanta pulchritudo, quæ David ad adulterium inducere potuerit.

ris maculâ fœdare : quænam igitur illa mulieris forma credenda est ?

5 Aliquandò autem manifestè cognoscitur ad rei magnitudinem pertinere id, ex quo per Ratiocinationem infertur, sivè ex opposito ; ut cum unius fortitudo proponitur, ut alterius strenuitas amplietur. Sivè ex simili ; putà si humilitas ex alterius submissione augeatur. Sivè aliis modis sequenti Sectione afferendis. Hinc Abrahæ inditam à Deo virtutem in quatuor Regibus cædendis ex horum gestis à Scriptura narratis amplificat *Chrysostomus*. [Considera hìc dilectè magnitudinem, & fortitudinem Justi, quomodò benè fisûs misericordiæ Dei, non perculsus est animo cum audiret virorum fortitudinem, & stragem, quam fecerant: primùm in omnes gentes irruptione facta, debellatisque Amalechitis, & cæteris omnibus : deindè, quod irruerint in Sodomos, & in fugam ipsos verterint, omnemque eorum diripuerint substantiam. Et idcircò superiùs hæc omnia narravit nobis Scriptura, & qualia sua virtute strenuè gesserunt: ut scias, quod non corporali robore eos devicerit Patriarcha, sed sua in Deum fide, & superno auxilio adiutus omnia illa gesserit, &c.]

Quintilian. cit.

Abrahæ fortitudo in quatuor Regibus debellandis.

To. 1. Hom. 35. in Genes.

6 Ex consimili vero rei amplificatio deducitur, præsertìm si illatio habeat vim à fortiori. Hujusmodi illa *Apostoli*. Irritam quis faciens Legem Moysi, sinè ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit ? Alacritatem quoquè Pauli in adversis ferendis amplificat *Chrysostomus* ex imitatione Christi. [Eligibilius namquè mihi est malè pati pro Christo, quàm honorari pro Christo, Paulus cogitabat, & meritò. Si ipse proptèr me factus servus, gloriamque evacuans, non sic in gloria esse putabatur, quàm cùm pro me affigebatur Cruci : quid me pati non oportet ? Audi enim ipsum dicentem : Glorifica me Pater. Quid dicis ? ad Crucem duceris cum latronibus, tumulorumque fossoribus maledictam sufferre mortem, conspuendus, cædendus colaphis : & hæc gloriam appellas ? Ita, inquit, pro dilectis ipse patior, meritòque hæc eadem, gloriam existimo. Si enim Dominus meus miseros, & ærumnosos amans, gloriam rem vocat, etiam id patrio throno magìs adjicit gloriæ ; multò magìs ipse hæc gloriam existimare debeo.]

Ad Hebr. 10.

To. 1. Hom. de Pat. Job ad fi.

Paulus imitans Christum, in passionibus gloriatur.

SECTIO

SECTIO V.

Ex Antecedentibus per Ratiocinationem & Concomitantibus.

1 Ndicavimus connexionem inter rem amplificandam, & id, ex quo infertur per Ratiocinationem, procedere in ratione causæ ad effectum, aut econtrà, sivè etiam ex concomitantia, & adjunctione ad rem, quæ amplificatur. Proindè ex Antecedentibus Causis benè res sequens augetur. Ita communis ferè Israëlis conspiratio contrà David Regem justum, ac mansuetum, ut abiret post ambitionem Absalonis, ex jis deducitur, &
2. Reg. 15. amplificatur, quæ præmittuntur ab Absalone tentata, ut animos hominum ad seditionem solicitaret. Gravitas quoquè discriminis, in quo erat Hebraica Gens in ditionibus Assueri Persarum Regis, videlicèt ut à puero usquè ad senem uno die tertiodecimo Mensis Adar; magnitudo enim hujus periculi pensari potest ex authoritate Regii edicti, ex gravissima iracundia Aman plùs nimiò furore perciti ob non exhibitam sibi à Mardochæo adorationem, aliisque causis præcedentibus.

2 Verùm nescio, quò artificiosiùs res amplificatur ex antecedentibus Causis non quidem in eam influentibus, sed
Ezech. 28. ex quibus oppositum sequi debebat. Hìnc Regis Tyri culpa aggravatur ex eo, quod munera illi collata potiùs ipsum
Gen. 45. ad justitiam inducere deberent. Quemadmodùm econtrà mansuetudo Joseph magnificatur ex antecedentibus causis, quæ illum ad justam à fratribus pro patrato scelere pœnam
2. Reg. 1. exigendam impellebant. Virtus quoquè David in deflendo fato Saul, ex tot ab eo acceptis injuriis, quibus ad lætandum de acerrimi hostis morte moveri poterat.

3 Duram peccantium cervicem, quæ nec flectitur, (ut conditio exigit pœnæ) inflictione suppliciorum, per Iro-
Lib. 6. de Gubern. niam amplificat *Salvianus*. [Sed videlicèt, qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis: & quos intempe- Improbi suppliciis à Deo afflicti, neç emendantur.
rantes pax longa fecit, turbatio facit esse moderatos. Nunquid populi Civitatum, qui impudici rebus prosperis fuerant, asperis casti esse cœperunt? Nunquid ebrietas, quæ in tranquillitate, & abundantia creverat, hostili saltem depopula-

pulatione cessavit? Vastata est Italia tot jam cladibus: ergò Italorum vitia destiterunt? Obsessa est Urbs Roma, & expugnata: ergò desierunt blasphemi, ac furiosi esse Romani? Inundarunt Gallias Gentes Barbaræ: ergò quantum ad mores perditos spectat, non eadem sunt Gallorum crimina, quæ fuerunt?]

4 Nec minùs efficacitèr idem tractat *Chrysostomus*. [Vide autem qualia paulò post mala fiunt, factis signis. Talis enim est hominum natura, statìm beneficiorum obliviscimur. An non meministis, quod in ipsis, quæ nobiscùm facta, idem accidit? Nonnè superiore anno concussit Deus Civitatem totam? Quid igitur? Nonnè omnes ad illuminationem currebant? Nonnè scortatores, & molles, & effœminati, dimissis possessionibus, & locis, in quibus conversabantur, conversi sunt, & facti religiosi? Ubi autem tres dies transierunt, iterùm redierunt ad suam malitiam. Undè hoc factum? ex magna ignavia. Et quid mirum, si ubi res transierint, cum scilicèt & perpetuò manentibus signis, idem fit, ut est in Sodomis. Dic enim oro: nonnè perpetua sunt? Quid igitur? Nunquid vicini propterea meliores facti sunt? Minimè, &c.]

To. 5. Hom. 41. in Acta.

Et si illos ad horam sub flagello pœniteat, ad pristina revertuntur.

5 Non semper verò, quæ antecesserunt, ad rem amplificatam, ut causæ comparantur: & nihilominùs ad illam augendam quadam connexione conducunt. Sic *Basilius Seleuciensis* supèr ea verba: *Quid nobis, & tibi Jesu?* Dæmonum pœnam ex arreptitii corpore expulsorum per Prosopopejam amplificat, eoquòd animarum habitaculis ejecti, neque in corpora sævire permitterentur. [* O quot in vita Justos præterivimus, nec ab iis ejusmodi flagrum sumus experti! Qui nos oppugnat, intolerabilis: haud ferenda contrà nos jacula. Quid nobis, & tibi? A tuo partu duravit, quod in nos excivisti bellum: nostris nos possessionibus nudasti. Viderunt te natum Magi, nobisque in fugam actis, adoraverunt. Loquentem audierunt publicani, & nostram vectigalium tractationem defugiunt. Meretrices prædas nostras tibi per pœnitentiam prædatus es. Una nobis reliqua erat consolatio, hominum afflictationes: & ab his deliciis nos divellis. Ibi fractos paralysi constrinxisti: ibi surdos à miseria liberasti: ibi cæcis solares radios reddidisti: ibi mortuos è monumentis exolvisti: mortis carcerem, quem tàm laboriosè exædificavimus, ruinosum reddidisti, &c.]

Lucæ 8.

** Prosopopeja. Figura.*

Orat. 23.

Dæmonum querela ad Christum eos ejicientem.

6 Viduam alloquens *S. Zeno* novas nuptias expetentem, ait. [Ubi amor, qui in æquo, unitoque conjugio, è duo-

Serm. de Contin.

duobus altero supervivente, non moritur? Tu nè non illa es, quæ mariti corpus expositum lavasti lachrymis, osculis detersisti, crinium damno velasti, scissis genis, livore fœdatis uberibus, sordido plùs pulvere tecta, quàm veste? Tu, inquam, non es, quæ nunc Cœlum ipsum ululatibus rumpens, post talem maritum puncto temporis vivere te non posse clamabas: nunc elusis dolore gemitibus, sæpè mortua spiritu, labentibus membris ad terram, incertas reddebas exequias: cui magìs lachrymas commodarent, mortuo nè, an morienti? Post hæc si libet nubere, omnia illa mentita es.]

Viduæ sæpiùs prioris Viri luctum, novis nuptiis obliviscuntur.

7 Valdè ad rem amplificandam conferunt ea, sivè commoda, sivè ærumnæ, quæ illam semper, aut frequentèr comitantur. Et hic modus non admodùm distat à Circumstantiis. Aptissimè igitur eo usus est *Cyprianus* loquens de interna, quam experiuntur, afflictione, Viri divitiarum. [Sed, & quos divites opinaris continuantes saltibus saltus; & de confinio pauperibus exclusis, infinita, ac sinè terminis rura latiùs porrigentes: quibus argenti, & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium, vel extructi aggeres, vel defossæ strues. Hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ solicitudo discruciat, nè prædo vastet, nè percussor infestet, nè inimica cujusque locupletionis Invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo, somnusque contingit. Suspirat ille in convivio: bibat licèt * gemmas: & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit; vigilat tamen in pluma: nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri: & possideri magìs*, quàm possidere divitias, atquè opes.]

Epist. ad Donat.

Dives divitiis suis vexatus.

* *Metonymia. Continentis pro contento.*

Auro ligatus possidetur, non possidet.

8 De Potentibus, ac Dignitatum culmine elatis, idem censendum subdit.post pauca *Cyprianus*. [An tu, vel illos putas tutos: illos saltèm inter bonorum infulas, & opes largas stabili firmitate securos, quos Regalis aulæ splendore fulgentes, *armorum* excubantium tutela circumstat? Major illis, quàm cæteris metus est: tàm ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas paritèr de potentiore sublimitas: sit licèt satellitum manu septus, & clausum, ac protectum latus numeroso stipatore tueatur, quàm securos non sinit esse subjectos, tàm necesè est non sit, & ipse securus. Antè ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles: arridet, ut sæviat: blanditur, ut fallat: illicit, ut occidat: extollit, ut deprimat. Fœnore quodam nocendi, quàm fuerit amplior summa

Ibid.

Potentes metum aliis incutientes, non à metu liberi sunt

ma dignitatis, & bonorum, tàm major exigitur usura poenarum.]

9 Concomitantibus sociantur, quæ Virt uti, vel Vitio adjacent velùt proprietates, ideò rem opportunè amplificantes. Undè *Hildelbertus* de Virtute Charitatis scribit. [Eâ nihil est diffusius: par enim latitudo est Charitatis, & Mundi. Charitas amplectitur quidquid Oceanus: Charitas in Sacrario dilectionis, & amicum colligit in Deum, & inimicum proptèr Deum. Eadem diligere non desinit cùm diligi desinitur: omnes habet præsentes, omnes affines: quibus non potest obsequio, subvenit affectu. Absit igitur, ut publicum Charitatis beneficium, maris mihi fluctibus auferatur, cum scriptum sit: aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem. Facile enim est, ut diversi littoris cultores Charitas uniat, quæ unam Rempublicam Terram facit, & Cœlum.]

Charitatis amplitudo, distantia unit.

Epist. 21.

10 In livorem acerrimè, etiam invehitur *Salvianus.* [Atquè utinàm hoc, licèt sit pessimum malum, utinam Cives tantum, atquè vicini. Illud est gravius, quod nec propinqui quidèm propinquitatis jura conservant. Quis enim se proximis suis proximum reddit? Quis solvit Charitati, quod se agnoscit debere, vel nomini? Quis hoc est animo, quod vocatur? Quis tàm propinquus corde, quàm sanguine, in quo non lucidus malevolentiæ zelus ardet: cuique non sensum livor invasit: cui non prosperitas aliena supplicium est? Quis non bonum alterius malum suum esse credit? Cui ita sufficit felicitas sua, ut etiàm alium velit esse felicem? Novum, & inæxtimabile nunc in plurimis malum est: parum alicui est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix.]

Livoris virus latè diffusum.

Lib. 5. de Guber.

11 Elegantiùs hic modus tractatur, quando concomitantia speciem præferunt proprietatum oppositarum. De Hypocrisi *Cyprianus* hæc habet. [Subtilissimum malum proprio laqueo hypocritam jugulat, & propriis armis Sanctitatem impugnat. Castigatio carnis spiritum inflat: & macies corporis extenuatum arrogantem impinguat: contemptûs venerationem veneratur: fames, & calamitas laudibus saturatur. Mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, & occupata hac scabie in ulceribus gloriatur. Religio fit superstitio, & succedit ei ambitio subornata. Extincto spiritu, quatriduano cadaveri solæ supersunt exuviæ: Virtutis speciés exanimis, & Simulachrum Sanctitatis.]

Hypocrisis Vitium, Virtutum exercitio, Virtutes perdit.

Ser. de Jejun. & tent. Chr.

12 Impudentiam verò eorum, qui nomen Christiani operibus deturpant notat *S. Zeno* ad ea verba: *Misericordiam,*

Ser. de Ps. 100. *diam, & Judicium cantabo tibi Domine*. [Ambiguos utiquè Christianos designavit, ac lubricos, qui inter pios, impiosque sunt medii, nullam partem tenentes ad plenum, cùm utramque tenere non desinunt. Fideles non sunt, quia habent aliquid infidelitatis insertum: Infideles non sunt, quia habent imaginem Fidei: professione Deo, factis sæculo servientes. Volunt nosse Legem, nolunt ejus præcepta servare. Signum salutare venerantur: & tamen à ministeriis Dæmonum non recedunt. Multos namquè Dei metus in Ecclesia continet: sed tamen eos mundana voluptas ad se trahit. Impii non manent, quia his Dei Nomen in honore est: Pii non sunt, quia Patrem venerandum pravis moribus lædunt. Orant, quia timent: peccant, quia volunt, &c.] Ambigui Christiani factis negantes, quod voce fatentur.

13 Quæ additur *D. Ambrosii* de nuptarum ærumnis, plena est vivacitatibus amplificatio ex comitantibus. [Conferamus, si placet, bona mulierum cum ultimis Virginum. Jactet licèt fœcundo se mulier nobilis partu, quò plures generaverit, plùs laborat. Numerat solatia filiorum: sed numerat paritèr, & molestias. Nubit, & plorat: qualia sunt vota, quæ flentur? Concipit, & gravescit: priùs utiquè impedimentum fœcunditas incipit afferre, quàm fructum. Parturit, & ægrotat: * Quàm dulce pignus, quod à periculo incipit, & in periculis desinit, priùs dolori futurum, quàm voluptati: periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi, & copulandi? Felicium sunt istæ miseriæ: habet mater hæredes, sed auget dolores. Nam de adversis non oportet dicere, ne Sanctissimorum parentum animi contremiscant.]

Lib. 1. de Virgin.

Nuptarum in ipsa gaudiorum affluentia, infelicitas.

* *Ironia, & Irrisio.*

SECTIO VI.

Ex Consequentibus, & Enumeratione Partium.

1 X Consequentibus, sivè per modum effectûs, sivè cujuscumque sequelæ, abundè etiàm res amplificari potest per Ratiocinationem, quasi per scientiam à posteriori. Ideòque *Chrysostomus* theatri mala, & carceris bona priùs amplificat ex consequentibus. [Sed si vis, iterùm alitèr inquiramus illa loca. Vellem te occurrere viro à Theatro venienti, & alteri è carce-

Carceris bona ex comparatione malorum è Theatri spectaculis.

To. 3. Hom. 42. in Acta.

re egredienti: & videris illius animam fastidientem, turbatam, verèque constrictam: hujus autem solutam, promptam, & ferè alatam. Nam ille à theatro recedit oculis mulierum, quæ illìc, adstrictus, quovis ferro graviora ferens vincula: nempè loca, quæ illìc, verba, habitus. Qui autem è carcere, ab omnibus liberatus, non jam putabit se aliquid grave pati, sua cùm alienis comparans, quòd non est ligatus gratiam nunc habet, contemnit humanas res, &c.] Hoc modo amplissimè dilatari potest Dinæ levitas dùm egressa, ut mulieres Regionis videret, à Principe Sichem visa, adamata, rapta, curiositatem incautam pudoris jacturâ pependit. Indè ardens fratrum furor, inexorabilis incestûs vindicta, communis civium strages, aliaque mala sequuta. Similitèr amplificavit Moyses meritum apud Deum per obedientiam mandatorum ejus, & culpam inobservantiæ ex innumeris bonis, suppliciisque exindè sequentibus. Et Samuel gravissimum prædixit jugum populo Regem petenti ex Regii juris effectibus, ut eum ab importuna petione revocaret, quod tamen non obtinuit.

Dinæ levitas in aliena Regione lustranda.

Gen.34. Chrysost. in 1. hom. 40. in Genes. Deuter.28. 1.Reg.8.

2 Ex consequentibus effectibus Invidiæ malum *Cyprianus* exaggerat. [Qualis verò animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero, vel virtutem, vel felicitatem? idest odisse in eo, vel merita propria; vel beneficia Divina: in malum proprium bona aliena convertere: illustrium prosperitate torqueri: aliorum gloriam facere suam pœnam, velùt quosdam pectori suo admovere carnifices: cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta, malivolentiæ ungulis pulsent. Non cibus talibus lætus, non potus pòtest esse jucundus: suspiratur semper, & ingemiscitur, & doletur: dumque ab invidis nunquàm livor exponitur, diebus, ac noctibus pectus obsessum sinè intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum: & quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro. In latrone conquiescit scelus, homicidio admisso: & prædoni rapacitatem statuit præda possessa: & falsario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanens jugitèr malum, & sinè fine peccatum: quantòque ille, cui invidetur, successu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium, livoris ignibus, inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, efferata convicia, manus ad cædis violen-

Invidia Invidum torquet.

Ser. de zelo, & livore.

Omnia Vitia terminum habent.

Invidia semper permanens malum.

lentiam prompta, etiamsi à gladio interìm vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.]

3 Festiviori tamen calamo ex effectibus bonum Martyrii amplificat idem S. Martyr *Cyprianus*. [Durat fortis, & stabilis religiosis meditationibus fundata mens, & adversùs omnes Diaboli terrores, & minas Mundi animus immobilis perstat, quem futurorum Fides certa, & solida corroborat. Clauduntur oculi in persequutionibus terræ, sed patet Cœlum: minatur * Antichristus, sed Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso Mundus eripitur, sed restituto Paradisus exhibetur: vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hìnc lætum, exire inter pressuras, & angustias gloriosum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & Mundus: & aperire eosdem statìm, ut Deus videatur, & Christus. Tàm felicitèr migrandi quanta velocitas? terris repentè subtraheris, ut in Regnis Cœlestibus reponaris.]

Lib. de Exhort. ad Mart. prope fi.

Quāta ex Martyrio bona.

* *Epithetum.*

4 Ex jis autem, quæ antecedunt, & quæ sequuntur, Amplificatio procedit. Undè *S. Thomas* maximum fuisse Christi dolorem in passione colligit ex quatuor motivis, quorum primum pertinet ad locum ex antecedentibus, secundum, & tertium ex comitantibus, quartum ex effectibus, sivè consequentibus. [Uterque autem dolor (*scilicèt interior, & exterior*) in Christo fuit maximus inter dolores præsentis vitæ: quod quidem contigit proptèr quatuor. Primò quidèm proptèr causas doloris. Nam doloris sensibilis causa fuit læsio corporalis, quæ acerbitatem habuit tùm proptèr generalitatem passionis, de qua dictum est: tùm etiam ex genere passionis: quia mors confixorum in cruce est acerbissima, quia configuntur in locis nervosis, & maximè sensibilibus, scilicèt in manibus, & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis continuè auget dolorem, & cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statìm moriuntur, sicùt hi, qui gladio interficiuntur. Doloris autem interioris causa fuit primò quidèm, omnia peccata humani Generis, pro quibus satisfaciebat patiendo; undè ea quasi sibi adscribit dicens in psal. 21. Verba delictorum meorum. Secundò specialitèr casus Judæorum, & aliorum in ejus morte delinquentium, & præcipuè Discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione. Tertiò etiam amissio vitæ corporalis, quæ naturalitèr est horribilis humanæ Naturæ.]

Christi Domini in passione dolor maximus ex condicione corporis.

3. par. qu. 46. a. 6.

Ex Judæorum peccato, & discipulorum scandalo.

5 Statìm verò idem amplificationis genus prosequitur

ex concomitantibus.[Secundò poteſt magnitudo doloris ejus conſiderari ex perceptibilitate patientis, & ſecundùm animam,& ſecundùm corpus.Nam ſecundùm corpus erat optimè complexionatus,cum corpus ejus fuerit formatum miraculosè operatione Spiritus Sancti:ſicut,& alia,quæ per miracula facta ſunt,fuerunt aliis potiora;(ut Chryſoſt.dicit de vino,in quod Chriſtus aquam convertit in nuptiis)& ideò in eo maximè viguit ſenſus tactûs, ex cujus perceptione ſequitur dolor,Anima etiam ſecundùm vires interiores efficaciſſimè apprehendit omnes cauſas triſtitiæ. Tertiò magnitudo doloris Chriſti patientis poteſt conſiderari ex doloris, & triſtitiæ puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur triſtitia interior,& etiam dolor exterior ex aliqua conſideratione Rationis, per quamdam derivationem, ſeù redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores. Quod in Chriſto patiente non fuit: quia unicuique virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium, ſicut Damaſcenus dicit.]

Ex doloris puritate, nullo ſolamine alleviati.

Ex magnitudine fructûs indè ſequuti.

6 Concludit denique ex conſequentibus. [Quartò poteſt conſiderari magnitudo doloris Chriſti patientis ex hoc, quod paſſio illa,& dolor à Chriſto fuerunt aſſumpta voluntariè proptèr finem liberationis hominum à peccato. Et ideò tantam quantitatem doloris aſſumpſit, quæ eſſet proportionata magnitudini fructûs, qui indè ſequebatur, &c.]

7 Commodè inſupèr amplificationi deſeruit Ratiocinatio procedens per enumerationem partium, ſcilicèt multorum ad unum integrandum quoquo modo tendentium. Sæpè reperitur in Scriptura hujuſmodi amplificatio per enumerationem partium,ſivè verè talium,ut de Behemoth, & de Leviathan: ſivè quæ partium ſimilitudinem habent, eoquòd ſimùl ſumptæ integrant aliquid accidentalitèr, vel moralitèr unum: quemadmodùm enumeratis pluribus locis, in quibus à Deo abſcondi nequimus, ſequitur hoc unum, non poſſe à Deo abſcondi. Et excluſis pluribus modis fugiendi, infertur, neminem quoquo modo poſſe à Deo fugere. Undè Prophæta. Ecce ego ſtridebo ſuper vos, ſicùt ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſalvabit animam ſuam, & tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſalvabitur, & aſcenſor equi non ſalvabit animam ſuam: & robuſtus corde inter fortes,&c. Qui alibì addit. Si deſcenderint uſquè ad infernum, indè manus mea educet eos: & ſi aſcenderint uſquè in Cœlum, indè detraham eos. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, indè

Job. 40 & 41.

Nemo Deum fugere poteſt.

Amos 2.

Amos 9.

ſcru-

ſcrutans auferam eos: & ſi cælaverint ſe ab oculis meis in profundo Maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos: & ſi abierint in captivitatem coràm inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos.

8 Calamitatem Patriarchæ Jacob pro nunciata ſibi morte Joſeph, amplificat *Chryſoſtomus* enumeratis omnibus, quæ maximum in Paterno pectore dolorem reddunt. [Cùm autem adoleviſſet amantiſſimæ uxoris filius, ſolarique illius deſiderium hujus præſenti, & jugi contubernio ſperaret, tùnc ſibi multiplices parantur clades: Fratres enim illius tunicam intinctam ſanguine Patri oſtendentes, vario illum luctu confecerunt. Nequè enim ſolam lugebat mortem, ſed ipſum quoquè mortis genus: plurimaque erant, quæ illius animum confunderent, ac penè in deſperationem præcipitarent: Quòd amatæ illius filius, quòd melior reliquis, quòd maximè dilectus, quòd in ipſo ætatis flore, quòd ab eo miſſus, quòd nequè in domo, nequè in lecto, nequè Patre coràm aſſiſtente, nequè dicens aliquid, & audiens: quòd non communi morte omnium, quòd vivens à ferarum immanitate diſcerptus fuerat: quòd nè reliquias quidèm illius reperire poterat, & humo condere: quòd iſta illi non in juventute contigiſſent, quando meliùs ferre potuiſſet, ſed ſenectute ultima. Eratque miſerandum ſpectaculum, videre canos verendos pulvere fœdatos, ſenileque pectus, diſciſsâ tunicâ, nudatum, lamentaque admittentia conſolationem nullam, &c.]

To. 5. Lib. 2. de Provid. Dei.

Jacob dolendi ratio pro Filii putata morte.

9 At verò *Salvianus* Aquitanicæ Provinciæ feracitatem, amœnitatemque eadem arte amplificat. [Nemini dubium eſt, Aquitanos, ac Novem Populos, medullam ferè omnium Galliarum, & uber totius fœcunditatis habuiſſe: nec ſolum fœcunditatis, ſed quæ præponi interdùm fœcunditati ſolent, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. Adeò illìc omnis admodùm Regio * aut intertexta vineis, aut floſulenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfuſa fluminibus, aut * crinita meſſibus fuit: ut verè poſſeſſores, ac Domini terræ illius, non tàm ſoli iſtius portionem, quàm Paradiſi imaginem poſſediſſe videantur.]

Lib. 7. de Guber.

Aquitanicæ Provinciæ feracitas.

* *Polyſyndeſis. Figura.*

* *Metaphora.*

10 Qui poſt expenſas Reproborum pœnas, Gloriæ præmium benè operantibus paratum eodem modo amplificat. [Cogitantes quoquè inter hæc horrenda, & pœnaliſſima, alia hìc præclara, ac beatiſſima: novos ſcilicèt Cœlos, & novam Terram, vultum rerum omnium pulchriorem, æter-

Lib. 2. ad Eccl.

Beatitudinis felix jucunditas.

æternum Juſtitiæ habitaculum, recens ædificium creaturarum: aureas ſupèr Cœlos Sanctorum omnium domos: aulas, gemmis intermicantibus, expolitas, & immortalium metallorum fulgore pretioſas: lucem illìc ſeptulùm illuſtriorem, puniceo ſemper ſplendore radiantem: beatitudinem ineffabilibus donis divitem, lætam cum incolis ſuis perennitatem, &c.]

SECTIO VII.

De Amplificatione per Congeriem in Verbis, & ſententiis.

1 POſtremus ex Quintiliano amplificandi modus eſt per Congeriem aliquantò diverſam ab ea Figura, quam Græci Συναθροισμὸν vocant: hæc enim importat plures res uno impetu prolatas: illa verò ad præſens ſpectans multiplicat verba, vel ſententias ad ejuſdem rei amplificationem. Sicùt autem de Schematibus propria ſede tractantes, Congeriem in verbis à Congerie in ſententiis diſtinguemus: idem, & hìc ſervantes Amplificandarum rerum ex Congerie in ſententiis priùs, in verbis deindè, demùm in utriſque exempla promemus. *Synathriſmum.*

2 In Septem Machabæorum Fratrum Genitrice pectoris robur *Nazianzenus* amplificando commendat. [Cujus animi robur, atquè conſtantiam nihil flectere, & emollire, ac debilitare potuit. Non inſtrumenta luxandis artubus accomodata, quæ in medium proferebantur: non rotæ, quæ proponebantur: non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera: non ferrearum ungularum acies: non furentes beſtiæ: non enſes, qui acuebantur: non ferventes ollæ, non ignis, qui excitabatur: non Tyranni minæ, non urgens ſatelles, non generis aſpectus: non membra, quæ diſcerpebantur: non carnes, quæ lacerabantur: non defluentes ſanguinis rivi: non juvenilis ætas, quæ abſumebatur: non præſentia mala, &c.]

Matris Septem Martyrum Machabæorum cōſtantia. *Orat. de Machab.*

3 Judicialis Fori diſſidia, & non æquas Juſtitiæ* lances amplificat per Congeriem *Cyprianus*. [Inciſæ ſint licèt Leges duodecim Tabulis, & publicè ære præfixo, Jura præſcripta ſint: inter Leges ipſas delinquitur, inter Jura peccatur. Innocentia nec illìc, ubi defenditur, reſervatur. Sævit in-

** Metonymia. Inſigne pro Dignitate.* *Epiſt. ad Donat.*

invicèm discordantium rabies, & inter * togas pace rupta, forum litibus mugit insanum . . . . Hìc testamentum subjicit, ille falsum capitali fraude conscribit. Hìc arcentur hæreditatibus liberi, illìc bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, Calumniator impugnat, Testis infamat: utrobiquè grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cùm interìm nocentes, nec cùm innocentibus pereunt. Nullus de Legibus metus est, de Quæsitore, de Judice pavor nullus. Quod potest redimi, non timetur. Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est: malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere Jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est. Quis illìc rerum pudor: quæ esse possit integritas, ubi qui damnent improbos desunt, soli tibi, qui damnentur, occurrunt?]

* Eadem Metonymia.

Fori dissidia, quæstus illiciti, delicta impunita.

4 Impudicitiæ verò mala idem *S. Martyr* amplificans, ait. [Blanda priùs, ut plùs noceat, dùm placet, exhauriens rem cum pudore: hostis Continentiæ frequentèr perveniens ad sanguinem, cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia Generis, expugnans sanguinis, & familiæ fidem, alienis affectibus suos inferens filios, in aliena testamenta sobolem ignoti, & corrupti Generis inducens. Quæ plerumquè extrà sexum ardens, dum se non continet intrà concessa, parùm sibi putat satisfactum, nisi in virorum quoquè corporibus non voluptatem novam quærat, sed extraordinaria, & portentosa, contrà ipsam Naturam, ex viris per viros monstra conquirat.]

" *Opusc. de discipl. & bono Pud.*

Libido in fœminas, virosquè indiscretè improba.

Ibid. 5 Postmodùm autem in Virginitatis laudes idem *Cyprianus* diffunditur. [Virginitas verò, & Continentia extrà Jus omne sunt. Nihil ad Virginitatem de Matrimoniorum Legibus pertinet, altitudine sua trascendit omnes. Si ulla prava, hominum Leges ausa supergredi, conantur, Virginitas æquat se Angelis; si verò exquiramus, etiam excedit: dùm in carne luctata, victoriam etiam contrà Naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud est, quàm futuræ vitæ gloriosa meditatio? Virginitas neutrisexûs est: Virginitas perseverans infantia: Virginitas est voluptatum triumphus. Virginitas filios non habet, sed quod plùs est, filiorum contemptum habet: non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem. Felix quòd est extrà partûs dolorem: felicior autem quòd est extrà funerum calamitatem.]

Virginitatis laudes de carne triumphantis, etiam Angeli prærogativam excedentis.

6 Per Congeriem in verbis, sivè singulis, sivè conjun-

ctis, singularem, ad rem augendam, vehementiam sortitur Amplificatio. *Cyprianus.* [Passìm discurritur, rapitur, occupatur, prædandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio, nulla formido est. Quasi liceat, quasi oporteat: quasi ille, qui non rapit, damnum, & dispendium proprium sentiat, sìc unusquisque rapere festinat.] Et alibì exaggerat, optandum de Mundo egressum, ubi tot vitiis difficile est non succumbere. [Cæterùm quid aliud in Mundo, quàm pugna adversùs Diabolum quotidiè geritur? Quàm adversùs jacula ejus, & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est: cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & undiquè Diaboli infestatione vallata, vìx occurrit singulis, vìx resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat.] *Sedulius* exprobrans Judæ proditionis scelus, acuminatis his verbis per congeriem tam horrendum facinus ferit.

Improborum impudentia in malis perpetrãdis.

Opusc. adv. Demetr.

Lib. de mortal.

Vita Hominis, continua cum vitiis lucta.

In Judam invectiva.

Tu nè cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor, immitis, fere, proditor, impie, latro,
Prævius horribiles comitaris signifer enses?

Lib. 5. in Opus Pasch.

7 Prophani Amoris inconstantiam explicans *S. Zeno*, ait. [Hic ubiquè turbulentus, ubiquè furor insanus. Promittit, dat, tollit, nunc tristis, nunc hilaris, nunc humilis, nunc elatus, nunc ebrius, nunc jejunus, nunc accusator, nunc reus. Jocatur, ludit, pallet, tabet, suspirat, zelat, obsequitur: aut tentat, aut decipit, pejùsque blanditur, quàm furit. Occasionem nullam prorsùs nocendi non præterit. Vultis scire, quod malum est? In ipso fructu suo se ipse odit.] Et de Avaritia *Prudentius* loquens.

Prophani Amoris inconstãtia.

Ser. de Fide, Spe, & Char.

Avaritiæ comites.

Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides Furiæ Monstri comitatus aguntur.

Psycom. Sect. 7.

De Incarnato Verbo sic gravissimè canit *Sedulius.*

Divini Verbi cum Patre Æqualitas.

. . . . Cui jure perenni
Arcibus Æthereis una est cum Patre potestas,

Lib. 1. in Opus Pasch.

Par

Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Æquus honor, Virtus eadem, sinè tempore regnum,
Semper Principium; Sceptrum juge, gloria concors.

8 Iterùm audiendus de Pudicitia disserens *Cyprianus*. [Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, flos castitatis, pax domûs, concordiæ caput. Pudicitia solicita non est cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda, dùm innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur solo pudore, benè sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displiceat. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, convertit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit. Beata ipsa, & beatos efficiens apud quoscumque habitare dignatur. Quam nunquàm accusare possunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hostibus suis, dùm illam multò magìs mirantur, qui eam expugnare non possunt.]

Opusc. de discipl. & bono Pud.

Pudicitiæ plurimæ laudes.

Beatum faciens possidentem

SECTIO VIII.

De aliis rationibus amplificandi ex Circumstantiis.

1  Lenissimè à Circumstantiis ducitur Amplificatio, de quibus plura in locis Oratoriis; hìc addimus, ad eas opportunè reduci posse speciales amplificandi modos octo allatos ex Aristotele à *P. Laurentio le Brun Soc. Jesu*, cum videlicèt amplificatur gestum ex eo, quod operans fecerit solus, Primus, cum paucis, Magnanimitèr, tali tempore, vel occasione, sæpiùs, indè honorem sit consequutus, & tandem quod proptèr conditionem personæ, aliis præponatur. Hanc verò eruditi Rhetoris ponderationem imitabimur, nonnulla addentes ex paupere nostro penu, ad uberiorem noticiam, & sepositis, quibus utitur, sæcularium eruditionum exemplis, Sacra pro instituti ratione substituemus.

To. 1. Eloq. Poët. Lib. 5. cap. 1

Modi singulares amplificandi.

2 Factum itaquè alicujus primò amplificari potest ex eo, quòd cum arduum esset, quis *solus* illud gessit. Cujus commodam exhibet rationem, quod dicitur de Judith: Erat-

Judith fortis animus in præsenti discrimine.

que Judith *sola* in cubiculo. Porrò Holofernes jacebat, &c. Cum enim ex obsessa Civitate nullus auderet egredi cum tam immani hoste congressurus: cum nomen tantummodò Holofernis omnibus circùm regionibus, aut desolationi, aut terrori fuisset, deditis nationibus, metu perculsis fortissimis viris: illa Deo fisa, assumptâ famulâ non ad auxilium, sed ad comitatum, tantum facinus sola ausa est, sola Civibus saluti fuit. *Judith.13.*

3 De qua re *Augustinus.* [Nam cum Holofernes ille, Filiorum Israël, imò sui Capitis inimicus, exterarum Gentium sibi jus vendicaret, atquè obsidione, armis, ignibus expugnaret; necnon, & multarum Gentium campos * canis messibus oneratos in cinerem, pascente flamma, converteret: Judith Sanctissima, cujus precibus patuit Cœlum, orationis arte arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, & pavescentes viros Fæmina vindicaret. Squalebat Civitas obsidione barbaræ feritatis: ita enim universa languebant, ut in manibus hostium jam tradi commodius judicarent, quàm perniciosæ famis populatione vexari. Ecce Judith post precem, & saccum, post cinerem, post cultus puellares redit, spes omnium populorum præcedit, solicitos populos redditura securos, suâ sapientiâ consolatur, &c.] *To. 10. Ser. 228. de Temp.*

** Metaphora. De specie ad Genus.*

Spiritualibus armis accincta, obsessam Patriã liberat.

4 Ex eadem Circumstantia Mariæ Magdalenæ factum amplificat *Chrysostomus*. Cùm enim cæteræ mulieres ad Christum accessissent, ut salute corporis donarentur, sola illa ad Cœlestem Medicum venit, ut animæ contagiis mundaretur. Unde ait. [Quocircà post multas mulieres, post Samaritanam, post Chananæam, post eam, quæ fluxum sanguinis patiebatur, alias quoquè quamplures, Jesum adire ausa, quia turpis vitæ conscia, factum est, ut nec publicè, sed in domo, atquè privatìm accesserit. Cumquè cæteræ omnes curationis corporeæ gratiâ adijssent: *sola hæc* ad honorem ei conferendum, & animæ incolumitatem acquirendam, accessit: nulla enim corporis ægrotatione laborabat; unde meritò de animo, atquè affectione ipsius ergà Jesum quispiàm admirabitur.] *To. 2. Hom. 81. in Matth. ini.*

Maria Magdalena ad Christũ pro curatione non corporis, sed animæ accessit.

5 Similitèr Fidem Sancti Latronis commendans *Augustinus*, ait. [Sacrarum manuum in Ligno Crucis extensio, & reverenda confixio, quæ condemnabat Adæ, & Hevæ manus, ad interdictum ligni cibum, ingemiscenda sæculis transgressione, porrectas. Hæc, inquam, confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat. Illisæ per latus lanceæ tre- *Serm. 120. de temp.*

S. Latronis Fides in Christum Cruci affixum.

tremenda percussio quantum ostendebat hominem, tantum abscondebat Deum. Apostolis post Divina miracula desperantibus, *solus hic* non acquiescit scandalo Crucis, & mortis: *solus hic* testis est Majestatis, qui socius probatur doloris, &c.] Petri verò charitatem, humilitatemque in eo, quod *solus* lavari sibi pedes à Christo recusaverit, notat *Origenes*.

In Cat. D. Thom. [Omnes porrigebant pedes, decernentes, quod tantus non irrationabilitèr eorum lavaret pedes. *Solus* autem Petrus nullam aliam considerationem conferens: tanquàm reverens Jesum, non præbebat pedes suos ad lavandum: Sæpè enim Scriptura designavit Petrum fervidum, &c.]

2. Reg. cap. 23. 6 Vel solus fecit, quod plures vix potuissent. Undè laudantur tres Fortes David: alter, qui octingentos interfecit impetu uno: alter, qui percussit Philistæos, donec deficeret manus ejus, & obrigesceret cum gladio: Tertius, qui in agro, fugiente Populo à facie Philistiim, stetit ille in medio agri, & tutus est eum, percussitq; Philistæos. Sic etiam robur Jacob effertur amoventis grandem lapidem, quo puteus Haran claudebatur, & pro quo tollendo plures Pastores convenire consueverant. Fortitudo quoquè Sampsonis ex variis ejus gestis, pro quibus, nec plures robustissimi suffecissent, apprimè ampliatur. *Genes. 29.*

Exod. 17. 7 Dici etiam potest *solus* facere, sinè quo alii nihil facerent, adeoquè illi gestum singularitèr attribuitur. Unde non tàm Hebræis in acie dimicantibus, quàm Moysi oranti in vertice montis victoria contrà Amalecitas, Josue Duce, adscribitur. Ideòque *Chrysostomus*. [Pugnabat cum hostibus absens, cum externis sinè bello decertabat: ut quem loci diversitas ab inimicis sejunxerat, orationis effectus bellatorem præsentem hostibus exhiberet. Fit, Moyse orante, occulta pugna, sed manifesta victoria: latentèr dimicat, ut evidentèr devincat: *solus* orat, ut multi salventur, &c.] *Moysi Oranti, & non Josue pugnanti Victoria tributa.* *To. 1. Ser. de Moyse.*

8 Insupèr ex eo, quod aliquis solus velit pati supplicium, ut alii non puniantur, hujusmodi Amplificatio procedit. Quemadmodùm Paulus protestabatur: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. De quo *Chrysostomus*. [Verùm Paulus maximè in hoc excelluit. Alii namquè omnes, suis omissis bonis, proximorum malis communicare non recusarunt. Paulus autem longè majora aggressus est. Non enim simplicitèr voluit aliorum calamitatibus participare, sed maximas ipse subiit, ut cæteri benè haberent. Non enim par est, ut qui deliciis fruitur, his abiectis, malis sponte sua se objiciat: & ipse *Ad Rom. cap. 9.* *Tom. 4. Hom. 25. in 1. ad Cor.* *Pauli Charitas in se mala cupientis pro aliorum bono.*

ipse tantùm calamitatibus affectus, cæteros in quiete,& honore constituat. Hoc enim in loco etsi magnum sit, bona malis, proximi gratiâ, permutare: tamen non parum affert consolationis, si calamitatis socii habeantur. Quod autem quispiam velit *solus* miser esse, ut alii bonis fruantur, id multò præstantioris animi est, & solius Pauli sapientiæ.] Paulo tamen Rebeceam dicentem: In me sit ista maledictio fili mi, comparavit *Chrysostomus*. [Sed & filio, dum rem diligentiùs pensiculatur, hæsitanti, nè maledictio hæc invadat inquit. Vides etiam in fœmina Apostolicam mentem: quemadmodùm enim Paulus (ut intereà magnis parva conferamus)pro Judæis fieri anathema optabat: ita hæc, ut benedictione Filius potiretur, maledictionem ferebat ipsa: & bonis Filio cædens (nequè enim ipsa benedictionem affectabat) mala subire *sola* parat: & festinat interìm, & gaudet, periculo tanto imminente, &c.]

Gen. 27. Tom. 4. Hom. 33. in 1. Cor. 13.

Rebecca se maledictioni offert ut Filio benè consulat.

9 Factum tandem magìs amplificatur ex eo,quod quis nedùm *solus*, verumetiàm infirmiori instrumento peregit. Sic præcipuè in Divinis Scripturis laudantur Samgar filius Anath, qui percussit de Philistæis sexcentos viros *vomere*. Et Sampson, qui inventam *asini mandibulam*, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros. Et David, qui prævaluit adversùs Philistæum *in funda, & lapide*. Et hoc eovelmaximè, si ad opus magnum patrandum quis adhibeat instrumentum, quod ad contrarium effectum ordinatur. Undè *Augustinus* loquens de Judith. [Exorata consurgens, abluit aquâ corpus suum, imponens sibi ornamentum:pendulas aureas divitias suspendit, & manibus lapillatos circulos splendentes induxit:fluentes sinus purpureæ vestis gemmato collegit pectore, casto vultu priùs dimicatura, quàm ferro. *Monilium tela pudori semper adversa, Hostem ferire didicerunt*. Gentis suæ vindex sumpsit ornamentorum arma, non de bello nuptias subitura,sed de Civitate bellatrix procedit sponsa, &c.]

Judic. 3. Ibid. cap. 15.

Tom. 10. Ser. 229. de temp.

Judith ornatu utitur ad Hostem oculis capiendum.

Monilium tela pudori adversa, pro pudore militant.

10 Secundus ex recensitis amplificandi modis est ex circumstantia *Primitatis*: quia videlicèt primus fecerit rem magnam à nemine illùcusque tentatam. Unde parantibus se Israëlitis ad pugnandum contrà Filios Ammon:dixerunt Principes Galaad singuli ad proximos suos: qui *Primus* ex nobis contrà Filios Ammon cœperit dimicare, erit Dux Populi Galaad. Et scandentibus servis David per militares scalas arcem Sion, ascendit *primus* Joab filius Sarviæ, & factus est Princeps. Rursùs adversùs Lysiam Bethsuræ præsidium

Judic. 10. 1. Paral. cap. 11. 2. Machab. cap. 11.

dium impetu validiſſimo oppugnantem, cùm ſub Juda Populus Hebræus procederet: Et ipſe *primus* Machabæus ſumptis armis cæteros adhortatus eſt periculum ſubire, & ferre auxilium fratribus ſuis.

11 Eſt enim hæc præcipua laus ſe primum periculis exponere, aliorum bono conſulentem. Unde animi magnitudinem in Jacob notat *Chryſoſtomus* ex Meſopotamia redeunte; Dum ſiquidèm impedimentorum copiâ, aliò flectere ex cœpto itinere non liceret, & à Fratris occurſu ſe ſubducere, Uxorum, ac Liberorum amore impellente, ante omnes progreſſus eſt, ut Fratris furorem remoraretur. [Quod porrò meticuloſus fuerit, ex eo liquet, quod dùm Eſau fratrem præſtolaretur, timore penè exanimabatur. Sed vide quî rurſus timidus ille, Charitate ſuſcitante, Leone quovis animoſior evadat: propugnaculum enim quoddam ſeipſum ante cæteros omnes locans, paratus erat ferum illum, & minas (quemadmodùm ſuſpicabatur) ſpirantem, excipere *primus*, & ſuo ipſius corpore parare uxoribus ſalutem: & quem domi timebat, quem horrebat, intueri *primus* in acie ſtudet: erat terrore major, ſcilicèt ille in uxores amor.]

Jacob Charitate in Uxores, & Filios ductus, primus Fratri occurrit.

Tom. 4. Hom. 33. in 1. Cor. 13. ad fin.

Joan. 13.

12 Super ea verba: Cœpit lavare pedes Diſcipulorum, & extergere lintheo, quo erat præcinctus, ſentit *Auguſtinus* Petro primùm ablutos pedes fuiſſe. [Faciliùs quippè ſic accipiuntur iſta verba Evangelii. Quia cum dictum eſſet: Cœpit lavare pedes Diſcipulorum, & extergere lintheo, quo erat præcinctus; deindè ſubjunctum eſt: Venit ergo ad Simonem Petrum, quaſi aliquibus jam laviſſet, & poſt eos veniſſet ad Petrum. Quis enim neſciat, primum Apoſtolorum eſſe Beatiſſimum Petrum? Sed non ita intelligendum eſt, quod poſt aliquos ad illum venerit, ſed quod ab illo cœpit: quando ergò pedes diſcipulorum lavare cœpit, venit ad eum: à quo cœpit, ideſt ad Petrum.] Ex quo amplificari poteſt Petri dignitas, etiam in hac Salvatoris demiſſione aliis Apoſtolis prælati.

Tom. 9. Tract. 56. in Joa.

Petro primùm Chriſtus pedes lavit.

13 Verùm quod Judæ priùs pedes laverit Chriſtus, ea verba interpretatur *Theophilactus*. [Ex quo patet, quod non primitùs laverit Petrum. Ex cæteris verò Diſcipulis nullus tentaviſſet ante Petrum lavari.] Hinc Judæ impudentiam, Petri locum præoccupantis amplificatur. Eſtque adhuc ſenſus *Chryſoſtomi*. [Mihi videtur, primùm eum Proditoris laviſſe pedes: Cœpit, inquit, lavare, & indè venit ad Simonem Petrum . . . . . Quænam eſt cauſa? Arbitror, ante omnes

In Cat. D. Tho.

Tom. 3. Hom. 69. in Joa.

Quod autem primùm Judæ, alii cenſent.

omnes Proditoris pedes lavasse, indè venisse ad Petrum, à quo, & cæteri admoniti sunt, quid esset faciendum. Quod enim alium quempiàm antè laverit, constat cùm dicit: Venit ad Petrum. Sed non est vehemens in accusando Evangelista; id enim verbum, cœpit, alium ante lavasse significat: quòd etsì Petrus primus erat, credibile tamen est, proditorem impudentèr antè Apostolorum Principem discubuisse. Nam, & aliundè impudentia ejus ostenditur, cùm intingeret cum Magistro, & cùm repræhensus minimè compunctus est.] Eamdem *Euthimius* adhibet illis verbis intelligentiam. [Quia lavare cœpit, & postmodùm venit ad Petrum, apparet, quod primùm laverit pedes Ischariotæ, simùl quidem beneficio afficiens, ac honorans proditorem suum usquè ad mortem.]

Super ea verba.

14 Circumstantia porrò hæc Amplificationi quoquè deseruit, cùm in eo notatur, qui in facto celeberrimo, quod de insigni Persona prædicatur, primus excelluit. Sic Stephanus pro Judæis lapidantibus veniam deprecando, *primus* Christi verba ipsa imitatus est. Undè *Augustinus*. [Quomodò enim Christus in Cruce fixus erat, & tamen per viam Charitatis currebat dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt . . . . . . Sic fecit Beatus Stephanus, qui gloriosissimè *primus* Christi vestigia est sequutus. Cùm enim diris saxorum imbribus cæderetur, stans oravit pro inimicis suis, & positis in terra genibus, totis viribus clamavit, & dixit: Domine nè statuas illis hoc peccatum. Si ergò putamus nos non posse imitari Dominum nostrum, imitemur talem Conservum nostrum.] Et alibì. [Quod si Dominum imitari non vis, imitare servum ejus Stephanum, quem, & Apostolum dico: nam ille Dominum imitatus est.]

To. 10. Ser. 61. de temp.

Stephanus primus protulit verba Christi deprecatoria pro inimicis.

Ser. 130. de temp.

15 Cujus etiam laudes prosequens *Augustinus*, ait. [Licèt juxtà Psalmum, qui lectus est, pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: si quid tamen distare inter Martyres potest, præcipuus videtur esse, qui *primus* est. Nam cum Sanctus Stephanus Diaconus ab Apostolis ordinatus sit, Apostolos ipsos beata, ac triumphali morte præcessit: ac sic qui erat inferior ordine, *primus* factus est passione: & qui erat Discipulus gradu, Magister cœpit esse martyrio, complens illud quod Beatus Prophæta in psalmo, qui lectus est, dixit: quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Retribuere enim voluit *primus* Stephanus Martyr Domino, quod cum omni humano Genere ac-

Ser. 5. de Sanct.

Inferior Apostolis Dignitate, prior factus est passione.

accepit à Domino. Mortem enim, quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille *primus* reddidit Salvatori.]

1. Cor. ca. 4. 16 Quia verò Paulus dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi; suo est dignus præconio, qui *primus* Paulum Christi imitatorem æmulatus est S. Pater Ignatius, auditus aliquando dicere: si optio daretur, malle se Beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire, & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori. Heroicum enim hoc simile est Pauli voto dicentis: Optabam enim ego ipse anathema esse à Jesu pro fratribus meis. Cujus sensum penetrans *Chrysostomus* exponit. [Propterea discrucior, ait, ac si diceret: vellem ab eo Choro separari, qui Christum circumdat, non ab ipsius amore. Absit hoc, quandoquidem propter amorem hæc faciebat. Sed & illa fruitione, & gloria privari sustinuerim, ut nè Dominus meus convicio afficiatur . . . . A Cœlorum Regno libens exciderem, & ab illa arcana gloria: tùm adversa omnia tolerarem, maximam omnium existimans consolationem mihi adfore, si ampliùs non audiam conviciis eum affici, cujus amore tantoperè ardeo.] In eo tamen Paulus Christum imitatus est, teste *Nazianzeno*. [Quin etiam majus aliquid pro suis secundùm carnem fratribus ausus est, (ut ipse quoquè aliquid audeam hoc dicens) eos ad Christum loco suo introduci pro sua charitate optat. O ingentem animi præstantiam! O ingentem spiritûs fervorem! Christum, qui nostrâ causâ maledictum factus est, qui infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit, imitatur: aut ut moderatiùs dicam, *primus* post Christum, eorum causâ, etiam tanquàm impius aliquid perpeti non recusat, modò ipsi salutem consequantur.]

S. P. Ignatii de Loyola in proximos, & Dei Charitas.

Ad Rom. cap. 9.

Tom. 4. Hom. 16. in Epist. ad Rom.

Paulus differri sibi gloriam optat pro aliorum salute procurãda.

Orat. 1. Apolog.

Christi egregius imitator.

17 Rursùs additur circumstantiæ *primitatis*, si nedùm *primus* quis fecerit, sed in eo post se imitatorem non habuerit: tantòque magis factum extollitur, quantò ad illud alii, etsi magna audentes, non pervenere. Quanta enim strenuitas trium Fortium David, quos æquare non potuerunt duo robustissimi Viri, videlicèt Abisai trecentorum hostium percussor: & Banajas Leonis jugulator, & spolium referens de prostrato Ægyptio, cujus statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam, ut liciatorium texentium? De utroque tamen subditur: Verumtamèn usquè ad tres primos non pervenerat. Aut certè ita difficilè factum alicujus imitandum, ut penè impossibile videatur. Sic *Ambrosius* amplificat mansuetudinem Joseph in remittenda Fratrum in-

1. Paral. cap. 11.

Joseph lenitas in iniuriis condonandis, ante Evangelii statũ.

injuria, additâ aliâ circumstantiâ, nimirùm non adhùc orta Evangelica luce, sub qua tamen Christifideles mandatum de dilectione inimicorum ægerrimè ferunt. [Jure ergò mirandus, qui hoc fecerit ante Evangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret: quod post Evangelium omnes didicimus, & servare non possumus.] *Lib. de Joseph cap. 1.*

18 Tertius amplificandi modus à prioribus quidèm deficiens, sed aptissimè usurpandus, est ex circumstantia numeri, cùm videlicèt rem quis maximam gerat, adhibitis sibi auxilio paucis. Sicùt Abram quatuor Reges, eorumque exercitus fudit assumptis secùm vernaculis suis trecentis decem, & octo. Gedeon etiam lampadum stratagemmate, ac trecentorum militum manipulo, Castra Madian exturbavit. Jonathas item cum armigero suo stationem aggressus Philistinorum, plures gladio, cunctos terrore prostravit. Trinam autem circumstantiam, nempè quod *solus, primus, cum paucis*, in Athanasio laudat *Nazianzenus*. [Atquè hìc potissimum Athanasius, puritatis suæ, Fideique in Christum firmæ, & constantis specimen edidit. Nam cum cæteri, qui doctrinam nostram profitebantur, trifariàm divisi essent, ac multi circà Filium, plures etiam circà Spiritum Sanctum *, ægram Fidem haberent: (ubi levior impietas, pietatis opinionem ferebat) pauci autem utrimque sani, & incolumes essent: *primus* ille & *solus*, aut *cum admodùm paucis* Veritatem palàm, apertisque verbis publicare non dubitavit, Unam trium Personarum Divinitatem, & Essentiam scripto confessus: & quod multis illis Patribus circà Filium priùs concessum fuerat, idem ipse posteà in asserenda Spirisûs Sancti Divinitate superno afflatu consequutus.]

Genes. cap. 14. *Iudic. ca. 7.* *1. Reg. cap. 14.* *Orat. in laud. Athan.*

* *Metaphora. De Genere ad Genus.*

Athanasii firmitas in Catholica re propugnanda.



SECTIO

SECTIO IX.

Ex eo, quod magnanimitèr: vel Tempore, aut occasione quis fecerit.

1.Mach. 6. 1 
Quartus modus assignatur amplificandæ Virtutis, cùm aliquis magnanimitèr rem gesserit. Qualis Eleazari ausus, de quo Sacer Textus. Et vidit Eleazarus filius Saura unam de bestiis loricatam loricis Regis,&c. De quo alibì adductus *Ambrosius*. Magnanimitèr intèr adversa Evangelium à Paulo prædicatum describens *Chrysostomus*, ait. [Nec pericula enim progressum ejus,aut impetus coërcere potuerunt: non tyrannis quædam inveteratæ consuetudinis: non patrii moris authoritas: non legum potestas:non illa ipsa custodiendi ejus,quod prædicabatur,Evangelii difficultas : nec quidquàm eorum,quæ impedimentum afferre possunt,proficiscentis celeritèr veritatis cursum, aut incidere, aut retardare potuerunt.] Abisai animositas denotatur, cùm David ascendere cogitans ad stationem Saul, & usquè ad Regis tentorium penetrare, ille se comitem obtulit.

Lib.1.Off. cap. 40.

Tom. 3. Hom.4. de laud. Paul.

Paulum nulla pericula terrent in Evãgelii disseminatione.

1. Reg. 26.

2 Vitio amplificando hic etiam modus aptatur, cùm scelus audactèr, & impudentèr admittitur. Loquens ideò *Cyprianus* de quibusdam spontè, firmaque perfidiâ à Fide extorribus, ait. [Non expectaverunt saltèm, ut interrogati negarent,ut thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sinè congressione prostrati ; nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare Idolis viderentur inviti. Ultrò ad forum currere, ad mortem (spiritualem per Fidei abjurationem) spontè properare : quasi hoc olìm cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quid illi, qui à Magistratibus, vesperâ urgente, dilati sunt: quòd nè eorum differetur interitus (scilicèt scelus perfidiæ profitendæ) etiam rogaverunt ? Quam vim potest talis obtendere, qua crimen suum purget, cùm vim magìs ipse fecerit,ut periret ? Nonnè quando ad Capitolium spontè ventum est:quando ultrò ad obsequium diri facinoris accessum est, labavit pes, caligavit aspectus, tremuerunt viscera,brachia conciderunt ?]

Lib. de Lapsis.

A Fide extorres, nec minis tentati.

3 Spectare hùc potest modus amplificandi Virtutem, aut

aut Vitium, cùm quis non attendens quid conditioni suæ convenire videretur, vel scandalum indè proveniens, benè, vel malè propalàm operatur. Hinc meritò exaltat *Ambrosius* in piissimo Theodosio publicam injunctæ pœnitentiæ exequutionem. [Stravit omne, quo utebatur, insigne Regium: deflevit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu, & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam.]

Theodosius publicè pœnitens de peccato.

Orat. fun. in obitu Theodos.

4 Contrà, efficacitèr in obscænissimum Urbis cujusdam morem invehitur *Salvianus* inverecundè peccantis. [Solet res flagitiosa quando agitur occultè, fidem facinoris non mereri: supra omnem autem monstruosi piaculi execrationem est, scelus summum admittere, & pudorem sceleris non habere. Quid, rogo, fieri illìc prodigiosius potuit? In Urbe Christiana . . . . . . quam quondàm doctrinis suis Apostoli instituerant, quam passionibus suis Martyres coronarant, Viri in semetipsis fœminas profitebantur, & hoc sinè pudoris umbraculo, sinè ullo verecundiæ amictu. Et quasi parùm piaculi esset si malo illo malorum tantùm inquinarentur authores: per publicam sceleris professionem, fiebat etiam scelus integræ Civitatis.]

Urbis cujusdam in peccatis impudentia.

Lib. 7. de Gub.

5 Quintus modus amplificandi sumitur à circumstantia temporis, vel occasionis, ut cùm quis tempore maximè necessario, aut perdifficili, sivè etiam inopportuno egregiè fecerit. Hinc mysterio non vacat, quod Sacra Scriptura, præmissis impii Regis Antiochi in Judaicum Populum immanibus factis, subdat: In diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, &c. hoc est eo infelici tempore, quo nemo contrà Regis statuta levare caput audebat: quo Hierosolymis excisis, Templo in prophanos ritus converso, Populis Patriæ legi renunciare coactis: quando cuncti, aut dexteram sacrilego thuri, aut crudeli gladio jugulum porrigebant: eo inquam tempore surrexit Mathathias, cujus magnanima Virtus in Dei Institutis, ac Patriæ juribus vindicandis maximè eluxit. Undè hic modus non tàm alter, quàm prioris extensio in amplificatione alicujus facti videtur.

1. Mach. cap. 2.

Mathathias generosè agens in Patriæ desolatione.

6 Plures Patres hac forma Sancti Latronis confessionem amplificant. Nam *Arnoldus*. [Exacuebant linguas venenatas, blasphemantes Christum Judæi, & conclamabant, & evomebant convicia, & quasi victores insultabant pendenti. Fugerant Apostoli: sola plebs maledicta, firmatis nequàm

S. Latronis Fides difficillimo tempore demonstrata.

Tract. 2. de sept. verb. Dom. in Cruce.

quàm ſermonibus, celebrabat ludibrium: Romanis militibus ſeditionibus tumultuoſis cedentibus, pro poteſtate miniſterium potiùs exhibentibus, quàm conſenſum. Sed, & alter Latro oblatranti plebi conſentiens, quod nec ſe, nec alios ſalvos poſſet facere teſtabatur: irridebatque comparticipem ſuum, qui in eum, quem in eadem ſecùm damnatione videret, ſpem poneret: & nugatorium omninò videbatur, illum credere Regem, vel Deum, quem ſecùm oppreſſerat idem opprobrium, & ſimile tormentum . . . . . Credit, & confitetur, teſtis eſt innocentiæ Chriſti: increpat maledicum, nec ſibi parcit, ſed tantùm accuſator ſui, ſeipſum adversùm ſe, ſententiæ veritate prolata, perſequitur, &c.]

Ibid. 7 Et iterùm *Arnoldus*. [Conſiderare neceſsè eſt quem locum, quem modum, quod tempus hæc cauſa habuerit, & quàm celerem auditum confeſſio meruerit. Quid poſſit pœnitentia, quando bonus Dominus tribulato corde clamantem ad ſe ſervum ſuum, etiam in ultimo peccati puncto non negligat. Hora mortis erat, jamque confitentis anima faucibus hærebat, jamque linguam ejus alligabat anguſtia, illoque articulo temporis ferè ab ipſis Apoſtolis ſalus deſperabatur. Modus paſſionis, crux, inter omnia ſupplicia turpiſſimum, & atrociſſimum: quibus poſtpoſitis, quaſi plagarum, & ſanguinis immemor, * Dictator Evangelii Latro efficitur: & quod perſuaderi illâ horâ difficile erat, Chriſtum Deum in Cruce fatetur: ibi orat, ibi adorat, multa ſimùl pietatis officia complectitur.]

Poſtremâ horâ Chriſti gratiam prædicat, & impetrat.

* *Epithetum.*

To. 10. Ser. 120. de temp. 8 Eleganti ſtylo ipſius quoquè encomia nectit *Auguſtinus*. [Quantum autem ſit in ſpe ſalutis humanæ magnitudo Fidei, & altitudo divitiarum Miſericordiæ Dei, & patientiæ latitudo, oſtenditur, cùm hominem in ſceleribus involutum pœna miſit ad innocentiam, & offenſa perduxit ad gloriam. * Quem ſaluti culpa perdiderat, perditio invenit, cruciatus abſolvit, damnatio conſecravit. Sed non ſinè cauſa tantum meruit. Videamus quo tempore fidelis apparuit. Ecce inter ſigna, atquè virtutes, atteſtantibus miraculis, & acclamantibus, aliquotiès in Diſcipulis mens jàm robuſta titubavit: & nunc Chriſti ſuppliciis quodammodò contradicentibus, in Latrone Fides novella convaluit. Sub ipſo paſſionis tempore ab Ancilla interrogatus unus ex Diſcipulis Beatus Petrus peculiariùs Chriſto cognitus, ita reſpondit: non novi hominem iſtum: & iſte, qui ante non noverat, exclamat: Memento mei Domine cùm veneris in Re-

* *Iſocolon. Figura.*


Chriſtum non ſigna facientem, ſed opprobria perpetientem confeſſus.

Quem Petrus mortis timore negaverat.

Regnum tuum. Quàm singularis, & quàm stupenda devotio! sub illo tempore credidit reus, quo negavit Electus.]

SECTIO X.

Ex eo, quod sæpiùs fecit.

1 Extus modus ponitur ex eo, quod difficile opus non contentus est quis semel egisse, verùm & sæpiùs iteravit. Cujus David manifestum præbet exemplum pluriès hostibus suis veniam elargitus. Sublimitèr etiam *Cyprianus* Fideles in carcere detentos collaudat, quòd sepiùs ad Gentilium Tribunal evocati, promissa libertate abeundi, totiès Fidem infractâ constantiâ professi sint. [Plus vos datis quando Nostri in Oratione meministis: qui spirantes jam sola Cœlestia, & tantùm Divina meditantes, ad fastigia celsiora, morâ ipsâ passionis ascenditis: longoque temporum ductu glorias vestras non trahitis, sed augetis. Beatum facit prima, & una confessio: vos *totiès* confitemini, quotiès rogati, ut de carcere recedatis, carcerem Fide, & virtute prælegistis. Tot vestræ laudes, quot dies: quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit, qui statìm patitur. At qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidiè coronatur, &c.]

Fidelium constans robur in Christo confitendo.

Epist. 15. ad Confess.

2 Oppositum verò hujus, scilicèt nunquàm fecisse indignum, & nefarium quid, adhùc occasione alliciente, urgente necessitate, vel Potestate impellente, quàm maximè confert Amplificationi. Continentiam Joseph ab hera sua tentatam meritò *Augustinus* amplificat. [Cum esset decorus, & speciosus facie, pulchritudinem vultus sui non ad alienam derivavit injuriam, sed ad suam gratiam conservavit: hòc se pulchriorem judicans, si non dispendio Castitatis, sed cultu pudoris speciosior probaretur: & illum esse verum decorem, qui non alienos oculos caperet, nec mentes fragiles vulneraret. Crimen enim Dominæ suæ fuit, quæ malè vidit, non beati Joseph, qui malè videri non voluit: nec in eo, qui visus est, culpa est, quia non erat in potestate servuli, ut non videretur à Domina, Maritus debuit cavere uxoris oculos. Discant nunc, & viri cavere oculos fœminarum; cùm & amantur, & qui nolunt amari. Deniquè

Ser. 83. de temp.

Joseph pulcher aspectu, pudore pulchrior.

Malè amatur ab Hera, dum benè videtur.

ada-

adamatus est Joseph, qui amantem contempserat. Et benè excusavit eum Scriptura dicens: Immisit oculos uxor Domini ejus in Joseph; hoc est: non iste se ostentavit, nec illa cœpit incautum: sed illa retia sua immisit, & indagine sua capta est, catenas suas sparsit, & in suis vinculis colligata est.]

Ibid. 3 Statìm verò subdit. [Prima adulterii oculorum tela sunt, secunda verborum: sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere. Excusatur quòd ingressus est, prædicatur quòd elapsus est. Nec plùs fecit per vestimenta corporis, quàm per animi castimoniam: reliquit tanquàm non sua, quæ adultera manibus detinebat: & aliena judicavit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi. Magnus planè Vir, qui venditus servire tunc nescivit: ingenuam adamatus non redamavit: rogatus non acquievit: apprehensus aufugit. Concupiscitur Adolescens à Domina, sed ad concupiscentiam provocatus, & rogatus refugit, una hac in re blanditiis supplicat, quæ in cæteris imperabat.]

Supplicem Dominam rejicit libidini ancillatam.

Lib. de Ioseph cap. 5. 4 Nec minùs eruditè *Ambrosius* factum illud extollit. [Suppetit defensio, ubi adhùc liber affectus est. Ideò scriptum est: quia ille noluit. Primum igitur congressione mentis superavit, tanquàm scuto animi irruentem repellens: deindè sermonem tanquàm hastam vibravit, ut se illa revocaret. Et dixit uxori Domini sui. Rectè uxor Domini, non ipsa Domina dicitur, quæ non potuit extorquere, quæ voluit imperare. Nam quomodò Domina, quæ dominandi non habebat affectum: quæ disciplinam Dominæ non tenebat: quæ servulis libidinis incentiva præstabat? Ille Dominus, qui amantis non excepit faces: qui lenocinantis vincula non sensit: quem nulla mortis formido perterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm potentiæ criminosæ eligere consortium.]

Plura amoris incentiva illum non irretiunt.

Ibid. 5 Paucis verò interpositis, addit. [Tertium spiculum Adultera interpellandi assiduitate vibrabat; sed Joseph non audiebat eam. Habes post prima verba quid caveas. Non solùm lubrica, sed etiam procax, importuna, petulans est libido, nec habet, quod vereatur adultera. Quæ dispendia pudoris prima non doluit, insidiatur ut capiat. Deniquè officii sui, & ommissi muneris ingressum gratiâ, remotis arbitris, ac domesticis, apprehendit eum dicens: dormi mecùm . . . . . . Magnus quippè Vir, qui venditus servile tamen nescivit ingenium: adamatus non redamavit: rogatus non acquievit, comprehensus aufugit. Qui cum ab uxore Do-

Importunis Adulteræ precibus non acquiescens.

Pallium relinquit, tanquàm impudicæ contagio maculatū.


Domini conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit, ac nè ipsa quidem diù passus est. Contagium enim judicavit si diutiùs moraretur: nè per manus adulteræ, libidinis incentiva transirent. Itaquè vestem exuit, crimen excussit: & relictis, quibus tenebatur, exuviis, spoliatus quidèm, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris.]

6 Contingit autem, quod eamdem rem sæpè quis gesserit, sæpè etiam gerere abnuerit, utrimquè nihilominùs laudandus sit. Præbet hujus ponderationis exemplum *Chrysostomus*, qui æquè Paulum admiratur, & de se magna loquentem, & iterùm propria merita dissimulantem. [Nam plura cælavit, nec enim omnia dixit, nè gloria se majore circumdaret: nec omninò cuncta tacuit, nè Pseudoapostolorum contrà se ora reseraret. Nihil enim otiosè ille faciebat, sed omnia cum causa justa, probabilique ratione. Cùm tanta itaquè ratione animi, tantas res inter se diversas, contrariasque peragebat, ut eisdem tamen laudibus ubiquè ornaretur. Quod dum adhùc apertiùs dicimus, intuere magnum loqui. Hæc autem tàm opportunè, aptèque faciebat, ut magìs mereretur loquendo de se, quàm tacendo, laudari. . . . . Ampliùs enim tùnc Paulus placuit gloriando, quàm alter laudes proprias occultando: nec tantum quisquam profuit, cum sua merita cælaret, quàm iste cum proderet.]

Hom. 5. de laud. Pauli.

Paulus plùs placuit, dum de Virtutibus in Deo gloriatus est, quàm plures, dum sua gesta occultant.


7 Adjiciens verò alteram hujus præconii partem, à propriis nimirùm laudibus abstinuisse, subdit. [Sed hoc quoque est multò admirabilius: quia de se non modò loquutus, verumetiàm quantum oportuit est loquutus. Non enim quasi maximam licentiam de opportunitate nactus, immoderatiùs laudibus suis usus est; sed consideratissimè quousquè eum progredi deceret agnovit. Nequè tamen istud sufficere sibi credidit, sed nè alios hoc sermone vetaret, idquè efficeret, ut semetipsos inanitèr prædicarent: libentèr se etiam insipientem vocavit, quamquàm certa invitante causa, de propria aliquid laude perstrinxerit, &c.]



SECTIO

SECTIO XI.

De duobus postremis amplificandi modis.



1 Eptimus modus amplificandi Virtutem alicujus assignatur ex eo, quod ille novos, & insolitos inde sit honores consequutus, veluti ex effectu, & signo, quo demonstratur maxime in ea claruisse. Sic Abram extollere strenuitatem visus est Melchisedech Rex Salem, occurrens revertenti de cæde quatuor Regum, offerens panem, & vinum. Ast Divinæ protectionis indicium in eo triumpho recognovit *Chrysostomus*. [Rediit autem magno, & præclaro triumpho insignis cum Loth equos, & mulieres, & cæteras substantias reducens, & clara voce prædicans, tubaque vocaliùs clamans, quod non humana virtute, neque corporali robore, & illos fugarit, & victor evaserit, sed superna manu faciente omnia.]

Tom. 1. Hom 35. in Genes.

Abram Dei auxilio, quatuor Reges, totideq; exercitus cædit.

Gen. 42.

Hom. 43. in Gen.

2 Idem autem *Chrysostomus* amplificat virtutes Joseph ex munere, quo post toleratas afflictiones à Pharaone Regi secundus declaratus est. [Et post hæc omnia fermè in ipsum Regis thronum evectus est. Vide quomodò captivus repentè constituitur Rex totius Ægypti: & qui ab Archimagistro in carcerem conjectus est, à Rege in summum locum exaltatus est. Et qui fuerat ejus Dominus, repentè vidit, quem ut adulterum in carcerem miserat, totius Ægypti suscepisse imperium. Vidisti quantum sit ferre cum gratiarum actione tentationes? Propterea, & Paulus dicebat, &c.]

Joseph gloriosa sublimatio post ærumnas.

1. Reg. cap. 18.

Hom. 1. de David, & Saule.

3 Eminet etiam alicujus Virtus, si honor inde collatus tantus sit, ut aliis, sine tamen ejus culpa, invidiam ingeneret. Quemadmodùm psallentibus tympanistriis mulieribus, & dicentibus: percussit Saul mille, & David decem millia, iratus est Saul, &c. De quo *Chrysostomus*. [Debebat autem esse sua laude contentus, quod illi tribuissent mille. Cur igitur indignatus est, quod Davidi tribuerint decem millia? Etenim si Rex ad bellum finiendum, vel paululùm aliquid momenti contulisset, rectè tùm dictum fuisset: Saul in millibus: David in decem millibus. Quod si ipse quidem pavidus, ac tremens domi desedit, in singulos dies mortem expectans: hic autem totum facinus peregit: at non absurdum erat, eum, qui nihil ad depellenda pericula contulerat, ob-

Saul invidet Davidi de Goliath triumphũ agenti.

ob id indignari, quod hic plus laudis tulisset ? Nam si indignandum erat, Davidem potiùs conveniebat indignari: quòd cum totum solus gessisset, alterum haberet laudis participem.]

4 Ex adverso, magnitudo apparet sceleris gravitate supplicii. Peccatorum excessum *Salvianus* exaggerat, & ex ærumnarum incursione, & demerito potiorum. [Nihil itaquè mirum est, si deteriora quotidiè patimur, qui quotidiè deteriores sumus. Et nova enim quotidiè mala faciunt; & vetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. Quis ergò est causationi locus ? Quàmlibet aspera, & adversa patiamur, minora patimur, quàm meremur. Quid quærimur, quod durè agat nobiscùm Deus? multò nos cum Deo duriùs agimus. Exacerbamus quippè Deum impuritatibus nostris, & ad puniendos nos trahimus invitum, &c.] *Lib. 4. de Guber.*

Injustè quærimur de punitione, sẽper adjicientes, pro quo puniamur.

5 Ultimus modus sumitur ex conditione ejus, qui rem grandem fecit. Qui extendi potest ad diversas rerum differentias. Undè *Chrysostomus* exaggerans, à nemine graviter ferendum, quod ab alio etiam inferioris notæ moneatur, advertit, sæpissimè homines ad res etiam obvias non attendere, id explicans exemplo Moysi. [Nequè enim Moysi facilè par fueris, qui, ut Scriptura inquit, omnium hominum erat mitissimus, amicusque Deo, & in externa Philosophia benè institutus, & non minùs spiritualium intelligentiâ insignis. Vides omnigenam ejus eruditionem ? Erat autem potens in verbo, & opere, aliisque virtutibus . . . . . . Nihilominùs sapiens ille, qui tàm potens in verbo, & opere, qui amicus Dei, qui Creaturæ imperavit, qui tanta miracula operatus est, non animadvertit rem, quam mortalium plerique facilè considerant, &c.] *Tom. 3. Hom. de ferend. reprab.*

Moysi Virtus, sapientia, potentia: quædam tamen non advertentis.

6 Memini, de conditione Personæ superiùs nonnulla scripsisse: non hìc agimus actum, sed nova adjicimus. Et illud quidem non negligendum, quod cum Virtus præcipuè eniteat in depuratione ab omni macula, & in se præbendo absolutæ probitatis exemplar: sit tamen, qui cæteros intantùm excedat, tàmque supremæ existat apud cunctos existimationis, ut nedùm minimæ actiones, motusve indifferentes, sed qui videntur defectus sivè in ordine naturali, sivè morali, quia in illo sunt, commendabiles, & imitatione digni censeantur. Colligitur hic modus ex *Nazianzeno*, etiam proptèr hoc, Basilium Magnum efferente. *Orat. in laud. Basil.*

Gravis Personæ etiam aliquandò defectus æmulantur alii.

7 Undè ait. [Unum ad omnia adjiciam, idquè breve. Tan-

Tanta ipsius Virtus, gloriæque præstantia fuit: ut multa etiam ex parvis illius virtutibus, usqueadeò ex corporeis defectibus, ab aliis ad gloriam, Nominisque claritatem parandam excogitata sint. Cujus generis sunt pallor, barba, certus incedendi modus: tùm etiam ad loquendum minimè proptum esse, sed ut plurimùm cogitabundum, atquè intrò collectum. Id quod multi non rectè imitantes, nec animadvertentes, in odiosam quamdam tristitiam inciderunt. Vestis etiam genus, & lectuli species, & cibi sumendi modus: quorum nihil ille deditâ operâ, sed simplicitèr, ac fortuitò factitabat. Ac multos jam Basilios specietenùs videre licet, statuas nimirùm in umbris: multum enim fuerit, si repetitam Echûs vocem esse dixero; nam illa, quamvìs postremam dumtaxàt vocis partem, expressiùs tamen effingit: hi autem longiùs ab eo distant, quàm quantum accedere concupiscunt.]

Basilium sibi imitandū etiam in quibusdam naturalibus defectibus, gloriosum nonnulli duxerunt.


8 Idem exercetur amplificandi modus in vitio, sivè scelere ex conditione personæ, vel loci, ubi res geritur. Audiendus *Salvianus* Trevirensibus loquens. [Theatra igitur quæritis, * Circum à Principibus postulatis: quæso cui statui? cui Populo? cui Civitati? Urbi exustæ, ac perditæ, plebi captivæ, interemptæ, quæ aut perit, aut luget: de qua etiam si quid superest, totum calamitatis est: quæ cuncta, aut mœstitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata: in qua nescias penè, cujus sit sors pejor, ac durior, interfectorum, aut viventium: tantæ enim sunt miseriæ superstitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum . . . . . . Ludicra ergò publica Trevir quæris, ubi quæso exercenda? an super busta, & cineres, super ossa, & sanguinem interemptorum? Quæ enim Urbis pars his malis omnibus vacat? Ubi non strata corpora? Ubi non concisorum membra lacerata? Ubiquè facies * captæ Urbis, ubiquè terror captivitatis, ubiquè imago mortis. Jacent reliquiæ infelicissimæ plebis supèr tumulos defunctorum suorum, & tu Circenses rogas. Nigra est incendio Civitas, & tu vultum festivitatis usurpas. Lugent cuncta, tu lætus es.]

Lib.6. de Gub.

* *Metonymia. Locus pro re, quæ fit in loco.*

Trevirensium miseria post excisam Urbem. Ludicra petentium.

* *Emphasis.*



SECTIO XII.

De Rei Angustæ Amplificatione.

1  Ngenii fœcunditas in rei modicæ amplificatione monstratur, servata tamen judicii discretione, rei ipsius exigentiâ, vel proportione: Oportet enim, ut supra monuimus, quæ dicuntur ad ampliandam rem, non tàm esse addita velùt aliena, quàm eruta ex ipsa, in qua latebant. Quemadmodùm verò in minimæ parvitatis particula, multa aliis impervia introspicere, acutioris visûs est: ita in re modica, plura cæteris non cognita observare, quibus res illa quasi explicatur, extenditur, dilatatur, perspicacioris ingenii est. Eòque magìs, quò sæpè Verbum occurrit amplificandum, nonnihil Orationi conferens majestatis, & efficaciæ. Cujus pauca exempla subjiciam.

Res angusta quomodò amplificanda.

2 Exponens proindè *Arnoldus* illud: Deus *meus* Deus *meus*, quare me dereliquisti? ait. [Deum igitur *suum* vocat, nè quis quod proprium est alterius ad alterum, existimet alienum: & quod commune videtur, secare præsumat quasi divisum. Naturæ Divinæ communio inter Patrem, & Filium non admittit scissuram: & licèt sit ibi discretio Personalis, una tamen est Divinitas, & Essentia Naturalis. *Suum* dicit, ut manifestum fiat, quod Ille, qui *suus* est, in nullo ei contradicere possit. Deum *suum* dicit, ut nobis minimè formidandum Judicem intimet, quem sicut *suum* flectere possit: & ad eum tutum esse accessum, quem non ut alienum appellat, sed *suum*. Nec parvam confidentiam hujus familiaritatis germanitas exigit, quæ in conspectu Patris tantam Derelictorum solicitudinem gerit, ut se quoquè in eo, quod constat voluntarium esse, & spontaneum, dicere non dubitet derelictum.]

Tract. 1. de Sept. Verb. Dom.

Exclamationis Christi in Cruce ratio, & mysterium.

3 Insupèr illud: Saulus *adhùc* spirans minarum, & cædis, amplificans *Chrysostomus* ait. [Quid est, quod dicit, *adhùc*? Quid enim anteà fecit, quòd dicis *adhùc*? Sanè dicere *adhùc*, de homine dicitur, qui anteà mala multa operatus est. Quid ergò fecit? Quin tu mihi dicas, quod malum non fecit? Sanguine Hierosolymas implevit, Fideles interfecit, Ecclesiam impugnavit, Apostolos persequutus est,

Tom. 3. Homil. de Convers. Pauli.

Saulus Christifideles acerrimè persequens.

est, Stephanum occidit, neque viris, neque mulieribus pepercit, &c.] Fusè etiàm *Augustinus* verbum amplificat

Concion. 1. in Psal. 30. Psalmistæ rogantis: Esto mihi in Deum protectorem, & in domum *refugii*. [Aliquandò enim periclitor, & volo fugere: quò fugio? ad quem locum tutus fugio? ad quem montem, ad quam speluncam, ad quæ tecta munita? quam arcem teneam? quibus muris ambiar? quocumquè iero, sequor me. Quidquid enim vis potes fugere homo, præter conscientiam tuam . . . . Tu mihi eris domus refugii, ad te confugio; nàm à te quò fugiam? . . . . . Nihil mihi ergò restat, nisi ad te fugere, non à te. Ut evadas hominem Dominum quicumque servus es, fugis in ea loca, ubi non est Dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Dominum: nam non est, quò fugias Deum, &c.]

Nullus locus homini tutus, dum à Deo, & non ad Deum fugit.

4 Monitum tamen velim Oratorem, quod occupatus in Scripturali conceptu exponendo, incidens in verbum, cujus necessaria, vel congrua amplificatio censetur, non in eo dilatando sit multus: nè conceptûs seriem, aliò immodicè se vertens, interrumpat. Habetur exemplum ex *Petro Chrysologo* velùt incidentèr amplificante miseram Mercenarii conditionem, dum explanaret illud: Fac me sicut unum de *mercenariis* tuis. [Ut locatione annua, servitus innovetur: ut labore jugi conditio conducta deteratur: ut die toto in opere suspiret miseræ verna mercedis: ut sit semper venditor sui, nec unquàm negare suam valeat servitutem.] Rursùs cùm exponeret *Chrysostomus* illud Psalmi: secundùm *magnam* misericordiam tuam, verbum brevitèr extendit. [Dixisti *magnam*, edicito quantam. Quanta sit, nescio, quòd grandis est, novi. Quantum autem non valeo apprehendere, nescio magnitudinis quantitatem, non comprehenditur verbo. Video namquè fructum misericordiæ grandem. Nisi enim in immensùm extenderetur, admodùm pauci salvarentur.]

Luc. 15. Ser. 2.

Mercenariæ servitutis miseria.

To. 1. Hom. 2. in Psal. 50.

Divinæ Misericordię magnitudo.

5 De stylo in Amplificatione servando superfluum videtur hic aliquid inculcare. Quod elegans, ac diffusior esse debeat, ipsa amplificationis ratio petit, ut ex omnibus supradictis claret, quibus addimus alia exempla ex *Cypriano*, qui quorumdam Sacerdotum arguit facilitatem in admittendis ad communionem lapsis in idololatriam, nondùm

Lib. de Lapsis. explorata pœnitudinis veritate.] Pœnitentia de pectoribus excussa est: gravissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera: & plaga læthalis, altis, & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore, contegitur.

Imparati ad Dominicam mensam accedentes arguuntur.

tegitur. A Diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini, sordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos Idolorum cibos adhùc penè ructantes, exhalantibus etiamnùm scelus suum faucibus,& contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, &c.]

Gladiatorii Ludi ferralia spectacula.

6 Ferales etiam in Circo monomachias execrans ità amplificat. [Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur insuccum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robusta pinguescit: ut saginatus in pœnam, cariùs pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem: & ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantùm geritur, sed & docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est, ut perimere quis possit, & gloria est, quòd perimit.] *Epist. ad Don.*

Parentibus adstantibus filiorum discrimini, ac cædi.

7 Et statìm subdit. [Quid illud, oro te, quale est, ubi se feris objiciunt, quos nemo damnavit? Ætate integra, honestâ satìs formâ, veste pretiosa, in ultroneum funus armantur: malis suis miseri gloriantur. Pugnant ad bestias bestiæ non crimine, sed furore. Spectant Filios suos Patres: Frater in cavea est, & Soror prestò est: & spectaculi licèt pretium largior muneris apparatus amplificet: ut mœroribus suis Mater intersit, hoc, proh dolor! Mater & redimit: *(idest ut locum obtineat inter spectatores)* & in tàm impiis spectaculis, tàmque diris, & funestis, esse se non putant oculi parricidas.] *Ibid.*

Imitatio in Amplificatione

8 Quia verò scribit *Quintilianus*. [Neque adeò jejunam, ac pauperem Natura Eloquentiam fecit, ut una de re benè dici, nisi semèl non possit.] Dùm nobis amplificanda res occurrit, ab aliis phalerato calamo amplificata, artis utendum industriâ, ut eam nostro ingenio coaptantes, propriam nobis efficiamus, quæ alteri communis fuit, non rapinâ, sed imitatione. Et quidèm non multùm hoc difficile, ubi materia de se magna, molestius tamen, ubi angusta est. Ideoquè *Ennodius*. [Nunquàm pauper vena timetur ingenii, ubi dives est causa dicendi. Quis mendicam narrationem æxtimet, quam vota locupletant? Sæpè in facundiæ dotibus pauper invenitur vena prædicantis:& è diverso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum. Diem laudare quis abnuat? Attollere Solis radios, quis metuat in qualibet nocte sermonum?] *Lib. 10 cap. 5.* *Ser. in Natali Lauren. Med.*

Res magna facilè Ingenii facundiam exercet.

CAPUT

CAPUT VI.

De Tranſitione.



Icùt Tranſitùs nomine, nedùm motus, ſed via ipſa, ſivè ſpatium permanens ſignificatur inter terminos, à quo diſceditur, & ad quem tenditur: Ita non translationem, vel tendentiam ad aliam rem: ſed colligationem, ſeù nexum rei, (hoc eſt conceptûs, actionis, & ſimilis cujuſque) à qua Orator veluti recedit, & alterius rei, ad quam progreditur, volumus nomine Tranſitionis expreſſum. De ea à Rhetoribus non plura tradi certior fiet Lector, ſi illorum ſcripta ad manum habeat: non quòd ſingularitatis notam affectem, ſed nè Tyrones à tàm neceſſaria notitia defraudem, quas ideò in Sanctis Patribus tranſeundi formulas obſervavi, non inutili labore, ſubjiciam. Quid Tranſitionis nomine ſignificetur.

SECTIO I.

De Communibus modis Tranſitionis.

1 

Icturæ laus non modica, dum poſt album, nigrum colorem apponit, ſic utriuſque extremitates attenuare, ut veluti nodo interjecto, duo illi contrarii colores immediatè, & naturalitèr uniri videantur. Nec diſpari diligentia in Opere Muſivo varii, diverſique lapilli ſegmentantur, agglutinantur, quo non calculorum commiſſuram, ſed pluribus notis ſparſum lapidem unum diceres multicolorem. Ad hunc modum, *Forma* illa ingenioſa, qua una pars, aut conceptus, aut argumentum, vel factum alteri in Oratione conjungitur, nexu multoties inconſpicuo, Oratoria Tranſitio eſt: perdifficilis profectò, & in qua non offendens, Olympicâ dignus eſt oleâ. Tranſitio non eſt Figura, ſed Figuris non rarò ſerviens. Lib. 9. cap. 1. Figura equidèm non eſt, dicente *Quintiliano*: [Undè etiàm venuſti Tranſitus fiunt: non quia Tranſitus ipſe ſit ſchema.] Sed *modus artificioſus*, quo Orationis membra, (cujuſcumque generis exiſtant: ſivè puncta, in quæ dividitur, ſivè facta,

cta, sivè rationes, sivè figuræ ipsæ) invicèm colligantur,ut Concio velùt unum Totum ex pluribus etiàm concinnè, aptèque dispositum appareat.

2 Quædam igitur hic præmittendæ faciles, communitèrque usurpatæ Transitionum formulæ. Et simplex primò illa,cum absoluta una sermonis parte, fatetur Orator ad secundæ tractationem transire. Sic *Cyprianus* in tria puncta partitus Orationem, scilicèt: quid esset, quantum esset, & cui prodesset Martyrium,nempè: Quidditatem,Virtutem,& Utilitatem, exacto primo, sic transit ad secundum. [Nunc jam ad eam rem ; Fratres charissimi, veniam, ex qua ostendere satis possum quanta Martyrii virtus habeatur; quæ,tametsì est omnibus nota, proque ingenitæ claritatis insignibus expetenda,tamen plùs addidit necessitas temporis desiderio voluptatis, &c.] Inde gradum sibi parat ad tertium punctum propositum, nempè ad Martyrii utilitatem. [Jam superest Charissimi Fratres, ut debeamus ostendere, cui rei martyrium prodest: atquè illud profectò doceamus, quod Nos ad hunc gloriæ titulum metus excitet futurorum, &c.]

Martyrii Virtus. — Et utilitas. — *Opusc. de laud. Martyr.*

3 In Transitione de una ad aliam rationem, aut actionem eadem ferè formula servari potest. Unde *Ambrosius* post plurima Virginitatis encomia,ait.[Videte igitur quanta Virginitatis merita sint. Christus ante Virginem, Christus ex Virgine. A Patre quidem natus ante sæcula, sed ex Virgine natus ob sæcula: illud Naturæ suæ, hoc nostræ utilitatis est: illud erat semper, hoc voluit. *Spectate aliud* Virginitatis meritum. Christus Virginis Sponsus, & si dici potest, Christus Virgineæ castitatis: Virginitas enim Christi, non Virginitatis est Christus,&c.] Et *Salvianus*. [De Conjugibus itaquè ista sufficiunt; *Transeamus* ad Sacras Virgines, quibus Legem devotionis Salvator ipse præscripsit, exemplo scilicèt decem Virginum, &c.] *S.Zeno* postquàm commendasset Abelis, & Noë in adversis constantiam, subdit. [Nunc mihi Abrahæ memoranda est mira illa tentatio, quæ eum, aut sacrilegum fecerat si contemneret Deum: aut crudelem si occideret Filium. Nisi quadam singulari,ac verè Divinâ patientiâ, inter Religionem, Pietatemque negotium temperaret: in spe non denegans Deo, quod contrà spem acceperat à Deo, &c.]

Virginitatis prærogativæ per Christum. — *Lib. 1. de Virg.* — *Lib 7. de Gubern.* — Abraham devotus in Deum, pius in Filium. — *Ser. de Patien.*

4 Facilis, & ille modus transeundi per epilogum præcedentium. Hinc pro transitione ad factum illud S. Patris Dominici se vænum exponentis pro redimendo Viduæ Fratre apud Barbaros captivo, conglobatione uti poteris prio-

rum

rum actionum in proximi utilitatem. Parum tibi fuit adhùc adolescenti, pauperes è famis grassantis faucibus erepturus, libros vendendo, Sapientiæ patrimonium in debitum Charitatis commutare: parum noctes, diesque insumere in protrahendis Catholicæ militiæ excubiis, lacerando ad sanguinem usquè, terna flagellatione, corpusculo, in reducendis, vel ab impietate scelestis, vel ab errorum pravitate descitis: parum Hæreticis membra articulatìm concidenda offerre; *nisi teipsum dares* in amoris mancipium, &c. — S. Patris Dominici Charitas ergà proximos.

5 Propositis Sæculi ærumnis, Spectaculorum discriminibus, Impudicitiæ incontinentiis, *Cyprianus* quæ latè prædixerat, compendiosè resumit, ut transeat ad alia crimina Foro non semel annexa. [Sed tibi post insidiosas vias, post dispersas Orbe toto multiplices pugnas, post spectacula vel cruenta, vel turpia: post libidinum probra, vel lupanaribus prostituta, vel domesticis parietibus obsepta: quorum quò secretior culpa, major audacia: *Forum fortasse* videatur immune, quod ab injuriis lacessentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illùc aciem tuam flecte, &c.] — *Epist. ad Donat.* — Plura Orbis mala.

Idemque. Idemque Demetriano Africæ Proconsuli exprobrans immane in Fideles odium, ad hoc simili formâ transit. [Parum est, quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita nostra maculatur: quod superstitionibus falsis Religio vera subvertitur: quod Deus omninò nec quæritur, nec timetur: *Adhùc insupèr* Dei Servos, & Majestati, ac Nomini ejus dicatos, injustis persequutionibus agitatis. Satìs non est, quod ipse tu Deum non colis: *adhùc insupèr* eos, qui colunt, sacrilega infestatione persequeris, &c.] — *Opusc. ad Demetr.* — Demetriani in Christianos furor.

6 Vel ad alia transitur, ea ad compendium reducendo. *Ambrosius* loquens de Judith. [Et benè conjugales pugnatura resumpsit ornatus: quia monimenta conjugii arma sunt castitatis. *Quid cætera prosequamur?* quod inter tot millia hostium casta permansit. Quid ejus Sapientiam prædicemus? Quod hujuscemodi est commenta consilium, &c.] — *Lib. de Viduis.* — Judith Castitas, & Prudentia.

Et *Nazianzenus* ex pluribus Basilii gestis enarratis, ad alia facta transit, quæ illius constantiam probant, animumque infractum adversùs Valentem Imperatorem Arrianum. [Quid alia dicere necesse est? Verumenimverò teterrimus Christi hostis Imperator, & Fidei Tyrannus, cum majori impietate, acriorique belli apparatu, utpotè cum valentiori Adversario rem hab turus, ad nos iterùm venit, &c.] — *Orat. in laud. Basil.* — Basilius Fidei propugnator.

7 Plana itèm Transitio fit veluti per comparationem

ſequentium cum antecedentibus. Hinc Invidiæ peſſimum malum exprobrans *S.Zeno*, adductis ex Scriptura exemplis, quantum in Dei Servos exarſerit, tranſit ad oſtendendum, etiam in Dei Filium impias furentis Populi manus armaſſe. [Verùm *tranſeamus* ad ſpeciem illius invidiæ, quæ omne piaculi genus humanæ conditionis excedit. Judæorum odium adversùs Salvatorem non ex Invidia deſcendit? Et quæ erat invidiæ cauſa? mirabilia ſignorum. Cujuſmodi verò erant mirabilia? Salus animæ, & corporum ſanitas, &c.]

Invidia nedùm in Homines, verùm contrà Dei filium exarſit.

Ser. de Liv. & Invid.


8 Sæpè ad alia tranſit per comparationem *Ambroſius*. Unde enarrata heroica altercatione inter Virginem, & militem, (qui commutatis cum illa veſtibus in Lupanari remanſerat) ad quod Virgo ob Chriſti fidem damnata, indè evaſerat, quis decretam mortem ſubire deberet, quam tamèn uterquè ſubiit; tranſit ad narrandum, quod ſcribitur de duobus amicis. [At etiam Philoſophorum Gymnaſia Damonem, & Pythiam Pythagoræos in Cœlum ferunt, quorum unus cùm eſſet morti adjudicatus, commendandorum ſuorum tempus popoſcit. Tyrannus autem aſtutiſſimus, quòd reperiri eum non poſſe exiſtimaret: petivit, ut Sponſorem daret, qui pro ſe feriretur, ſi ipſe faceret moram. Quid de duobus præclarius neſcio; utrumque præclarum, alter mortis vadem invenit, alter ſe obtulit. Itaquè cum reus moram ſupplicio faceret, Fidejuſſor vultu ſereno mortem non recuſavit. Cùm duceretur, amicus reverſus eſt, cervicem ſubſtituit, colla ſubjecit. Tunc admiratus Tyrannus chariorem Philoſophis amicitiam, quàm vitam fuiſſe: petivit, ut ipſe ab his, quos damnaverat, in amicitiam reciperetur. Tanta Virtutis eſt gratia, ut & Tyrannum inclinaret. Digna laude, ſed minora noſtris, &c.]

Lib. 2. de Virg.

Damonis, & Pythiæ illuſtre exemplum, alterius pro altero mori contendentis.

SECTIO II.

Formulæ aliæ Tranſitionum notantur.

1 Rte eò plenior Tranſitio, quò connaturaliùs altera res ad alteram ſequitur; sìc enim artificium dum occultatur, augetur. Hoc autem accidit, vel quia præcedens eſt ſequentis cauſa cujuſvis generis, etiam illativa, aut indicativa: vel quia poſterior reſpectu prioris comparatur ut cauſa, vel indicium, vel confir-

firmatio. Unde *Ambrosius* ex præmissis conjugatæ mulieris conditionibus in nuptu, partu, æducatione, ministerio ergà Viros, quibus placere satagunt, ad luxum transit, quo se ornant, deliniuntque, velùt ad effectum consequutum.

Lib. 1. de Virg. 2 Ait enim. [Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum Viris displicere formidant: & de adulterio vultûs meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare Naturæ, picturam quærere:& dum verentur maritale judicium, prodere suum? Prior enim de se pronunciat, quæ cupit mutare, quod nata est. Ita dum aliis studet placere, priùs sibi ipsa displicet. Quem Judicem mulier veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm teipsam, quæ videri times? Si pulchra es, quid absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habituram? . . . . . Hinc pretiosa collo dependent monilia, &c.]

Mulierum nimius cultus, & damnosus, multis perstringitur.

3 Duplici Transitione *Augustinus* ex constantia S. Vincentii Martyris, quam Tyrannus sui contemptricem experiebatur, primò transit ad Daciani jussionem, ut includatur in carcere, ex qua iterùm transit ad Vincentii consolationem, tanquàm ad effectum oppositum intentioni Tyranni. [Quapropter credens, quod causam confusionis averteret, si personam, quæ se spreverat, absentaret: minùsque Dacianus erubesceret, si Vincentium Populus non videret, *jussit eum à publico removeri*. Sed nec sic quidèm caret supplicio. Contusa quò jacebat testa substernitur, ut vis acuminis concisam molem superjecti corporis plùs discinderet: atquè reddita tormentis membra, quæ secarent, obvia susciperent fragmenta. *Fallitur tamen* vincendi opinione cæca crudelitas. Nam Divina Bonitas dilectum suum ampliùs in confessione comitata, infert novam tenebris lucem, &c.]

To. 10. Ser. 13. de Sanct.

Daciani crudelitas frustrà in Martyrem Vincentium sæviés.

4 Vel proindè res, ad quam transitur est effectus oppositus rei præcedenti:& sic Virginis Deo dicatæ bona ænumerans *Ambrosius*, ea formâ transit ad infelicem statum illius post carnis lapsum. [Unde incipiam? Quod primum, quod ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti, an mala defleam, quæ invenisti? Eras Virgo in Paradiso Dei, utiquè inter flores Ecclesiæ. Eras Sponsa Christi, eras Templum Dei, eras habitaculum Spiritus Sancti: & cùm dico toties, eras, necesse est, ut totiès ingemiscas, quia non es, quod fuisti . . . . . . Quæ ista subitanea conversio? Quæ

Lib. ad Virg. Laps. cap. 11.

Lapsæ Virginis casus lamentabilis.

ista repentina mutatio? De Dei Virgine facta es corruptio Sathanæ: de habitaculo Spiritus Sancti, tugurium Diaboli, &c.]

5 Rursùs procedi potest modo opposito, quia videlicèt res, ad quam transitur, est prioris Causa, aut signum, aut confirmatio. Hinc *Nazianzenus* exposita Basilii humilitate, tanquàm ad ejus signa transit ad actiones, quæ humilem ostendebant, non fastu elatum, ut Invidi opinabantur. [Quid ad hæc nobis dicturi sunt, qui homini fastum, supercilium que objiciunt? Iniqui sanè, & acerbi rerum hujusmodi judices, eosque, qui regulæ non sunt, ad regulam admoventes. An verò fieri potest, ut qui leprosos deosculetur, & hucùsque se demittat: adversùs sanos,& valentes supercilium attollat? Qui carnem continentiâ,& inediâ conficiat, inani animi fastu infletur? &c.]

Basilii humilitas,& sui abnegatio.

Orat. in laud. Basil.

6 Ad alias rationes, quibus cognoscuntur apertiùs jam adductæ:pro pessima, in quam Virgo inciderat, ærumna ob admissum sacrilegum incestum, *Ambrosius* opportunè transitionem facit. [Sed veniamus ad humana, ut illa Divina noscantur. Aspice quis Sanctorum, aut quæ Sanctarum tibi approximare non horreat: aperi oculos tuos, si potes, erige frontem, vales aliquem Sanctorum fiducialitèr intueri? Nonnè tuam faciem, conscientiæ commissum tanquàm plumbum inclinat, & præmit? Nonnè tenebræ ante oculos tuos, & dura caligo versatur? &c.]

Lib. ad Virg. Lapsf.

Impudicam omnes honesti aversantur.

7 Et Æternam S. Vincentii gloriam ostendit *Augustinus* agnoscendam etiam ex illius immortali memoria in hoc Mundo: & iterùm Dei assistentiam viventi, ex ejus providentia jam mortuo demonstrata. Ad quæ proindè opportunè transiens, ait. [Deniquè his præmissis, futuræ videlicèt retributionis finibus, etiàm in hoc Mundo Martyrum gloriam demonstremus. Quæ hodie Regio,quævè Provincia ulla, quousquè vel Romanum Imperium, vel Christianum Nomen extenditur, Natalem non gaudet celebrare Vincentii Diaconi? . . . . . Quod verò tantâ curâ servavit Dominus Martyris corpus, quid aliud demonstravit,nisi gubernasse se viventem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Dacianum vivens Vincentius, vicit & mortuus: vivens tormenta calcavit,mortuus maria transnatavit. Sed ipse inter undas gubernavit cadaver extinctum, qui inter ungulas animum donavit invictum.]

Ser. 12. de Sanct.

S. Vincentii Martyrium per universum Orbem celebre.

8 Transitio ejusdem rationis est,cùm sequens res,prioris est confirmatio. Sic *Ambrosius* postquàm ad silentium

in

in Ecclesia servandum firmis rationibus Virginem hortatus esset, eas veluti confirmat subjectis exemplis. [An quidquàm est indignius, quàm Oracula Divina circumstrepi, nè audiantur, nè credantur, nè revelentur: circumsonare Sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cùm Gentiles Idolis suis reverentiam tacendo deferunt? Unde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderat, excepisse ignem brachio, atquè adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero Barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut Naturam vinceret. Atquè ille non Deos, qui nulli erant, sed Regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent?]

Lib. 3. de Virg.

Silentium in Ecclesia servandum, ex Gentilis hominis facto commendatur.

9 Iterùm artificiosa Transitio est, cum sequens res priori videtur suaptè natura connecti, ut causæ, vel effectui. *Cyprianus* ex Mundi adversis, Justorum virtutem exercentibus, transit ad præmium certantibus repromissum, & spontè sequens. [Contrà tot impetus vastationis, & mortis inconcussis animi virtutibus congredi quanta pectoris magnitudo est? Et quanta sublimitas inter ruinas Generis humani stare erectum: nec cum eis, quibus spes in Deum nulla est, jacere prostratum? *Gratulari magis oportet*, & temporis munus amplecti, quod dùm nostram Fidem firmitèr promimus: & labore tolerato, ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ ejus, & Fidei, ipso judicante, capiamus.]

Lib. de Mortal.

Mundi mala ad Christum nos confugere compellunt.

10 Pro hujusmodi autem transeundi forma, necessaria est proportio posterioris cum priori facto, vel ratione: aut utriusque cum re, de qua agitur. Unde quia Virgini Sæculum perosæ, convenit morum informatio, ut sit sancta corpore, & spiritu: & oblatio, qua se Deo consecret, fidem illi servans adhùc inter vitæ discrimina, optimè *Ambrosius* postquàm ad primam suadendam exemplum Beatæ Mariæ Virginis attulisset, pro secunda historiam subjungit de S. Thecla Martyre. [Beatæ Virgines, quæ tàm immortali spiratis gratiâ, ut horti floribus, ut Templa Religione, ut Altaria Sacerdote. *Ergò Sancta Maria disciplinam vitæ informet, Thecla doceat immolari*: quæ copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum Virginitatis veneratione mutavit. Namquè parata ad feras, cum aspectus quoquè declinaret Virorum, ac vitalia

Lib. 2. de Virg.

Virginum laudes, & Epitheta.

S. Theclæ constantia, leoni obiecta.

ipsa sævo offerret Leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat, &c.]

11 Similitèr quia S. Latronis justificatio, illius pœnitentiæ magnitudinem, & Divinæ Pietatis longanimitatem commendat, arguté *Arnoldus Carnotensis* illâ priùs laudatâ, transit ad secundam, per Apostrophen ad Petrum. [Amovetur ab introitu Paradisi custodia ab initio pervigil: & versatilis gladius ille minax, quem Cherubin ab antiquo vibraverat. Ibi latro locatur, unde Lucifer corruit. Et cui tu forsitàn ultrà septiès ignoscere nolles, ultrà septuagies septiès reus, sed absolutus à bono Jesu, modò cum Angelis conversatur. Resurge, & disce ignoscere: neque annumeres peccata, vel multiplices tempora. Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omninò habet metas Divina Clementia. Sit qui invocet, erit qui exaudiat: sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat, &c.]

Tract. 2. De Sept. Verb. Dom.

S. Latro locatus unde Lucifer corruit.

12 Nupèr autem judicata connexio, etiàm haberi potest per sententiam, sivè periodum gravem, vel acutam, quæ priorem actionem, sivè rationem cum posteriore connectat, & ad hanc transitum paret. Hinc *Augustinus* ex dignitate hominis comedentis Christi corpus transiturus ad exaggerandam profundam cordis humilitatem, qua in illius participatione de nostra probitate præsumere non debemus, interposuit sententiam, qua insensibilitèr ad propositum duceretur. [Sic ergò fecit Sapientia Dei, sic nos per carnis assumptionem pavit Pane Cœlesti. Quia *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*. Vide ergò humilitatem, quia Panem Angelorum manducavit homo, idest Verbum illud, unde pascuntur Angeli: sempiternum, quod est Æquale Patri, manducavit homo. Et ideò Fratres charissimi, quia nos Dominus noster patientiâ docuit, pœnâ liberavit, morte redemit, speremus semper in Domino, & nihil sinè ejus voluntate, & adjutorio præsumamus. Nostis enim quid temerè Beatus Petrus promiserit Christo: Etsì omnes, inquit, scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor. Dominus, qui noverat fragilitatem humanam, & sciebat non esse in promissione, sed in consummatione virtutem, &c.]

To. 10. Ser. 127. de Temp.

Non de nostris viribus, sed de Dei adjutorio præsumendum.

13 Transit quoquè *Ambrosius* ex crimine Sacrilegii à Virgine lapsa commisso, ad ejus simulatum pudorem, quo se intactam jactabat, & sparsi rumoris de patrato scelere infamiam causabatur, interpositâ sententiâ Apostoli. [Nonnè vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Divisa est mulier. Et Virgo, quæ

Lib. ad Virg. Lapf.

Virgo Deo dicata nil cogitet præter Deum.

1. Cor. 7.

non

non est nupta, cogitat quæ Domini sunt, quomodò sit sancta corpore, & spiritu. Tu autem in contrarium vertens dictum, ita cogitans, ita agens, ut nec corpore esses sancta, nec spiritu: corpore quidem, fornicando: spiritu autem, virginitatem mentiendo. Proh nefas! Solet Fama subsequi factum: tua autem malum fama prævenit. Nam cum ante triennium rumor quidam, & susurratio de te fuisset: tu sinceritatem prætendebas, vindictam de maledictis in Ecclesia postulabas, &c.]

14 Insupèr post adhortationem Virginum, ut omnia proptèr Christum faciant, interponit sententiam Sæcularis Authoris, per quam transit ad Virgines à saltandi studio avertendas. [Ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio. Ab hac Virgines Dei procùl esse desidero. Non enim, ut dixit quidam Sæcularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si juxtà Sapientiam Sæcularem, saltationis aut temulentia author est, aut dementia: quid Divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cùm Joannes Prænuncius Christi, saltatricis optione jugulatus, exemplo sit: plùs nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam?]

Lib. 3. de Virg.

Saltationis abusum, aut temulentia docuit, aut dementia.

15 Proindè, ut dixi, sententia gravis transeundi ad aliud viam aperit, ut plurimùm ex Sacra Scriptura, rarò ex prophanis authoribus, sæpè ex Sanctis Patribus deprompta. Sermonem namquè habens de ferendis tribulationibus, expositâ trium puerorum historiâ Deum in camino laudantium, benè ad exaggerandum patientiæ bonum transibis, unde tanta gloria resultat, sententiâ utens, qua *S. Zeno* Sermonem de Daniele clausit quidem, sed indè plurimam moralitatum, & affectuum appendicem sequi indicavit. [Ecce pueri Sacramento muniti, tres numero, sed una virtute, anhelantibus flammis, camino rugiente non læduntur. Incensi hymnum canunt, barbarum Regem Fidei tenacitate confundunt. Vindicantur de incensoribus suis, Deum vident, mors transit in vitam, metus in gloriam. *Sic quis non optet ardere*?]

Ser. 6. de Daniele.

Hebræi Adolescentes Babylonico igne non læsi.

16 Idem præstat Vivacitas, sivè Argutia, (cujus infrà sermo erit) scilicèt sententia urbana, & Rhetorico sale conspersa. Hinc *Cyprianus* post exprobratam Christiano immodestiam spectandi commessationes, & obscænitates in Circo, ad quem via per Lupanar Civitatis patebat, injecta vivacitate transit ad agendum de impudicis spectaculorum li-

licentiis. [Plùs damnationis meritus de ſpectaculi voluptate. *Sed ad Canæ jam ſales inverecundos tranſitum faciam:* pudet referre, quæ dicuntur: pudet etiàm accuſare, quæ fiunt. Agentium ſtrophas, Adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles jocos, paraſytos ſordidos, ipſos quoquè Patresfamilias togatos, modò ſtupidos, modò obſcænos, in omnibus ſtolidos, &c.]

Spectaculorum obſcænæ dicacitates, & ſuſurrationes.

Opuſc. de Spectac.

17 Alio inſupèr modo prioris, & poſterioris rei connexio petitur ex aliquo facto, vel argumento, quod utramque attingat, & ideò per ipſum à præcedente ad ſequens fit tranſitus. Hac ratione *S. Paulinus* cum egiſſet de Carnis periculo nobis domeſticæ, & inimicæ, dexterrimè tranſit ad dilectionem inimicorum commendandam, appoſito Chriſti exemplo, qui Diſcipulo proditoriè oſculanti, oſculum reddit pacis. [Itaquè meliora mihi amici vulnera, quæ Chriſtus accepit, ut ſanaret me: quàm voluntaria inimici oſcula, quibus mihi per illecebras delectationum ſuarum caro maleſvada blanditur, ut me, quaſi parricidali illo Judæ oſculo, paratis in captivitatem meam prodat inimicis. Quod tamen oſculum Dominus non ideò ſuſcepit, ut pacem proditoris acciperet, ſed ut ſuam ab alienato reciperet. Quamquàm, & illud ad intuendum perfectæ bonitatis exemplum teneri ſalubre ſit: ut eo affectu, quo & inimicos diligi jubet, amicum oſculum dederit pacis inimico, dilectionem reddens pro odio, qui pro ſua dilectione odium recipiebat. In promptu eſt ergò dignoſcere: Zabulus cum carne contendunt: præſtat enim vinci bono, quàm vincere malo. Itaquè vinci videtur in hoc Sæculo, cui tunicam ſuam alter abſtulerit: at in Chriſto triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium.]

Chriſtus cur Judæ proditoriè oſculanti, amicum reddiderit oſculum.

Epiſt. 2. ad Sever.

SECTIO III.

Tranſeundi modi alii declarantur.

1 DE uno oppoſito ad aliud frequentiſſimus eſt tranſitus, & facilis. Difficultas verò aliqua occurrit, cùm ſequens factum præcedenti non opponitur, ſed ab eo diverſum eſt: & tunc ſuperatur, vel aſſerendo priora dicta eſſe tanquàm rationes poſteriorum. Sic *Nazianzenus* Natalium claritatem in Baſilio commendatam

tam à se fuisse adstruit, ut ostenderet, quot virtutum radiis ille addidisset Majorum gloriæ splendorem, ideoquè ad illas transit. [Quod etiam ipsum non eò commemoravi, ut ei cumulum aliquem gloriæ afferam: (nam nec mare fluviis, qui in ipsum influunt, opus habet, etiamsi plurimi, maximique influant: nec is, quem nunc laudamus, his qui ad ipsius encomium aliquid erogent.) Verùm, ut ostendam, quibus ille ornamentis ab initio præditus, & in quod exemplar intuens, quantò longiùs jaculatus sit. Nam si aliis magnum est aliquid à Majoribus ad gloriam accepisse: majus profectò ipsi est, Majoribus suis aliquid ex se adjecisse, &c.]

Orat. in laud. Basil.

Avorum gloriæ Basilii Virtus clariorem addidit splendorem.

2 Vel quia id, ad quod transitur, admodùm confert rei, de qua tractatur. Sic *Ambrosius* laudata Virginitate ex constantia adversùs Diaboli tentamenta, transit ad illius originem, & Authorem explicandum. [In laudationibus solet Patria prædicari, & Parentes: ut in commemoratione Authoris, dignitas successionis exaggeretur. Ego licèt laudationem non susceperim Virginitatis, sed expressionem, *ad rem tamen pertinere arbitror*, ut quæ sit ei Patria, quis Author appareat. Ac priùs ubi sit Patria definiamus, &c.]

Lib. 1. de Virg.

Virginitatis laus.

3 Insupèr testatur Orator ad alia transire, quia etsì adductis non amplius addi posse censeatur, addendum tamen omninò est, quo res evidentiùs constet. Robustè *Salvianus* quorumdàm Populorum facinora exaggerans in impudicitiis, obscænisque luxibus versantium, post plura eorum impudentiam indicantia, subdit. [Quæ cùm ita sint, numquid est aliquid, quod dici ampliùs possit? Sed adhùc tamen addimus. Scilicèt quòd multi hæc agunt hodie, etiam inter hostes siti, & quotidiano discrimine, ac timore captivi. Cumque ob impurissimam vitam traditi à Deo Barbaris fuerint, impuritates tamen ipsas etiam inter barbaros non relinquunt.]

Lib. 7. de Gub.

Impietas, nec à Deo prostrata deprimitur, sed inter supplicia viget.

4 Hujusmodi videtur Transitio *Ambrosii* præmittens permissionem Viduis, ut nubant, si continentiam servare non possint, ut Paulus scribit: esse tamen melius à nuptiis abstinere, cum per ea verba subventum sit infirmitati, non consultum dignitati: quod Auditoribus videri poterat satìs ad Vidualem castimoniam suadendam: aliam tamen subjungit efficaciorem rationem, ut ostendat quantum Deo placeat Viduæ castitas, eoquòd Dominus gravitèr se offensum protestatur ex injuria Viduis illata. [Maximè cum dixerit: Melius est nubere, quàm uri. Nam utiquè pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur, non pro electione

Lib. de Viduis.

præ-

Judæi de Viduarum, & pupillorum injusta oppressione incusati.

præscripsit, casta, & continens quid sequatur. Aliud est enim subvenire labenti, aliud suadere Virtuti. Et quid de humanis judiciis loquar, cum Divinis judiciis in nullo graviùs Judæi Dominum læsisse prodantur, quàm quòd Viduæ gratiam, minorumque jura violarent. Hæc Prophæticis causa vocibus conclamatur, quæ meritum Judæis defectionis invexerit. Hæc sola causa delicti, &c.]

Memoriæ lapsus simulatus, optima forma transeundi.

5 Grata nimis Auditoribus Transitio videtur, cum ad artem reducitur simulatus memoriæ lapsus. Multipliciter exerceri potest, ut mox patebit exemplis. Præcipuè verò cum in actionum, aut argumentorum decursu, auditore pendente, subsistit Orator, aliquid grande fassus sibi memoriâ dilapsum: quod tunc tamen menti restitutum gaudet, & maximè tanquàm ad rem novam excitat audientem. Quarè *Quintilianus*. [Nam, & aliquandò excessisse simulamus, cùm quid utiliore loco reducimus; & interìm nos reducturos ad reliquum ordinem testamur, quia sic futura sit causa lucidior.] Non vulgare Orationis artificium, ab eruditissimis usurpatum, & non semèl à Sanctis Patribus. Unde *Nazianzenus* cum ad Gorgoniæ Sororis felicem exitum dicendo pervenisset: nè ultima ejus verba: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, silentio præteriret, ad ea revertitur. [Sic illa solvitur; aut, ut meliùs loquar, assumitur, aut avolat, aut transmigrat, aut paulùm ante corpus abscedit: *Verumenimverò qualis ipsius laus mihi propemodùm excidit*? Fortasse autèm nè tu quidèm passus fuisses ò spiritualis illius Pater, &c.]

Lib. 4. c. 2.

Et usus Nazianzenus in Gorgoniæ laudibus.

Orat. in laud. Gorgon.

6 Consideratis aquarum generationibus, sic *Ambrosius* transit ad avium diversa genera. [*Fugerat Nos*, Fratres dilectissimi necessaria de natura avium disputatio, & sermo hujusmodi nobis cum ipsis avibus evolaverat. Fit enim natura quadam, ut hi, qui aliquid intuentur, vel dicendo exprimere volunt, eorum qualitatem, quæ vel intuentur, vel loquuntur, assumant: ut cum pigrioribus immoremur, & cum velocibus celeri rapiamur aspectu, stylo quoquè, aut tardiore utamur, aut rapidiore. Itaquè cùm caveo, nè mari demersa prætereant, & aquis operta me lateant, *effugit omne volatile*: quia dum inclinatissimos aquarum gurgites scrutor, aërios non respexi volatus, nec umbra saltem pennæ me præpetis reclinavit, quæ in aquis relucere potuit. Verùm ubi omne negotium expeditum putavi, & absolutum me credidi, & diem quintum consummatum arbitratus sum, *venit in mentem avium natura* . . . . . Magnum igi-

Lib. 5. Hexam. c. 12.

Et Ambrosius in avium describenda natura.

igitur incentivum exercendæ nobis devotionis *amiseram* ; . . . . . Redeat igitur nobis volaticus sermo, *qui penè fuerat elapsus, &c.*]

8 Cui conformis est modus transeundi ad aliud, quod Orator asserit dignum esse nè prætereatur, sed ejus mentio fiat. *Ambrosius* de avibus loquens, circà aquas maris, flumi-
Lib. 5. Hex. cap. 13. numque versantibus. [Nec vos prætaribo Mergi, quibus ab assiduitate mergendi nomen hoc hæsit, quomodò sæpè mergentes, aurarum signa colligitis, & prævidentes tempestatem futuram, propè medio revolatis ex æquore, & ad lit-
Ibid. ca. 24. torum tuta cum clamore contenditis, &c.] Et infrà. [Sed quid hoc est ? Dum sermonem producimus, *etiam, & nocturnæ aves circumvolant* : & in eo ipso, in quo finiendum sermonem admonent, sui quoquè assumendam commemorationem producunt. Repetunt diversæ aves, &c.]

9 Vel exaggerando, quod is, ad quem sermonem dirigit Orator, oblivionem incurrerit eorum, quæ illum ab aliquo crimine avertere debuerant, ad ea proindè artificioso transitu facto. Quod [illegible]avit idem *Ambrosius* lapsam allo-
Lib. ad Virg. Lapſ. cap. 6. quens Virginem. [Sed ad te iterùm redeo, quæ oblivionem tantorum passa bonorum, receptaculum tantorum malorum facta es. Quomodò tibi in actu illo ignominioso non venit in mentem habitus Virginitatis, processus in Ecclesiam inter Virgineos choros ? . . . . . . Hæc tanta, & tàm terribilia non tibi veniebant in mentem, cum ad illud opus nefarium tua membra peterentur ? Sed mortifera te oblivio, tanquàm in gurgitem altissimum demergebat, &c.] **In peccatum dum ruimus, obliviscimur quæ nos retrahunt à peccato.**

10 Deniquè hùc spectare videtur Transitio, cùm velùt fortuita mentio fit alicujus, quod tamen resumitur, ut maximè ad rem institutam probandam conducens. *Nazianzenus* eos arguens, qui propriæ sententiæ adhærentes, aliorum placita nihili pendunt, ut transiret ad Pauli exemplum innumera passi pro Ecclesiæ utilitate, quæ finis esse boni Pastoris debet, & proposita Sancti Antistitis Oratio intende-
Orat. 1. Apol. bat, eo artificio usus est. [Cæterùm hunc morbum sedare, ac depellere, Petri cujusdam, aut Pauli fuerit Magnorum Christi discipulorum, qui Divino munere hoc consequuti sunt, ut rebus, & verbis gregem commissum gubernarent, omnibusque omnia fierent, ut omnes lucrarentur . . . . . Ac *quoniam Pauli*, ejusque æqualium mentionem fecimus. . . . . . . Paulum unum proferamus, atquè in eo quanta, quàmque ardua sit animarum cura consideremus.] Et *Ambrosius* hortans Virgines, ut commessationes, nuptialesque **Petrus, & Paulus Exemplaria rectè pascendi Gregis Christi.**

ſymphonias, præſertìm verò puellarum, virorumque ſaltationes numeroſas fugiant, indicato exemplo Joannis, cujus cædes inter convivia, & choræas peracta eſt, tranſit ad hoc factum prolixiùs deſcribendum. [Cum Joannes Prænuncius Chriſti ſaltatricis optione jugulatus exemplo ſit, plùs nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris amentiam. Et quoniàm talis Viri non ſtrictìm prætereunda eſt recordatio, intereſt, ut quis, & à quibus, & quam ob cauſam, quomodò, & quo tempore ſit occiſus, advertere debeamus, &c.] *Lib. 3. de Virg.*

SECTIO IV.

Modi Tranſitionum per uſum Figurarum.

Per Figuram Præteritionis.

1 
Erfecta Figurarum notitia ad variandas Tranſitionum formulas apprimè neceſſaria eſt, ceù quæ Orationi nitorem præſtantes, partes etiam illius, vel partium rationes, facta, conceptus, & hujuſmodi, eleganti nexu alligant, undè ars Tranſitionis elucet. De illis, omnibus quidèm huic propoſito conferentibus, agemus Libro ſequente, aliquas hìc recolentes, quas pro facilitandis tranſeundi formulis calamo properanti obviavere.

2 Poteſt igitur Orator uti Figurâ Præteritionis, cùm fatetur plura omittere, vel levitèr indicando, vel totalitèr diſſimulando, ut ad aliud, præſertìm majoris momenti, tranſeat. Unde *Nazianzenus* loquens de Cæſario fratre. [Atquè, ut alia omnia prætermittam, nempè qui in calamitatem aliquam inciderant, curam, & præſidium, faſtûs contemptum, æquabilitatem inter amicos, authoritatem apud Præſides: certamina, quæ pro veritate ſuſcepit: ſermones, quos multos, & frequentes, & cum multis hàbuit, non argutos ſolùm, ſed etiam admodùm pios, & ardentes: *Rem unam præ omnibus dicam*, qua nihil in ipſius vita celebrius eſt, magìſque pervulgatum. Furebat adversùs nos nefandus Imperator, &c.] *Orat. in laud. Cæſ.*

Cæſarii Fratris Nazianzeni Virtutes.

3 Per Figuram *Dubitationis*, cùm ſcilicèt Orator proponit an factum, ad quod tranſit, rem probet, aut adverſario proſit. *Ambroſius* poſt reprobatam Veſtalium coactam caſtitatem. [Videamus nè fortè aliquam, vel Philoſophiæ præ- *Lib. 1. de Virg.*

Per Figuram Dubitationis.

præcepta formaverint, quæ magisterium sibi omnium solent vendicare Virtutum. Pythagoræa quædam una ex Virginibus celebratur fabulis: cum à Tyranno cogeretur secretum prodere, nè quid in se ad extorquendam confessionem, vel tormentis liceret, morsu linguam abscidisse fertur, atquè in Tyranni faciem despuisse: ut qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret. Eadem tamen forti animo, sed tumenti utero, exemplum taciturnitatis, & profluvium castitatis: victa est cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequivit, &c.]

Mulier torta, nè secretum proderet, comestam linguam in Tyrannum expuit.

4 Per Figuram *Præoccupationis*, cùm transitur ad aliquam rationem destruentem, quod in contrarium Adversarius afferre posset. Ad Virginem lapsam *Ambrosius*. [Sed dictura es forsitàn: Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi Beata Thecla cum suis innumerabilibus sociis: Et nos eadem carne amictæ fuimus, &c.] Eodem modò vidualis status dignitatem commendat ex præsentis sæculi mœstitia, cui tamèn lætitia succedit æterna. [Sed tristes videtur ducere dies, & lachrymis tempus exigere. Hæc beatior, quòd perpetua sibi gaudia exiguis fletibus emit, &c.]

Lib. ad Virg. Laps. cap. 4.

Per Figuram Præoccupationis.

Lib. de Vid.

5 Per Figuram *Concessionis*, ex honore, quo pauperes sunt apud Deum, transit ad retributionem ergà misericordes *Nazianzenus*. [Verùm dixerit fortasse aliquis: hæc pro pauperibus illis, & inopibus dicta sunt, qui injurià afficiuntur. *Sit ita sanè*: nam de hoc litem nullam movebo. At hoc quoquè tamen ad colenda humanitatis officia te extimulat. Quorum enim, si quid eis injuriæ inferatur, tanta ratio (*à Deo*) habetur: iisdem certè beneficio affectis, amplior, & uberior est gratia, &c.]

Per Figuram Concessionis.

Orat. de paupert. amore.

6 Per Figuram *Repetitionis* inchoantis iisdem verbis plures sententias, facilè ad varias actiones fit Transitio, quæ tamen elegantior, si inter diversa facta, vel res narrata una seligatur ampliori circuitu describenda, ut alia ideò per eam Figuram adducta censeantur. Opportunum exemplum ex *Ambrosio* loquente de belluarum natura, & qualitatibus, & ad Tigridis proprietatem in præreptione filiorum transeunte.

Per Figuram Repetitionis.

Lib. 6. Hexam. cap. 4.

7 Undè ait. [Melior enim magistra Veritatis Natura est. *Hæc* sinè ullius magisterio suavitatem sanitatis nostris infundit sensibus: eadem doloris acerbitatem docet esse fugiendam. *Hæc* commendat Leenæ catulos suos, & immitem feram materno mollit affectu. *Hæc* Tigridis interpellat feroci-

Natura melior Veritatis magistra.

rocitatem, & imminentem eam prædæ reflectit. Nam ubi vacuum raptæ sobolis cubile reperit, illicò vestigiis raptoris insistit. At ille quamvìs equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ se posse præverti, nec evadendi ullum sibi suppetere posse subsidium, technam hujusmodi fraude molitur: ubi se contiguum viderit, sphæram de vitro projicit. At illa imagine sui luditur, & sobolem putat, revocat impetum colligere fœtum desiderans. Rursùs inani specie retenta, totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit, & iracundiæ stimulo velocior, fugienti imminet. Ille iterùm sphæræ objectu sequentem retardat: nèc tamen sedulitatem matris memoria fraudis excludit: cassam versat imaginem, & quasi lactatura fœtus, residet. Sic pietatis suæ studio decepta, & vindictam amittit, & prolem.]

Tigridem pro raptis catulis persequentem, quo astu Venatores decipiant.

8 Artem quandoquè supplet interni expressio affectûs, ut doloris, commiserationis, & hujusmodi. *Ambrosius* alloquens Virginem lapsam. [O quidquid prætendit sermo, crudeliora occurrunt.... Heu me! quia ubi putavi ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, inventus sum ligna, fœnum, stipulam, arsuras materias laborasse. Dicam, & ego secundùm Prophætam: Heu me! quia factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe. Equidèm si tibi sola damnum fecisses, &c.] Et suprà eâdem ferè formâ. [His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis, & multis suprà castitatem tuam præconiis, sacro velamine tecta es, ubi omnis populus dotem tuam subscribens non atramento, sed spiritu, paritèr clamavit Amen. *Vincor lachrymis*, cum hæc recordor, compungor, stimulis, cum hæc exempla considero. Nam si inter decem testes confectis sponsaliis, &c.]

Ambrosii labor in Virgine instituend[illegible], Virginis culp[illegible] frustratus.


Lib. ad Virg. Laps. cap. 7.

Ibid. cap. 5.

9 Nec minùs artificiosa Transitio est, cum in eo velutì suspensus manet Orator, an referre conveniat, quod exponere instituit. Idem *Ambrosius* de Virgine Antiochena ob Christi Fidem in Lupanar introducta. [Jamdudùm verecundatur Oratio mea, & quasi audire gestorum seriem criminosam, atquè explanare formidat. Claudite aurem Virgines Dei, ducitur puella Dei ad lupanar. Sed aperite aurem Virgines Dei: Virgo prostitui potest, adulterari non potest. Ubicumque Dei Virgo est, Dei Templum est. Nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam, &c.]

Oratio verecundans de re gravi.

Lib. 2. de Virg.



SECTIO

SECTIO V.

De Transitionum incipiendarum formulis.



EA est hujus rei difficultas, ut nec sufficere possint ad molliendam, quæ hucusquè congessimus; nec superflua censenda sint, quæ mox addemus, alios quidèm imitantes, qui verborum etiam Syllabum ad Transitiones formandas concurrentium præstant, cæterùm non, ut illi, ex Tullio, aliovè etsi eruditissimo, prophano tamen Rhetore; sed ex S. Ambrosio, exemplaria adducentes, monentesque Lectorem, hæc nonnisi paucula, & quæ ad manum habuimus: innumeros verò propemodùm esse Transitionum incipiendarum modos in Sanctorum Patrum scriptis observandos, qui forsàn sæculares Authores (ut plurimæ Sacræ Rhetoricæ ponderationes) latuere. Igitur imitari potest Orator nunc subjungendas transeundi formulas ex Ambrosio depromptas.

Lib. ad Virg. lapss. ca. 6. O quidquid prætendit sermo, crudeliora occurrunt, & cupiens moderari, non invenit modum. Oblita es propositum, oblita parentes, oblita es Ecclesiam, oblita gloriam dignitatis tuæ, oblita honorem Virginitatis, &c.]

Lib. de Bono Mor. ca. 4. Nunc illud specta. Si vita oneri, mors absolutioni: si vita supplicio, mors remedio: aut si judicium post mortem, etiam vita post mortem: mors igitur ea non est bona? &c.

Ibid. cap. 7. Et quid de extraneis laqueis loquor? nostri nobis laquei sunt cavendi. In ipso hoc corpore nostro laquei circumfusi nobis sunt, quos debemus vitare, &c.

Lib. 3. Hexam. cap. 8. Quid tibi describam purpurascentes violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus: in quibus nescias, utrùm species ampliùs florum, an vis odora delectet?

Ibid. ca. 11. Diximus de herba fœni, nunc dicamus de ligno fructuoso faciente fructum secundùm genus, cujus semen ejus in ipso sit.

Ibid. ca. 12. Sanè, ut caduca tibi noveris communia esse cum floribus, ita etiam læta cum vitibus, quibus generatur vinum, quo cor hominis lætificatur.

Ibid. ca. 13. Quid ego enumerem quanta varietas arborum, quàm diversus in singulis, & pulcher ornatus, quàm patulæ fagi, quàm

quàm procèræ abietes, quàm comantes pinus, quàm umbrosæ ilices, quàm Populi bicolores, quàm nemorosa,& rediviva castanea, quæ simùl, ut excisa fuerit, tanquàm sylvam ex se pullulare consuevit?

Est etiam,quod mireris: ipsis sexus in pomis,& discretio sexûs in arboribus. Nam videas palmam, quæ dactylos generat, plerùmque inclinantem ramos suos, & subjicientem, & concupiscentiæ, atque amplexûs speciem prætendentem ei arbori,quam marem palmam appellant pueri rusticorum. *Ibid.*

Deindè illud consideremus, quod Planetas illa signa appellant,quorum motibus formari afferunt vitæ nostræ necessitates. Sivè igitur, ut nomen sonat, semper vagentur: sivè, ut ipsi dicunt, quod concito motu ferantur, & deciès milliès in die, aut si hoc incredibile videtur, multiplicem speciem,&c. *Lib. 4. Hexam. cap. 4.*

Et quia de astutia cœpimus sermonem subtexere, qua unusquisque fratrem suum circumvenire, & decipere nititur, & in novas se fraudes componere, ut quem vi obtinere non potest, circumscribat dolo, & fuco quodam artis obducat: fraudolentum illud Polypi ingenium non prætcribo, &c. *Lib. 5. Hexam. cap. 8.*

Accedit illud, quod complurima, & maxima Ponto flumina misceantur, cum hiberno tempore sinus ipse frigidiore torrentium rigescat allapsu. Propterea pisces,tanquàm arbitri fluentorum, æstate illùc aspirantis auræ clementiam captare consueverunt. *Ibid. ca. 10.*

Veniamus ad Atlanticum Mare. Quàm ingentia illìc, & infinitæ magnitudinis Cete, quæ si quando supernatant fluctibus, adnatare Insulas putes, montes altissimos summis ad Cœlum verticibus eminere. *Ibid. ca. 11.*

Sed jam assurgamus ipsi de profundo maris,& aliquantulùm sermo noster emergat,atquè ad superiora se subrigat: spectemus ea, quæ usitata multis, & plena sunt gratiæ, &c. *Ibid.*

Sed jam rogemus Dominum, ut sermo noster, quasi Jonas, ejiciatur in terram, nè diutiùs in salo fluctuet. *Ibid.*

Et quoniàm de aquatilibus reptilibus diximus, arduum est, ut subitò ad aves Cœli sermo noster ascendat. Et ideò de his avibus priùs dicamus, quæ circà aquas Maris, fluminumque versantur, cum quibus possumus emergere. *Ibid. ca. 13.*

Pulchrè autem post descriptionem piscium,de his avibus, quæ assuetæ sunt aquis, sermo successit: quia, & ipsæ similitèr, & usu natandi, & munere delectantur. *Ibid. ca. 14.*

Ha-

Ibid. ca.17. Habemus aviariæ sobolis ergà cultus patrios pietatis exemplum: accipiamus nunc maternæ sedulitatis in filios grande documentum. Hirundo minuscula corpore, sed egregiè pio sublimis affectu, &c.

Ibid. ca.23. Et quia de volatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti, quæ de Verme Indico tradit Historia, vel eorum relatio, qui videre potuerunt. Fertur hic corniger vermis converti primùm in speciem caulis, atquè in eam mutari naturam: indè processu quodam fieri bombilium, nec eam tamen formam figuramque custodit, sed laxis, & latioribus foliis videtur pennas assumere. Ex his foliis mollia illa seres depectunt vellera, quæ ad usus sibi proprios divites vendicarunt.

Lib.6. Hexam. cap.4. f. Quantam Dominus etiam minusculis infudit prudentiam! Turtur nido suo, nè pullos incurset lupus, squillæ folia superjacit: novit enim, quod hujusmodi folia lupi fugere consuerint.

Ibid. cap. 5. Sed revertamur ad seriem creaturæ, & consideremus, qua ratione Dominus aliis bestiis angustiora colla formaverit, ut leonibus, atquè tigridibus: aliis prolixiora, ut Elephantis, & Camelis.

Ibid. cap.6. Videbatur nihil elephantis creaturam habere robustius, nihil tàm terribile, vel procèrum, nihil tàm ferum, quàm leones, vel tigrides sunt: & hæc serviunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt: obliviscuntur, quod nata sunt, induunt, quod jubentur.

Ibid. cap.9. Sed jam etiam de ipso aliqua dicenda sunt corpore hominis, quod præstantiùs cæteris decore, & gratiâ esse quis abnuat? Nam etsi una, atquè eadem omnium terrenorum corporum videatur esse substantia, firmitudo, & proceritas quibusdam major in bestiis: forma tamen humani corporis est venustior, &c.

Lib.1. de Cain, & Abel cap.5. Dies me citiùs defecerit, quàm vitia ejus exponam, quæ tamen in Proverbiis ore Sapientiæ descripta, atquè expressa sunt. Non te vincat formæ concupiscentia: adulterina est, fucis illita, &c.

Ibid. ca.10. Sed jam tempus est aliò transire, quoniam de eo, quod post dies obtulit Cain, plenè diximus.

Lib. de Noë & Arca ca. 3. Nec solus Sanctus Noë abundavit filiorum generatione, sed etiam universa se effudit quammaximè eo tempore generatio. Quod non otiosum videtur. Sequuturo enim diluvio, &c.

Lib. de Abrah. cap.3. Primas igitur partes sibi justo ordine vendicavit devotio; videamus, & cæterarum virtutum gratiam. Mulcebatur

batur Sanctus Abraham Nepotis præsentiâ, cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter servulos, &c.

Sed fortassè dicat aliquis: Quomodò Abraham nobis imitandum proponis, cum de ancilla susceperit filium? Aut quid sibi vult hoc, ut tantus Vir huic errori fuerit obnoxius, cujus tanta opera miramur? *Ibid. cap. 4.*

Nec te Eleazare prætermittam, utpotè Sacerdotem Sacerdos, sed tuis juvandus oratis, qui genere Sacerdos, peritus in Lege, maturus ævi, cum oblatus esses Antiocho persequutori, nec tentamentis potuisti capi, nec præmiis inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. *Lib. 2. de Jacob, & Vita Beata cap. 10.*

Post ipsum (*Eleazarum Patrem*) statuti sunt pueri septem cum Matre. Insultare licet Tyranno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum eligit, quo discipulos faceret fortiores. *Ibid. ca. 11.*

Sed quid dicam: nè differas liberalitatem? Utinàm non approperes rapinam: utinàm quod cupieris non extorqueas: utinàm alienum non petas, negatum prætermittas, &c. *Lib. de Naboth. cap. 9.*

Sed quid vetustis utar exemplis, cum abundet jejunium etiam præsentium muneribus gratiarum? Quis deterioravit domum suam jejunio? Quis imminuit facultates? cui non suspecta luxuries? cui non venerabilis abstinentia? *Lib. de Helia, & Jejun. cap. 8.*

Aliud non minoris acerbitatis accipite. Observant isti (*fœneratores*) aleatorum conventicula, & perdentis ærumnam, commoditatem suam judicant: spondent pro singulis: varios primò sors ludit eventus, ad diversos sæpè transfertur victoria, stipendiaque ejus vicissim, atquè ærumnæ mutantur. Omnes vincuntur, & vincunt, fœnerator solus acquirit. Penès alios manet nomen, quod vicerint: penès fœneratorem solum fructus est, non annuus, sed momentarius. Illi soli faciunt lucrum in omnium detrimento, illis solis est usuræ victoria, &c. *Lib. de Tobia cap. 11.*

APPENDIX.

Exemplar Concionis disponendæ.

1 T Regulam aliquam tibi Tyro proponerem disponendæ Concionis, (cujus arduitas præmissis præceptis minuitur quidem, sed non penitus tollitur) & huic Libro secundo suspiciendum undiquè terminum imponerem: nil minùs cogitavi, quàm aliquid nugacis ingenioli afferre ut certè poteram, ceù qui

non semel perorandi periculum feceram. Meo me enim mensus pugillo, imparem agnosco, ut cæteris magisterium præbeam Rhetoricæ Dispositionis, Artis elementa vix salutans de limine. Accedit, quod suas habet Ævum literarium vicissitudines, mutationumque ætates, & succedente temporis vario gustu, minùs sapiunt, quæ dudùm admirabundè delectabant.

2 Neutrum proindè discrimen subire certus sum, si pro Concionis dispositione formanda Exemplar præbeam ex Magno illo nedùm Theologo, verùm etiam Rhetore *Gregorio Nazianzeno*, Orationem videlicèt, quam habuit ad Arrianos de seipso, non quidèm per extensum allatam, sed in epitomen redactam, in qua suprapositas Dispositionis regulas magna ex parte observare licebit. Stylus acer, & concitus, methodus artificiosa, eloquutio candida simùl, & elegans, ut loquentem audire quis putet, dum legit. Exordiens itaquè ex abrupto per Figuram Interrogationis, ait.

Orat. ad Arrian. & de seipso.

Exemplar disponendæ Concionis ex Nazianzeno.

3 [Ubi tandèm sunt, qui paupertatem nobis exprobrant, opesque suas insolentèr jactant? Qui Ecclesiam multitudine definiunt, ac parvum Gregem aspernantur? Qui, & Divinitatem metiuntur, & Populum, velùt ad lancem appendunt? Qui arenam in pretio habent, & Mundi lumina contumeliis afficiunt? Qui deniquè lapides aggerunt, & gemmas contemnunt? Non enim norunt, quod quantò arena stellis copiosior est, & lapides pellucidis lapillis, tantò vicissìm hæc illis puriora, & præstantiora sunt, &c.]

Exordium.

4 Dividitur autem Oratio in duo puncta: Primum, quo Arrianorum crudelitatem, ac nefarias adversùs Orthodoxos persequutiones exponit. Secundum, quo ineptis, ac puerilibus calumniis respondet, quibus eum in contemptum apud populum obtrectatores ipsius adducere maximè nitebantur. Objiciebant autem, quod ignobili Oppido, quod parùm illustri Genere ortus esset: quod non admodùm festivis moribus: quod non sermone facetus: quod externus, ac peregrinus, atquè hujusmodi puditissimas nugas: Terminato igitur Exordio per ea verba: *Orationem ipse habebo*; Introductionem statuit ex Materia tractanda, aut re illi vicina, & ait.

Divisio Concionis in duo Puncta.

5 [Malè omninò, & perniciosè utriquè alterorum tempora observamus, ac sublatâ per Fidei diversitatem animorum concordiâ, majori penè crudelitate, atquè immanitate nosmetipsos mutuò insectamur, quàm qui nunc bello nos lacessunt Barbari, quos Trinitas soluta conjunxit. Quin

Introductio Concionis ex Materia tractāda.

hæc deteſtabilior eſt noſtra conflictatio, quòd non exteros exteri, nec ignotos ignoti, (quæ res nonnullo quoquè ſolatio calamitatem levat) verùm alii alios, & quaſi domeſtici domeſticos populamur: aut, ſi mavis, ejuſdem corporis membra conſumimus invicem, atquè conſumimur.]

6 Qua Introductione præmiſsâ velùt præparatoria animorum ad bellicum clangendum, Generoſus Præſul fortiſſimum argumentorum agmen educit non minùs robore firmum, quàm arte mirandum. Argumentatur enim per Figuram Interrogationis, & dùm ea (quæ non fecerat) ſibi objici petit, ea probat ab illis eſſe patrata, videlicèt populos ad furorem adactos, milites incitatos in rabiem, probos contumeliis affectos, rem ſacram in ſæculares luxus profanatam, altaria commeſſationibus polluta, ſuggeſta erroneis dogmatibus depravata, Virgines vel inceſtuosâ, vel nefandâ libidine corruptas. Ait autem.

Argumenta, ſivè Probationes.

7 [Quem populum audaciâ furentem in te immiſi? quos milites in aciem eduxi? quem belli Ducem irâ inflammatum, &c. . . . . Altaria dilecta, ut ait Scriptura, nunc autem contumelioſè protrita, quiſnàm impudicus, ac perditus adoleſcens turpitèr cantillans, corpuſque conflectens impulſu noſtro vobis inſultavit? . . . . . . O Cathedra præclara, & præclarorum virorum Sedes, ac requies, quæque multos pios Sacerdotes, qui jam olìm Sacræ Diſciplinæ munus obierunt, &c. . . . . . Virgines caſtæ, & verecundæ, nè honeſtorum quidèm virorum conſpectum præ pudore ferentes, &c.]

8 His per Apoſtrophen dictis, expreſſiùs in Arrianorum crudelitatem invehitur: quod Catholicos Epiſcopos, ac Presbyteros variis afflixerint ſuppliciis, ferreis ungulis lacerando, navi in altum deportatos cremando, in exilium pellendo, innumeriſque malis afficiendo, carcere, fame, ſiti, bonorum rapinâ, vita inſidiis petita, morte acerbiſſimâ illatâ. Quæ omnia ſuprà numerum eſſe teſtatus, unum facinus addit atrocius, inquiens.

9 [Maximam horum partem ignoratis? Et meritò ſanè proptèr actorum multitudinem, miramque in inferenda injuria voluptatem. At ejus, qui patitur, tenacior eſſe memoria ſolet. Quìd longinqua colligere attinet? Nonnulli atrociores quoquè, atquè immaniores ſe ſe præbuerunt, quàm temporis ratio ferre videretur: non ſecùs, ac ſues, qui per ſepta quædam violentiùs impelluntur. Hominem meum poſco, quem heſterno die trucidaſtis: Senem, inquam, illum,

& Abra-

& Abrahamicum Patrem, quem ab exilio redeuntem, atquè hùc appellentem, medio die, media in Urbe saxis excepistis, &c.]

10 Quo facto narrato claudens primum Orationis Punctum, ad secundum insensibili, & connaturali transitione progreditur, exposcens sibi sua vitia opponi. Per Figuram igitur Praeoccupationis, Subjectionis, ac per modum Dialogismi, ea quae de ipso, tanquàm enormia magnificabant Arriani, absolutissimè diluit, partìm ostendendo sibi ad culpam imputari non posse, ut est loci, vel natalium obscuritas: partìm ipsi ad gloriam cedere, ut est moderatio, paupertas, loquendi parcitas, morum gravitas. Undè ait. Transitio connaturalis ad secundum Concionis Punctum.

11 [Quoniàm autem facinora tua haec, atquè hujusmodi sunt, age jam scelerum quoquè meorum summam mihi explica: ut vel malus esse desinam, vel erubescam . . . . Parva tibi est, inquis, Civitas, ac nè Civitas quidèm, sed aridus locus, & inamoenus, atquè infrequens. Atquì hoc si in malis habendum est, Vir praeclare, patior potiùs, quàm facio: & si quidèm invito animo, calamitosus sum, (liceat enim ita loqui) si verò libenti, Philosophi laudem obtineo. Utrum horum criminis rationem habet? Nisi verò quis hoc nomine Delphinum accusandum putet, quòd terrestre animal non sit: & bovem, quòd non in aquis degat: & muraenam, quòd in utroque elemento vitam agat. At nobis, inquis, & moenia sunt, & theatra, & equestres currus, & palatia, &c. . . . . . . Ergò haec injuria nostra est, quod vos magni, & perillustres estis: nos contrà parvi, atquè à parvis venientes? Nimirùm si ita est, multi quoquè alii eamdem vobis injuriam inferunt, &c.] Solvuntur Adversariorum obiecta.

12 Ulteriùs autem transiens, ait. [Adde si placet, & alia crimina, qui dicis: meum est argentum, & meum est aurum, Dei voces usurpans. Nos nec divitias jactamus, quibus affluentibus cor apponendum non esse Lex nostra praescribit, nec annuos, diurnosque proventus numeramus, &c. . . . . An mihi quoquè vestis asperitatem objicis, vultûsque situm haùd satis elegantem? . . . . Quid? caput nè ipsum intactum relinques? meque iisdem cavillis insectaberis, quibus Helisaeum olìm pueri illi? nam quae deindè sequuntur, tacebo. Quid? rusticitatem nè meam, & insulsitatem non accusabis? &c.]

13 Additis obiectionibus suprà insinuatis, per ordinem argutè respondet, se pauperem non esse, qui totius Orbis usum habere possit: quod si pauper, hoc Evangelio juberi,

ut Christum imitemur. Rusticitatem suam illustrem reddi ait exemplis Samuel, Amos, Heliæ, Abrahæ, Moysis, Davidis, Joannis, qui in deserto, vel nati, vel Heremicolæ, Urbium luminaria fuere. Præter Apostolos Piscatores, ipsum Deum affert in medium in minima Judeæ Urbe nasci dignatum.


Alia eorumdem Confutatio.

14 Quin, & Adversarios efficacissima ratione confutat, probatque tùm se illustriorem, cujus Patria esset Cœlestis Hierusalem, illorum verò subterranea Babylon: tùm se concivem omnium, qui ex Deo nati, hæredes quidèm sunt Dei, cohæredes autem Christi. Posteà verò transit ad moderationem suam, qua (Constantinopolim cum potestate veniens) injurias beneficjis compensavit, ut Stephanum pro inimicis orantem æmularetur: imò Dei Filium utcumquè imitaretur, addens motivum, quo seipsum solabatur, differentiâ inductâ inter bonos, & impios. Ideòque ait.

15 [Quin hæc quoquè mecùm cogitabam, atquè etiamnùm cogito. Hi domos habent, nos inquilinum: hi Templa, nos Deum: idquè prætereà, quod Dei vivi Templa viva sumus, victimæ vivæ, holocausta spiritualia, sacrificia perfecta, Dii deniquè, Trinitatis adoratæ beneficio. Hi vulgus habent, nos Angelos: hi temeritatem, & audaciam, nos Fidem: hi minas, nos preces, & Orationes: hi feriendi insolentiam, nos patientiam: hi aurum, & argentum, nos repurgatam Fidei doctrinam, &c.]

Peroratio Concionis.

16 Hac verò occasione, ostendit puram Fidei Veritatem esse penès Orthodoxam Ecclesiam, recensens, & refellens impia dogmata Valentini, Marcionis, Montani, Manichæi, Novati, Sabellii, Arrii, Photini, aliorumque consimilis surfuris Hæreticorum, qui vel omnes, vel aliquam Personam ineffabilis Trinitatis erroribus suis maculare conati sunt. Robustè autem, & Theologicè consubstantialitatem Filii cum Patre, Deitatem Spiritus Sancti propugnat, & eruditissimæ Orationi (cujus imitationem præsertìm in Concionibus stylo vehementi, magnoperè inculcamus) pro coronide triumphalem de omnibus Sectariis palmam imponit.





INDEX

Rerum hoc Tomo comprehensarum

Prior Numerus Paginæ, Posterior est Marginalis.

Ava-

Con-

Ve-

MACHABÆI

ra-

Pro-

Vi-

FINIS.



ER-

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 8. marg.	In ejus	In eis
Pag. 43. ver. 3.	Calvos	Calve
Pag. 52. ver. 14.	cnius	cujus
Pag. 100. ver. 5.	ab bellum	ad bellum
Pag. 183. marg.	Allegorica	Allegoria
Pag. 284. marg.	in Cetu	in Ceto
Pag. 319. marg.	ſervatrices	ſervatores
Pag. 440. ver. 8.	à pubulis	à pabulis
Pag. 473. ver. 6.	proptum	promptum
Pag. 408. marg.	Filii Loth	Filii Noë



